
GESTA
VETERVM
FRANCORVM.

HADRIANI
VALESII
RERVM
FRANCICARVM
VSQVE AD CHLOTHARII SENIORIS MORTEM
LIBRI VIII.





LVTECIÆ PARISIORVM.


Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Architypographi Regis, & Reginæ Regentis: ET GABRIELIS CRAMOISY. viâ Iacobæâ, sub Ciconiis.

CIↃ. IↃC. XLVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO DOMINO,
IOANNI FRANCISCO
PAVLO 

GONDIO,

CORINTHIORVM
ARCHIEPISCOPO,
IN ECCLESIA PARISIACA
PATRVI COADIVTORI

HADRIANVS VALESIVS S. P. D.

PLERISQVE *Auctoribus, ac ferè omnibus semper curæ admodum fuit scripta sua viris clarissimis & doctissi-*

mis nuncupare, vt & eorum examinarentur iudicio, & si quando opus esset, patrocinio defenderentur. Idem ego facturus, ANTISTES ILLVSTRISSIME, *diu cunctari non potui, quin vnum ex omnibus te potissimùm eligerem, cui hos rerum Francicarum libros dedicarem. Etsi enim tuæ me doctrinæ dignitatísque contemplatio aliquantisper timidiorem fecit, tamen notitia innatæ tibi comitatis facilè confirmauit. quam tu virtutem hereditariam atque domesticam sic colis, vt proprium & peculiare tibi insigne esse videatur. Mirati sunt proa-*

ui nostri Gondios, Maiores tuos, Parisiorum Episcopos, Cardinales, Magistros equitum, Præfectos classis Massiliensis, Ratiatenses Duces, in eminenti fortuna communes, humanos, aditu faciles, demerendis hominibus paratos; mirati sunt & amauerunt: nec magnitudini eorum adhærere ausa est inuidia, quorum virtutes Nobilitatis vitium superbia non fœdabat. Eamdem nos in te nunc dotem, multo illustriorem, spectatioremque, velut gentilem ac naturalem notam agnoscimus, quam Latini scriptores meritò comitatem appellauere; quòd ceteris vir-

tutibus ſit ornamento. Hæc faſtigium tuum, vt altiùs extollat, inclinat: hæc, (ſi ita dicere licet) magno tamen cum hominum delectu, te publicat: hæc quotidie eruditos viros in contubernium tuum & familiaritatem admittit: hæc blanda quadam vi vniuſcuiuſque tibi amicitiam gratiámque conciliat: hæc denique ingentia animi tui bona, vigorem ingenij, ſcientiam rerum humanarum diuinarúmque pæne incredibilem, ſermonis facilitatem, ſuauitatem ſanctitatémque morum, notiora fecit, atque clariora, ne quantus eſſes ignorare-

mus. Quo magis factum Illustrißimi patrui tui laudare conuenit, qui cùm meliùs quoquam dotes tuas nosset, probato Christianissimæ ac prudentissimæ Reginæ consilio, tandem vota omnium nostrûm impleuit, & collegam te, ac Episcopalium onerum adiutorem cooptauit: vt facilè appareret optimum & sapientissimum Archiepiscopum ea in re meritorum magis quàm sanguinis habuisse rationem. Quem enim alium digniorem honoris consortione, & capaciorem tanti ministerij pius senex extra domum suam inuenire potuisset? aut quantum

Ecclesiæ intererat in Cathedra à tribus Patruis magna laude insessa te collocari, qui iam moribus atque doctrina Episcopum præferebas? qui à puero liberalibus disciplinis eruditus, adolescentiam in studia profanæ, sacræque sapientiæ tam feliciter impendisti, vt plaudentibus & mirantibus cunctis, quorum ea propria professio est, in Doctorum collegium fueris cooptatus. qui partem ætatis ad voluptates maximè procliuem sic exegisti, vt in Ciuitate curiosa, atque maledica, & de Proceribus non modò vera dicere, sed etiam falsa fingere gestiente, ne suspicioni

quidem

quidem intemperantiæ locum, nedum ſermonibus dederis. qui poſtea ſemper inter libros, vel in Baſilicis verſatus, aut animum tuum lectione, aut populum ſalubribus præceptis & hortationibus inſtruxiſti. Vidimus Principes viros ex tuo concionantis ore pendentes. Vidimus patruum tuum manantibus lacrimis gaudium ſui de te iudicij teſtantem. Vidimus immenſam multitudinem cum admiratione & delectatione ſilentem, ac intentam. Quantum in inuentione acuminis? quantus ordo in diſpoſitione? quantus, & quàm non affectatus in verbis ornatus appa-

rebat? quàm acriter in vitia inuehebare? qua arte, & auctoritate persuadebas? qui motus erant auditorum tuorum? Quæ eo libentiùs cuncta perstringo, atque aliis relinquo exornanda, quòd sub oculis Ciuitatis acta neminem latent: & quòd infantiæ meæ mihi conscius intelligo me sine temeritate conari non posse, summum ac disertissimum Oratorem, qualem te mente concipio, verbis exprimere. Iam verò illa eximia, omnibus quoque similiter nota, sed non ab omnibus æquè perpensa, aut pro merito laudata, cuius ingenium & eloquentia enarrare possit? curam

Ecclesiæ

Eccleſiæ tibi commiſſæ ſolicitudinémque peruigilem; pro eiuſdem pace ſalubres diſpoſitiones; Clericorum contumacium, & in cathedris bellicum canentium coërcitionem; Epiſcopalem in iure Eccleſiæ tuendo conſtantiam, quorumlibet precibus inuictam & inexpugnabilem; ſingulare ſtudium Hæreticos ad Fidem Catholicam adducendi; ceteráſque conuenientes Antiſtiti occupationes, atque virtutes. Quarum ne relatio pudori tuo ſit grauis, malo alia ratione te tibi oſtendere, in locum epiſtolæ Opus meum ſubſtituendo. quod ſi legere dignaberis, quotieſcumque in egregium

e

aliquem Episcopum incideris, (incides autem sæpissime) toties ibidem aliquam de tuis eminentissimis dotibus es agniturus. Te rogo, vt pro summa illa humanitate & comitate tua hoc Opus, qualecumque est, tamquam obseruantiæ meæ certissimum pignus accipias eo vultu, quo studiosos viros excipere consueuisti. Vale Antistes Illustrissime. Data V *Idus Apriles anno Christi* CIƆIƆCXLVI. *Luteciæ Parisiorum.*

PRÆFATIO
AD STVDIOSOS LECTORES.

FRANCORVM, ante Valeriani principatum, apud Historicos nulla fit mentio. siue hoc primùm tempore ita dici cœperunt, qui antea modò Germani communi Gentis nomine, modò suæ quisque nationis proprio vocabulo appellabantur. siue Auctorum historiæ Romanæ, qui de Francis priùs aliquid retulerant, libri perierunt. Eorum regio ab Oriente Toringiam, & Saxoniam, hoc est Albim flumen, aut (vt quibusdam placet) Visurgim; ab Occidente Renum & Gallias; à Septemtrione Oceanum Germanicum, vel Septemtrionalem; à meridie Alamanniam habebat & Sueuiam, multósque populos continebat. è quibus Renum accolebant Attuarij, Bructeri, & Chamaui ad ostium fluminis, positi ac Salij. Oceani litora tenebant Frisij, & Cauci. interiora terrarum habitabant Amsiuarij, Catti, aliique, omnes in vnum Franci vocati, & nonnumquam Sicambri, propterea quòd agrum veterum Sicambrorum possidebant. De quibus nationibus dicam aliàs exactiùs.

Huius clarissimæ Gentis primordia & res gestas ex professo scripsere Nicolaus Vignerius, vir doctus, & Isaaces Pontanus, antiquitatum nostrarum non admodum gnarus. Prior opus suum ad Faramundum Regem; posterior

vſque ad Chlodouei mortem deduxit. Quid profecerint, quid ipſe egerim, ex ſcriptorum noſtrorum collatione poterit quiſque cognoſcere. Amborum quidem me lectio adeò à ſcribendo non deterruit, vt contrà magis incitauerit ad cœpta perficienda. Geſta igitur vſque ad Chlotharij maioris obitum per trecentos annos, hoc eſt partem hiſtoriæ noſtræ eam, quæ maximè obſcura videbatur, illuſtrare conatus ſum. Quod vt diligentiùs facerem, fidem mihi haberi nolui, niſi auctoritate niterer. Auctores ita ſecutus ſum, vt recentioribus vetuſtiores, paucioribus, ac leuioribus plures, & grauiores anteferrem. Quoſdam arguere mihi ac refellere fuit neceſſe, ne ipſe arguerer. multos interpretatus ſum. nonnullos etiam emendaui, ſæpiùs redditâ emendationis ratione, nonnumquam (vbi opus non erat narrationem interrumpere) ne monito quidem Lectore. Exempli causâ in libro III apud Saluianum pro Maſſilia *Baſiliam* reſtitui. In libro I apud Nazarium pro Vangionibus *Vargiones* poſui. quòd inter gentes Germaniæ Galliam depopulantes videbam locum non eſſe Vangionibus, qui poſt traductionem ſuam in Galliam, à nullo Geographo in Germania Tranſrenana ponuntur: cùm Claudius Ptolemæus Vargiones vltra Renum collocet. Sic & Regis Francorum nomen, qui vulgò *Eſatech* corruptè vocabatur, in *Atech* mutaui, atque Mamertini verba hæc, *Per te Regnum recepit Genoboud, Eſatech verò munus accepit*, ita emendaui: *Per te Regnum recepit Genoboudes, Atech verò munus accepit*. propterea quòd filium Leudeſij Præfecti

Aulæ ſimiliter *Athicum* dictum inueniebam: & apud Odonem de vita Burchardi Comitis *Adicum* quemdam Monaſterij Foſſatenſis Monachum; item alibi *Adtecum* Aſtidij filium memorari animaduertebam. Et quoniam in Francorum Regum mentionem incidi, Lectores moneo, me Malaricum, qui Francus homo Tribunatu Gentilium imperante Conſtantio fungebatur, Francorum Regibus nequaquam annumerauiſſe, vt in tertio Originum Francicarum libro ſine cauſa fecit Ioannes Iſaaces Pontanus. ſimiliter Vrſicinum, Magiſtrum equitum, virum Romanum, à me de induſtria eſſe prætereritum, quem natione Francum, & Francorum Ducem fuiſſe credidit Nicolaus Vignerius; deceptus non intellectis Ammiani Marcellini verbis, ſcribentis Vrſicino, per Magiſtrum admiſſionum accito, *ingreſſóque Conſiſtorium, oblatam purpuram multo quàm antea placidiùs.* Quæ verba Vignerio perſuaſere à Conſtantio Aug. eumdem Vrſicino, quem extero Regi, honorem habitum eſſe. cùm Marcellinus non delatam Vrſicino purpuram dicat, ſed tantùm oblatam, quam ſcilicet ori venerabundus admoueret. ſiquidem Imperatores chlamydem ſuam ſalutantibus porrigebant adorandam.

In nominibus barbaris magis vtilitati legentium, quàm delectationi conſului, dedíque operam, vt quàm variè à variis Auctoribus conciperentur, notarem. ne aut ob diſſimilitudinem vocabulorũ plures ex vno fierent, aut ob ſimilitudinem vnus è pluribus. Hîc omittendum non eſt, ſæpe apud Scriptores rerum Romanarum, & apud noſtros Auctores eadem

Francorum nomina, aut parum mutata reperiri. Quis enim dubitet, quin idem ſit apud Mamertinum nomen Genneboudis, vel Genoboudis, Francorum Regis, quod apud Sulpicium Alexandrum, & Fredegarium Genobaldi, aut Genebaudi, alius Francorum Regis? idem Bapponis Tribuni apud Marcellinum, quod Bauonis viri ſanctiſſimi, atque etiam Babonis, à Childeberto iuniore ad Mauricium Aug. miſſi legati? Quis non videt Teutomeri, apud Ammianum Marcellinum Protectori Domeſtico Conſtantij, Theodomerem, vel Theudemerem Regem Francorum, cuius Gregorius & Fredegarius mentionem faciunt, eſſe cognominem? Seniauco ſimiliter Marcellini Senocum Fredegarij & Frodoardi, Eluſanum Epiſcopum? Bainobaudis Tribuni nomen ex Baino, quod Taruennenſi Epiſcopo nomen fuit, & Baude eſſe compoſitum? Nomen Luttonis, vel Lutonis Comitis, quem interfici iuſſit Imperator Conſtantius, quòd Siluano populari ſuo fauiſſet, linguâ Francicâ præclarum ſignificare prodit Hermoldus Nigellus, qui Ludouicum *præclarum Martem* interpretatur, ita vt Hluto præclarum, wigh Martem deſignet. Nectaridum quoque Comitem maritimi tractus Britanniarum, in libro I dictum, & Marcharidum, in fine libri II memoratum, Francos fuiſſe ex nominibus cognoſcitur. ſic enim pater Medardi Nouiomagenſis Epiſcopi, viri Franci, Nectardus appellatus eſt. ſic Theoderici Abbatis, ſimiliter Franci, parens Marcardus nuncupatur. Gaiſonis eius, qui Conſtantem Aug. iuſſu Magnentij interfecit, & eius, qui principatu Honorij Comes

ſacrarum largitionum, deinde Magiſter Officiorum fuit, nomen refert Gaiſo apud Gregorium Comes Turonicus. Omitto Chariettonem, cùm eum, qui Valentiniano maiore imperante Comes per vtramque Germaniam fuit; tum alium, qui Valentiniani iunioris principatu eodem officio functus eſt, Francum vtrumque, à Cariattone, qui ex Spathario Guntchramni Francorum Regis factus eſt Geneuenſis Epiſcopus, nomine non differre. à Baudone quidem deducuntur in nominibus compoſitis Baudes, & Baldus, & Baudoualdus, vt à Gaiſone Laniogaiſus, & Regaiſus. Noſtri pro Baudone nonnumquam Bodonem, ſicuti Bodegiſilum pro Baudegiſilo dixere. Sed poſt ſubactam Galliam paullatim Francis non raro Gallorum, & viciſſim Gallis Francorum nomina placuerunt, de quibus dicta ſufficiant.

Iam verò, quod ad ordinem pertinet, curaui, id quod plerique Noſtrorum neglexere, vt non ſolùm quâ quidque ratione, & quo loco, verùm etiam quo tempore geſtum eſſet, inueſtigarem. Nota annorum mihi Conſules fuere, quibus annos Chriſti ad margines paginarum è regione adiunxi, ne quemquam vulgaris & vſu receptus numerus præteriret. Et quoniam ſine notitia Imperij Occidentis, ac rerũ in Gallia geſtarum, res Francicæ bene ſciri non poſſunt, ab Honorio vſque ad Romulum Auguſtulum de Imperatoribus Imperióque Occidentis diligentiùs ſcripſi, vt quibus modis occidente eo Imperio Francorum Regnum in Gallia ſit exortum, auctúmque, cognoſceretur. De Imperatoribus Orientis, præſertim poſt abolitum in Occidentis

partibus nomen Imperij, aliqua notaui, propterea quòd Reges Barbarorum non solùm ex Italia, sed etiam ex Gallia, aliisque Occidentis prouinciis ad eos legatos mittere, & de magnis rebus referre consueuerant. Ob eamdem causam nonnulla de Vandalis in Africa dominantibus, qui Geiserici ductu Imperium Occidentis euerterunt; de Regibus Vesigothorum, & Burgundionum in Gallia sedem habentium, multa noua & digna scitu notaui, vt quibus artibus creuissent, quid ipsi aduersus Imperatores, quid aduersus eos Franci gessissent, clariùs appareret. De Alanis quoque, de Saxonibus, de Alamannis, de Taifalis, & de Britannis pleraque à nemine prodita operi meo inserui, quas, & quo tempore ac modo, sedes ceperint in Galliis, quidve rerum ibidem egerint. In his omnibus si fortè nonnumquam mihi accidit, vt errarem, spero Lectores iudicaturos de rebus præcipuè tam vetustis, & negligentiâ Nostrorum adeò ignoratis ac velut sepultis, aliter libros fieri non potuisse. profiteórque nihil me à quoquam, quem non nominauerim, accepisse: nullum à me sciente Auctorem transscriptum; nemine cùm è veteribus, tum è recentioribus scriptoribus, quem non saltem semel legerim, me vsum esse. Quod adeò non obseruauere quidam, vt Isaaces Pontanus præter ceteros pro Gregorio Historicum quemdam, Caroli Præfecti Aulæ æqualem, ferè semper nobis obtrudat.

Hæc sunt, quæ Lectorem scire volui. Præfationi Chronicon, & Notitiam Prouinciarum Galliæ subiunxi, vt Fastis, quibus vsus

sum,

ſum, ac breuiariò rerum memorabilium, quæ his octo libris continentur, atque qualicumque Galliæ notione inſtructi ſtudioſi ad opus noſtrum accederent.

CHRONICON RERVM FRANCICARVM,
à Valeriani principatu ad XXV. imperij Iuſtiniani annum, mortémque Chlotharij Prioris deductum.

A.Chr.

254. VALERIANO II. *& Gallieno Coſſ.* Valerianus imperat.
255. *Valeriano* III. *& Gallieno* II. *Coſſ.* Franci in Galliam erumpunt.
256. *Maximo* II. *& Glabrione Coſſ.*
257. *Valeriano* IV. *& Gallieno* III. *Coſſ.*
258. *Tuſco & Baſſo Coſſ.*
259. *Æmiliano & Baſſo* II *Coſſ.* Gallienus, patre à Perſis capto, ſolus rerum potitur. Franci, direptâ Galliâ, Tarraconem expugnant; & Hiſpaniam per annos ferè XII vaſtant.
260. *Sæculare & Donato Coſſ.*
261. *Gallieno* IV *& Voluſiano Coſſ.*
262. *Gallieno* V *& Fauſtino Coſſ.*
263. *Albino & Dextro Coſſ.*
264. *Gallieno* VI *& Saturnino Coſſ.*
265. *Valeriano* II *& Lucillo Coſſ.* aliàs, *Valeriano iuniore & Rufiniano Coſſ.*
266. *Gallieno* VII *& Sabinillo Coſſ.*
267 *Paterno & Arceſilao Coſſ.*
268. *Paterno* II *& Mariniano Coſſ.* aliàs, *Paterno* II *& Marciano Coſſ.* Claudius imperat.
269. *Claudio A. & Paterno Coſſ.*
270. *Antiochiano & Orfito Coſſ.* Aurelianus appellatur Auguſtus.
271. *Aureliano A. & Baſſo Coſſ.*
272. *Quieto & Voldumiano Coſſ.*
273. *Tacito & Placidiano Coſſ.*
274. *Aureliano* II *& Capitolino Coſſ.*
275. *Aureliano* III *& Marcellino Coſſ.* Tacitus imperat. Franci, cum Burgundionibus & Vandalis, multas Galliæ vrbes occupant.
276. *Tacito Aug.* II *& Æmiliano Coſſ.* Probus Imperij potitur, & Francos per legatos vincit.
277. *Probo Aug. & Paullino Coſſ.*
278. *Probo A.* II *& Lupo Coſſ.* Circa id tempus pauculi Franci Aſiam, & Græciam vexant, capiúntque Syracuſas.
279. *Probo A.* III *& Paterno Coſſ.*
280. *Meſſalla & Grato Coſſ.*
281. *Probo Aug.* IV *& Tiberiano Coſſ.*
282. *Probo* V *& Victorino Coſſ.* Carus Imperium Rom. obtinet.
283. *Caro A.* II *& Carino Cæſ. Coſſ.*
284. *Carino A.* II *& Numeriano A. Coſſ.* Carinus & Numerianus imperant.
285. *Diocletiano Aug.* II *& Ariſtobulo Coſſ.* Diocletianus, interfecto Carino, eius in locum Imperator, & Conſul eſt factus, cùm annus antea notaretur *Carino Aug.* III *& Ariſtobulo Coſſ.*

286. *Maximo & Aquilino Coss.* Maximianus à Diocletiano Cæſar creatur.
287. *Diocletiano* III *& Maximiano Coss.* Franci & Saxones oras Belgicæ & Armoricæ infeſtant. Maximianus Herculius ex Cæſare Auguſtus & conſors Imperij à Diocletiano appellatur.
288. *Maximiano A.* II *& Ianuario Coss.* Genobaudes & Atech regnant in Francia. ibi Atech cum Maximiano Aug. colloquitur, & pacem facit.
289. *Baſſo* II *& Quintiano Coss.*
290. *Diocletiano A.* IV *& Maximiano A.* III *Coss.*
291. *Tiberiano* II *& Dione Caſſio Coss.* Conſtantius & Maximianus Cæſares fiunt. priori Galliæ commiſſæ, poſteriori Illyrici prouinciæ. Bononia à Conſtantio Cæſ. capta, Batauia Francis erepta.
292. *Hanniballiano & Aſclepiodoto Coss.*
293. *Diocletiano* V *& Maximiano* IV *Coss.*
294. *Conſtantio Cæſare, & Maximiano Cæſare Coss.*
295. *Tuſco & Anulino Coss.*
296. *Diocletiano Aug.* VI *& Conſtantio Cæſ.* II *Coss.*
297. *Maximiano A.* V *& Maximiano Iouio Cæſ.* II *Coss.*
298. *Anicio Fauſto* II *& Seuero Gallo Coss.*
299. *Diocletiano Aug.* VII *& Maximiano Aug.* VI *Coss.*
300. *Conſtantio Cæſ.* III *& Maximiano Iouio Cæſ.* III *Coss.*
301. *Titiano* II *& Nepotiano Coss.*
302. *Conſtantio Cæſ.* IV *& Maximiano Cæſ.* IV *Coss.*
303. *Diocletiano Aug.* VIII *& Maximiano Aug.* VII *Coss.*
304. *Diocletiano Aug.* IX *& Maximiano Aug.* VIII *Coss.* Diocletiano & Maximiano Herculio purpuram ſponte deponentibus, Conſtantius, & Galerius Maximianus cognomine Iouius, qui Cæſares erant, Auguſti ſunt appellati.
305. *Conſtantio Aug.* V *& Maximiano Aug.* V *Coss.*
306. *Conſtantio Aug.* VI *& Maximiano Aug.* VI *Coss.* Conſtantinus, mortuo patre Conſtantio, imperium Galliarum obtinet; & Aſcaricum ac Regaiſum, Francorum Reges, Galliam depopulantes vincit, captóſque feris obiicit, deinde Franciam ingreditur.
307. *Maximiano Herculio nouies, & Conſtantino Aug. Coss.*
308. *Maximiano Herculio decies & Maximiano Iouio ſepties Coss.* in Italia & Africa *Maxentio & Romulo Coss.*
309. *Poſt Conſulatum decimum, & ſeptimum:* aliàs, *Rufino & Euſebio Coss.* in Italia *Maxentio* II *& Romulo* II *Coss.*
310. *Anno* II *poſt Conſulatum decimum, & ſeptimum:* in Italia *Maxentio* III *ſolo Coſ.* Maximianus ſenior, cognomine Herculius, perit.
311. *Maximiano Aug.* VIII *& Licinio Coss.* in Italia *Rufino & Voluſiano Coss.* Maximianus iunior, cognomine Iouius decedit.
312. *Conſtantino Aug.* II *& Licinio Aug.* II *Coss.* in Italia *Maxentio* IV *ſolo Coſ.* Maxentius à Conſtantino victus & cæſus. Galerius Maximinus, qui in Oriente regnabat, perit.
313. *Conſtantino* III *& Licinio* III *Coss.* Franci in Gallia victi, & Francia à Conſtantino vaſtata.
314. *Voluſiano & Anniano Coss.*
315. *Conſtantino* IV *& Licinio* IV *Coss.*
316. *Sabino & Rufino Coss.* Diocletianus apud Salonam priuatus moritur.
317. *Gallicano & Baſſo Coss.* Criſpus, Licinius, & Conſtantinus Cæſares creati. Criſpo Cæſari Gallia commiſſa.
318. *Licinio A.* V *& Criſpo Cæſ. Coss.*
319. *Conſtantino A.* V *& Licinio Cæſ. Coss.*

320. *Constantino A.* VI *& Constantino Cas. Coss.*
321. *Crispo Cas.* II *& Constantino Cas.* II *Coss.*
322. *Probiano & Iuliano Coss.*
323. *Seuero & Rufino Coss.*
324. *Crispo Cas.* III *& Constantino Cas.* III *Coss.* Constantius, Constantini A. filius, Cæsar appellatur.
325. *Paullino & Iuliano Coss.* Licinius victus à Constantino A. & priuatus ex Imperatore factus, interficitur.
326. *Constantino A.* VII *& Constantio Cas. Coss.* Crispus Cæsar, Constantini A. patris sui iussu interemtus. Romæ Constantinus Vicennalia edidit.
327. *Constantino & Maximo Coss.*
328. *Ianuario & Iusto Coss.*
329. *Constantino A.* VIII *& Constantino Cas.* IV *Coss.*
330. *Gallicano & Symmacho Coss.* Dedicatur Constantinopolis v Idus Maias.
331. *Basso & Ablabio Coss.*
332. *Pacatiano & Hilariano Coss.*
333. *Delmatio & Xenophilo Coss.* Constans à Constantino A. patre suo Cæsar creatur.
334. *Optato & Paullino Coss.*
335. *Iulio Constantio & Rufino Albino Coss.*
336. *Nepotiano & Facundo Coss.*
337. *Feliciano & Titiano Coss.* Constantinus moritur, eiúsque filij Constantinus iunior, Constantius, & Constans, qui Cæsares erant, Augusti salutantur. è quibus Constantinus maior natu Gallias obtinet.
338. *Vrso & Polemio Coss.*
339. *Constantio A.* II *& Constante A. Coss.*
340. *Acindyno & Proculo Coss.* Constantinus iunior A. ab exercitu Constantis fratris victus & cæsus.
341. *Marcellino & Probino Coss.* Franci in Galliam erumpunt, & cum Constante Aug. variâ fortunâ pugnant.
342. *Constantio A.* III *& Constante A.* II *Coss.* Constans pacem cum Francis facit.
343. *Placido & Romulo Coss.*
344. *Leontio & Sallustio Coss.*
345. *Amantio & Albino Coss.*
346. *Constantio* IV *& Constante* III *Coss.*
347. *Rufino & Eusebio Coss.*
348. *Philippo & Salia Coss.*
349. *Limenio & Catullino Coss.*
350. *Sergio & Nigriniano Coss.* Magnentius, natione Francus, Constantem A. per Gaisonem Francum interficit, & Occidentis Imperium obtinet.
351. *Post Consulatum Sergij & Nigriniani* in Oriente; at in Occidente *Magnentio & Gaisone Coss.* Magnentius ad Mursiam acie vincitur à Constantio A. Constantius Gallus ab eodem Cæsar creatur.
352. *Constantio Aug.* V *& Constantio Gallo Cas. Coss.* in Oriente; in Occidente autem *Decentio & Paullo Coss.* Magnentius ad Longaticum vincitur, apud Ticinum vincit.
353. *Constantio A.* VI *& Constantio Gallo Cas.* II *Coss.* Magnentius victus Lugduni gladio se transfigit. Decentius Cæsar, eius frater, se suspendit.
354. *Constantio A.* VII *& Constantio Cas.* III *Coss.* Constantius Cæsar iussu Constantij A. capite truncatur.

355. *Arbetione & Lolliano Coss.* Siluanus, Francus, Magister peditum per Gallias, Coloniæ Agrippinæ Augustus appellatur, & XXVII imperij die interficitur. Iulianus à Constantio Aug. Cæsar creatur, & præficitur Galliis VIII Idus Nouemb. Florebant tum in Palatio Malaricus Gentilium rector, Mallobaudes Tribunus Armaturarum, Laniogaisus Tribunus, aliique Francorum Optimates.

356. *Constantio A.* VIII *& Iuliano Cæs. Coss.* Iulianus Cæsar Coloniam à Francis ante x. menses captam recipit, & pacem ibidem cum Francorum Regibus facit.

357. *Constantio Aug.* IX *& Iuliano Cæs.* II *Coss.*

358. *Datiano & Cereale Coss.*

359. *Eusebio & Hypatio Coss.* Iulianus Cæsar Saliis & Chamauis, Francicis gentibus, bellum infert: Salios complures in deditionem accipit: cum Chamauorum Rege Nebiogaste pacem acceptis obsidibus facit.

360. *Constantio A.* X *& Iuliano Cæs.* III *Coss.* Iulianus Cæsar Luteciæ Parisiorum, vbi hiemabat, Augustus appellatur, ac Franciæ fines ingreditur.

361. *Tauro & Florentio Coss.* Constantio A. mortuo, Iulianus solus imperat.

362. *Mamertino & Neuitta Coss.*

363. *Iuliano A.* IV *& Sallustio Coss.* Iulianus occiditur in Persarum finibus, & Iouianus imperat. Malaricus, Francus, ex-Tribuno Gentilium, Magisterium militum Galliarum recusat.

364. *Iouiano Aug. & Varroniano Nobilissimo Coss.* Iouiano A. mortuo sufficitur Valentinianus, qui Valentem fratrem in consortionem Imperij recepit, ac Orienti præposuit, Occidentem ipse recturus.

365. *Valentiniano Aug. & Valente Aug. Coss.* Charietto, Francus, Comes per vtramque Germaniam, ab Alamannis interficitur.

366. *Gratiano Nobilissimo & Dagalaifo Coss.* Iouinus Magister equitum vincit Alamannos.

367. *Lupicino & Iouino Coss.* Gratianus apud Ambianos à Valentiniano A. patre creatur Augustus. Franci, & Saxones Gallias terra marique infestant, & à Theodosio Comite vincuntur.

368. *Valentiniano* II *& Valente* II *Coss.*

369. *Valentiniano Nobiliss. puero & Victore Coss.*

370. *Valentiniano* III *& Valente* III *Coss.* Saxones in Gallia perfidiâ Romanorum circumuenti.

371. *Gratiano Aug.* II *& Probo Coss.*

372. *Modesto & Arinthæo Coss.*

373. *Valentiniano* IV *& Valente* IV *Coss.* Saxones circa Deusonem in Francia à Rom. cæsi. Burgundionum XXC ferè millia ad Renum descendunt.

374. *Gratiano A.* III *& Æquitio Coss.*

375. *Post Consulatum Gratiani* III *& Æquitij.* Valentinianus A. obit, & Valentinianus iunior, eius filius, Augustus appellatur. cui Gratianus Italiam & Africam dedit, Galliis sibi retentis.

376. *Valente Aug.* V *& Valentiniano iuniore Aug. Coss.*

377. *Gratiano A.* IV *& Merobaude Coss.*

378. *Valente Aug.* VI *& Valentiniano A.* II *Coss.* Mallobaudes Rex Francorum, & Comes Domesticorum Gratiani Aug. Alamannos acie vincit in Gallia, & Priarium eorum Regem interficit. idem postea Macrianum Alamannorum Regem in Franciæ finibus victum occidit. Eodem anno Ricomeres, Francus, Theodomeris Regis Francorum ex Ascila pater, Comes Domesticorum Gratiani similiter fuit.

379. *Ausonio & Olybrio Coss.* Theodosius, Theodosij Magistri equitum fi-

lius, à Gratiano Aug. creatur Imperator, Orientíque præficitur.

380. *Gratiano Aug.* v *& Theodosio Aug. Coss.*

381. *Syagrio & Eucherio Coss.*

382. *Antonio & Syagrio Coss.* Priamum tum regnâsse in Francia auctor est Prosper.

383. *Merobaude* II *& Saturnino Coss.* Theodosius Aug. Arcadium, maiorem natu filium, Augustum appellandum curat. Maximus, ex Britannia transgressus in Galliam, Gratianum Aug. apud Parisios vincit, & circa Lugdunum interficit, Galliásque occupat.

384. *Richomere & Clearcho Coss.* Hic est Ricomeres Francus, quem Theodosius A. Magistrum vtriusque militiæ, deinde Consulem fecit.

385. *Arcadio Aug. & Bautone Coss.* Hic Bauto, Græcis Baudo meliùs dictus, natione Francus fuit, Dúxque Gratiani primùm, deinde Valentiniani celeberrimus, à quo creatus Consul Mediolani sumsit insignia Consularia, & ab Augustino tum Rhetore laudatus est.

386. *Honorio Nobiliss. puero, & Euodio Coss.*

387. *Valentiniano Aug.* III *& Eutropio Coss.*

388. *Theodosio Aug.* II *& Cynegio Coss.* Genobaudes, Marcomeres, & Sunno Francorum Reges in Galliam erumpunt, & vastatis eius prouinciis, Coloniæ metum incutiunt. Quintinus, Dux Maximi, Franciam ingressus cum exercitu, magnam ibi cladem accipit. Maximus à Valentiniano A. & Theodosio Aug. apud Aquileiam victus, capite truncatur. Arbogastes Comes, genere Francus, Victorem Cæsarem, Maximi filium, in Gallia interficit.

389. *Timasio & Promoto Coss.* Franci ex Gallia prædas agunt. Valentinianus, cum Marcomere & Sunnone Francorum Regibus collocutus, pacem acceptis obsidibus facit.

390. *Valentiniano Aug.* IV *& Neoterio Coss.*

391. *Tatiano & Symmacho Coss.*

392. *Arcadio Aug.* II *& Rufino Coss.* Arbogastes, Francus, Magister militiæ, Valentinianum Aug. Viennæ interimit, & Eugenium Imperatorem facit: & Sunnoni ac Marcomeri Franc. Regibus infensus, Franciam vastat.

393. *Theodosio Aug.* III *& Abundantio* in Oriente *Coss.* in Occidente autem *Theodosio A.* III *& Eugenio P. N. Coss.* Theodosius Honorium, minorem filium, Augustum appellat.

394. *Arcadio Aug.* III *& Honorio Aug.* II *Coss.* in Occidente *Arbogaste & Flauiano Coss.* Eugenius & Arbogastes magnis Francorum auxiliis freti, magis diuina virtute quàm vi Theodosianorum superantur. Arbogastes se duobus gladiis transfuerberat.

395. *Olybrio & Probino Coss.* Theodosio mortuo, Arcadius in Oriente, Honorius in Occidente regnat. Honorius per Stiliconem Magistrum militum fœdus ex more cum Francis init. Arcadius Eudoxiam, Bautonis supradicti, viri Franci, filiam ducit vxorem.

396. *Arcadio Aug.* IV *& Honorio Aug.* III *Coss.*

397. *Attico & Cæsario Coss.* aliàs, *Cæsario & Attico Coss.*

398. *Honorio Aug.* IV *& Eutychiano Coss.*

399. *Mallio Theodoro & Eutropio Coss.* Huius Eutropij eunuchi, paullo pòst deportati, deinde occisi, nomen ex Fastis crasum.

400. *Stilicone & Aureliano Coss.*

401. *Vincentio & Fravito Coss.*

402. *Arcadio Aug.* V *& Honorio Aug.* V *Coss.* Theodosius IX mensium infans à patre Arcadio Augustus creatur.

403. *Theodosio iuniore Aug. & Rumorido Coss.*
404. *Honorio* VI *& Aristaeneto Coss.*
405. *Stilicone* II *& Anthemio Coss.* Godigisclum Regem Vandalorum[1], per Franciam iter in Galliam facientem, Franci acie fundunt, & occidunt, XX Vandalorum millibus cæsis.
406. *Arcadio* VI *& Probo Coss.* Alani, Vandali, Sueui, Burgundiones, aliæque gentes Barbaræ Gallias pridie Kalendas Ianuar. ingrediuntur.
407. *Honorio* VII *& Theodosio iuniore* II *Coss.*
408. *Basso & Philippo Coss.* Constantinus in Britannia tyrannus exoritur, & Galliarum imperium occupat. Arcadio A. mortuo, Theodosius iunior, eius filius, in Oriente solus imperat.
409. *Honorio* VIII *& Theodosio iuniore* III *Coss.* in Gallia *Constantino Cos.* Alani, Vandali, & Sueui Hispaniis se superfundunt. Attalus Romæ fit Imperator. Goar Alanorum Regulus cum suis remanet in Gallia.
410. *Fl. Varane & Tertullo Coss.* Huius Tertulli, ab Attalo Consulis facti, nomen è Fastis postmodum erasum. Roma à Gothis, Alarici ductu, capitur & diripitur. Gaiso, Francus, Comes sacrarum largitionum, deinde Magister Officiorum Honorij A. fuit.
411. *Theodosio Aug.* IV *Cos.* Constantius Dux Honorij Edobicum, Francum, Magistrum militum Constantini tyranni, auxiliis Francicis instructum vincit. quo cognito Arelatenses Constantinum viuum Constantio tradunt.
412. *Honorio* IX *& Theodosio* V *Coss.* Gothi, qui & Vesigothi, Ataulfi Regis ductu Gallias ingrediuntur.
413. *Heracliano & Lucio Coss.* Heracliani Consulis, ob affectatam tyrannidem interfecti, nomen è Fastis erasum. Burgundiones partem prouinciæ Germaniæ primæ Reno propinquam obtinent Gundicario Rege. Iouinus & Sebastianus fratres, in Galliis tyranni orti, paullo pòst occidunt. Vrbs Treuirorum à Francis direpta; & Castinus Domesticorum Comes aduersus eos missus.
414. *Constantio & Constante Coss.* Attalus, adiutoribus Vesigothis, purpuram resumit in Gallia.
415. *Honorio* X *& Theodosio* VI *Coss.* Attalus à Vesigothis destitutus capitur, & Constantio Patricio traditur. Ataulfus Rex Vesigothorum à suis interimitur, deinde Sigericus, cui Valia succedit.
416. *Theodosio* VII *& Palladio Coss.*
417. *Honorio* XI *& Constantio* II *Coss.*
418. *Honorio* XII *& Theodosio* VIII *Coss.*
419. *Monaxio & Plinta Coss.* Valiæ Vesigothorum Regi Aquitania II, & Tolosa, cum quibusdam aliis vrbibus datur ab Honorio. Defuncto Valiæ eodem anno Theodoricus substituitur.
420. *Theodosio* IX *& Constantio* III *Coss.* Honorius Aug. Constantio Patricio, Placidiæ sororis suæ viro, societatem imperij defert inuitus. Circa id tempus Faramundus regnat in Francia.
421. *Agricola & Eustathio Coss.* Constantius Aug. imperij mense VII decedit.
422. *Honorio* XIII *& Theodosio* X *Coss.* Castinus, Magister militiæ, à Vandalis in Bætica magno prœlio superatur, amissis militum millibus ferè XX.
423. *Mariniano & Asclepiodoto Coss.* Honorius Aug. Placidiam sororem suam cum liberis pellit, ac paullo pòst moritur, & Ioannes Imperium Occidentis occupat.
424. *Castino & Victore Coss.* Theodosius Aug. Valentinianum, Constantij Aug. & Placidiæ amitæ suæ filium, Cæsarem facit, & ad recipiendum Occidentem cum copiis mittit.

425. *Theodosio A.* XI *& Valentiniano Cæsare Coss.* Ioanne tyranno oppresso, Valentinianus, sextum annum agens, decreto Theodosij Augustus appellatur. Placidiæ Aug. filij & Imperij tutela commissa.

426. *Theodosio A.* XII *& Valentiniano Aug.* II *Coss.*

427. *Hierio & Ardabure Coss.* Vandali, inuitati à Bonifatio, ductu Geiserici in Africam transeunt.

428. *Felice & Tauro Coss.* Chlodio, Faramundi filius, regnat in Francia. pars Galliæ, propinqua Reno, quam Franci possidendam occupauerant, Aëtij Comitis ductu recepta.

429. *Florentio & Dionysio Coss.* Aëtius, Magister militum factus, Iuthungos vincit gentem Alamannam.

430. *Theodosio* XIII *& Valentiniano* III *Coss.* Aëtius Noricos rebellantes domat.

431. *Basso & Antiocho Coss.*

432. *Aëtio & Valerio Coss.*

433. *Theodosio* XIV *& Maximo Coss.*

434. *Aspare & Ariobindo Coss.*

435. *Theodosio* XV *& Valentiniano* IV *Coss.* Pax cum Geiserico Rege Vandalorum facta, datâ ei Africæ parte. Gundicarius, Rex Burgundionum in Gallia, Belgicæ primæ manum iniiciens, ab Aëtio funditur.

436. *Isidoro & Senatore Coss.* Gundicarius Rex, amissis suorum millibus XX, pacem ab Aëtio impetrat, & paullo pòst ab Vptaro Hunnorum Rege interficitur. ei successere Gundiucus ac Chilpericus filij. Vesigothi pace rupta Narbonem frustra obsident.

437. *Aëtio* II *& Sigisuulto Coss.* Bellum aduersus Vesigothos, Hunnis auxiliaribus, geritur. Chlodio Francorum Rex, saltu Carbonario, Turnaco, & Camaraco ac Ambianis occupatis, sedem capit in Gallia.

438. *Theodosio* XVI *& Fausto Coss.* Aëtio Duce VIII millia Vesigothorum cæsa.

439. *Theodosio* XVII *& Festo Coss.* Litorius Comes à Vesigothis victus & captus, & pax cum eis facta. Geisericus Vandalorum Rex Carthaginem, pace rupta, ac omnem simul Africam capit.

440. *Valentiniano Aug.* V *& Anatolio Coss.* Deserta pars agri Valentini Alanis traditur, cum incolis diuidenda.

441. *Cyro V. C. Cos.* Britannia ab Anglis occupatur. Attila & Bleda, Hunnorum Reges, Illyricum vastant.

442. *Dioscoro & Eudoxio Coss.* Attila & Bleda Illyricum & Thraciam depopulantur. cum Geiserico à Valentiniano Aug. pax pacta, & Africa inter vtrumque diuisa. Alani, quibus agri dati erant ab Aëtio Patricio, expulsis dominis, terræ possessionem vi adipiscuntur, ductu Sangibani Regis.

443. *Maximo* II *& Paterio*, vel *Paterno Coss.* Sapaudia Burgundionibus datur cum indigenis diuidenda.

444. *Theodosio* XVIII *& Albino Coss.* Attila Bledam fratrem & regni consortem interimit.

445. *Valentiniano* VI *& Nomo Coss.*

446. *Aëtio* III *& Symmacho Coss.*

447. *Callepio & Ardabure Coss.* aliàs, *Ardabure & Alypio Coss.* Attila totam Thraciam & Illyricum vastat, fuso exercitu Romano.

448. *Postumiano & Zenone Coss.* Chlodione defuncto, regnat apud Francos Meroueus.

449. *Asturio & Protogene Coss.* aliàs, *Asterio & Protogene Coss.*

450. *Valentiniano* VII *& Auieno*, vel *Abieno Coss.* Theodosius Aug. obit,

cuius soror Pulcheria Aug. Marcianum Imperatorem facit, eique anus nubit. Galla Placidia Aug. Romæ moritur.

451. *Marciano Aug. & Adelphio Coss.* Attila Hunnorum Rex Galliam depopulatur, & in campis Catalaunicis, cruento vtrimque certamine commisso, pulsus ab Aëtio, domum redit. Huic prœlio Merouecus Francorum Rex cum magnis copiis interfuit, accitus ab Aëtio, & Theodoricus Vesigothorum Rex, cui ibidem ab Hunnis interfecto Thorismodus filius substituitur.

452. *Herculano, & Sporacio*, vel *Sphoracio Coss.* Attila redintegratis viribus Italiam ingreditur, Aquileiam, & multas alias vrbes excidit, & Valentiniano Aug. pacem per legatos petenti annuit.

453. *Opilione & Vincomalo Coss.* Pulcheria Aug. & Attila decedunt. Thorismodus quoque Vesigoth. Rex à Theodorico & Friderico fratribus iugulatur, & Regnum occupat Theodoricus iunior.

454. *Aëtio & Studio Coss.* Aëtius Patricius Valentiniani Aug. manu in Palatio confoditur.

455. *Valentiniano* VIII *& Anthemio Coss.* Valentinianus ab Aëtij satellitibus auctore Maximo occiditur. Maximus LXXVII imperij die à famulis regiis & militibus dilaniatur. Geisericus Vrbem diripit. Auitus in Gallia fit Imperator. Merouecus Francorum Rex per Germaniam primam, ac Belgicam II arma circumfert, & Regnum, quod Suminâ terminabatur, vsque ad Sequanam prolatat.

456. *Ioanne & Varane Coss.* In Oriente: in Occidente autem *Auito Aug. Consule.* Augusta Treuirorum à Meroueo direpta & incensa. Auitus Aug. à Ricimere Magistro militum capitur, & fit Episcopus. Gundiucus & Chilpericus, Burgundionum Reges, fines Regni sui proferunt.

457. *Constantino & Rufo Coss.* In Oriente mortuo Marciano Aug. Leo ab exercitu Imperator consalutatur VII Idus Februar. Maiorianus quoque in Occidente fit Imperator consensu & voluntate Leonis Aug.

458. *Leone Aug. & Maioriano Aug. Coss.* Meroueo patri suo, Francorum Regi, Childericus succedit. Ægidius Galliæ Magister militum datur.

459. *Ricimere & Patricio Coss.* Maiorianus Aug. cum Theodorico Rege Vesigothorum pacem & societatem init.

460. *Magno & Apollonio Coss.* Maiorianus, Africam & Vandalos petens, abductis à Geiserico nauibus suis vacuis, desistere incepto cogitur.

461. *Seuerino & Dagalaifo Coss.* Maiorianus A. à Ricimere Patricio interficitur, & Seuerus appellatur Augustus.

462. *Leone Aug.* II *& Seuero Aug. Coss.* Agrippinus Comes Narbonem tradit Theodorico Vesigothorum Regi.

463. *Basilio & Viuiano Coss.* aliàs, *Vibiano & Felice Coss.*

464. *Rusticio & Olybrio Coss.* aliàs, *Olybrio & Rustico Coss.*

465. *Hermenerico & Basilisco Coss.* Seuerus Aug. moritur.

466. *Leone A.* III *& Tatiano Coss.*

467. *Pusæo & Ioanne Coss.* Anthemius ad vrbem Romam Augustus appellatur. Theodoricus Rex Vesigothorum ab Eurico fratre interimitur.

468. *Dn. Anthemio Aug.* II *solo Cos.* Leo & Anthemius Geiserico bellum inferunt.

469. *Marciano & Zenone Coss.*

470. *Seuero & Iordane Coss.* Romanus Patricius, affectati Imperij reus, capite truncatur.

471. *Leone Aug.* IV *& Probiano Coss.*

472. *Festo & Marciano Coss.* Ricimer Patricius Olybrium Imperatorem creat, & Anthemium Augustum socerum suum interficit, nec multo pòst obit.

Olybrius

Olybrius Aug. eodem anno moritur.

473. *Leone Aug.* V *solo Cos.* Glycerius Italiæ Imperium arripit. in Oriente Leo A. Leonem nepotem suum Augustum creat.

474. *Leone iuniore Aug. Cos.* Leo iunior patrem suum Zenonem Imperij consortem facit, ac paullo post decedit. Iulius Nepos, Glycerio A. in ordinem coacto & Episcopo constituto, Imperium occupat.

475. *Post Consulatum Leonis iun. Aug.* vel *Zenone Aug.* II *Consule.* Orestes Patricius, Nepote Aug. in Dalmatiam fugato, filium suum Augustulum Imperatorem facit. Euricus Vesigothorum Rex Aruernos, Auaricum, & Turonos circa id tempus occupat.

476. *Basilisco* II *& Armato*, vel *Harmatio Coss.* Odoacer Orestem Patricium victum interficit, & Paullum fratrem eius; castello Augustulum includit, ac euerso Occidentis Imperio Regem se appellari iubet. Geisericus Rex Vandalorum & Alanorum decedit.

477. *Sine Coss.* vel, *Post Consulatum Basilisci* II *& Armati*, Odoacer Prouinciam Eurico Regi donat.

478. *Illo*, vel *Hello V. C. Cos. Indictione* I.

479. *Zenone Aug.* III. *solo Cos.* aliàs, *Zenone Aug.* II. *Cos. solo; Indict.* II.

480. *Basilio iuniore V. C. solo Cos.* aliàs, *Post Consulatum Zenonis* III. *Ind.* III.

481. *Placido V. C. solo Cos. Ind.* IV. Childericus Francorum Rex, post Aurelianos & Andecauos captos, & Regnum à Sequana ad Ligerim prolatum, sub anni exitum moritur.

482. *Seuerino iuniore, & Trocundo*, vel *Trocondo Coss. Ind.* V. Apud Francos regnare cœpit Chlodoueus, filius Childerici.

483. *Fausto V. C. solo Cos.* aliàs, *Post Consulatum Trocundi V. C. Ind.* VI.

484. *Venantio & Theodorico Coss.* aliàs, *D. N. Theoderico & Venantio Coss. Ind.* VII. Eurico Vesigothorum Regi, patri suo, Alaricus succedit.

485. *Symmacho V. C. solo Cos.* aliàs, *post Consulatum Theodorici V. C. Ind.* VIII.

486. *Decio & Longino Coss. Ind.* IX. Chlodoueus Francorum Rex Syagrium Ægidij filium victum acie, & ab Alarico Rege, ad quem perfugerat, traditum interficit.

487. *Boëthio V. C. vnico Cos. Ind.* X. Odoacer Rex Italiæ Febam Regem Rugorum vincit & capit.

488. *Synamio & Sifidio Coss. Ind.* XI.

489. *Probino & Eusebio Coss. Ind.* XII. Theodericus Ostrogothorum Rex, Zenonis permissu, Italiam ingreditur.

490. *Longino* II *& Fausto Coss.* aliàs, *Fausto iuniore Cos. Ind.* XIII.

491. *Olybrio V. C. solo Cos. Ind.* XIV. In Oriente Zenon Aug. decedit. Anastasius ex Silentiario ab Ariadne Aug. fit Imperator. Chlodoueus Toringis victis tributum imponit.

492. *Anastasio Aug. & Rufo Coss. Ind.* XV.

493. *Albino & Eusebio Coss.* aliàs, *Eusebio* II. *& Albino Coss.* vel *Albino V. C. Cos. Ind.* I. Theodericus contra religionem iurisiurandi Rauennæ Odoacrem occidit. Chlodoueus Francorum Rex Chrothildim in matrimonium accipit.

494. *Asterio & Præsidio Coss. Ind.* II.

495. *Viatore V. C. Cos. Ind.* III.

496. *Paullo V. C. Cos.* aliàs, *Post Consulatum Viatoris. Ind.* IV. Chlodoueus, victis apud Tolbiacum Alamannis, Alamanniam & Sueuiam subigit, fitque ex voto Christianus. Francorum pars maior exemplum Regis imitatur. Verodunenses, qui defecerant, à Chlodoueo recipiuntur.

497. *Anastasio Aug.* II. *solo Cos. Ind.* V. aliàs, *P. C. Viatoris anno* II.

498. *Paullino & Ioanne Scytha Coss. Ind.* VI.

499. *Ioanne Gibbo V. C. solo Cos.* aliàs, *Post Consulatum Paulini Ind.* VII.
500. *Patricio & Hypatio Coss. Ind.* VIII. Chlodoueus iunctus Godegisilo Gundobadum Burgundionum Regem, Gundiuci filium, vincit acie, Auenione obsidet, pacem petenti tributum imponit. Eodem anno Gundobadus receptis viribus Godegisilum Regem, fratrem suum, Viennæ captum interemit.
501. *Auieno*, vel *Abieno & Pompeio Coss. Ind.* IX.
502. *Auieno*, vel *Abieno iuniore & Probo Coss. Ind.* X. in Chronico Alexandrino malè, *Probo & Abieno* II *Coss.*
503. *Volusiano & Dexicrate Coss. Ind.* XI.
504. *Cethego V. C. solo Cos. Ind.* XII.
505. *Theodoro & Sabiniano Coss. Ind.* XIII.
506. *Messalla & Areobindo*, vel *Ariobindâ Coss. Ind.* XIV.
507. *Anastasio Aug.* III. *& Venantio Coss. Ind.* XV. Chlodoueus Franc. Rex Alaricum Vesigothorum Regem vincit acie, ac interficit, & Regnum Tolosanum, seu omnem Aquitaniã occupat. Gesalicus Alarico succedit.
508. *Venantio Iuniore & Celere Coss. Ind.* I. Chlodoueus Rex Ecolismam capit, & ab Anastasio Aug. codicillos de Patriciatu accipit. Theodericus Ostrogothorum & Italorum Rex, Alarici socer, Ibam Ducem cum exercitu mittit in Prouinciam, à quo fusi Franci, Arelatum obsidione liberatum, & Prouincia recepta.
509. *Importuno V. C. Cos.* aliàs, *Opportuno solo Cos. Ind.* II. Ostrogothi in Chlodouei Regnum erumpunt.
510. *Boethio solo Cos. Ind.* III. Arelatum iterum obsident Franci, ac obsidionem soluere iterum coguntur.
511. *Felice & Secundino Coss. Ind.* IV. Gesalicus Vesigothorum Rex ab Iba Duce vincitur, & interficitur, & Theodericus Ostrogothorum Rex, sub specie tutelæ Amalarici pueri, nepotis sui, Regnum Vesigothicum occupat. Eodem anno XXXII Episcopi apud Aurelianos iussu Chlodouei conueniunt VI Idus Iulias. Chlodoueus Magnus decedit, & V Kal. Septemb. sepelitur in Basilica SS. Apostolorum, in qua B. Genouefa eodem anno sepulta fuerat. Chlodoueo IV filij succedunt.
512. *Paullo & Moschiano*, vel *Musciano Coss. Ind.* V.
513. *Probo & Clementino Coss. Ind.* VI.
514. *Senatore V. C. solo Cos. Indict.* VII.
515. *Florentio & Anthemio Coss. Ind.* VIII.
516. *Petro V. C. Cos. Ind.* IX. Gundobado Burgundionum Rege defuncto, regnat Sigismundus eius filius.
517. *Anastasio & Agapeto Coss. Ind.* X. hoc est forsitan, *Anastasio Aug.* IV. *& Agapeto Coss.*
518. *Magno solo Cos.* aliàs, *Agapeto* II. *& Magno Coss. Ind.* XI. Anastasius Aug. obit, & Iustinus ex Comite Excubitorum fit Imperator.
519. *Iustino Aug. & Eutharico Coss. Ind.* XII.
520. *Rusticio & Vitaliano Coss. Ind.* XIII.
521. *Valerio & Iustiniano Coss.* aliàs, *Iustiniano & Valerio Coss. Ind.* XIV.
522. *Symmacho & Boëthio Coss. Ind.* XV. Sigisricus iussu Sigismundi Burgundionum Regis, patris sui, occiditur.
523. *Maximo Consule solo. Ind.* I. Sigismundus Rex Burgundiæ à Chlodomere Francorum Rege fusus acie capitur, nec multo pòst interficitur. Regnum Burgundiæ recipit Godomarus frater Sigismundi.
524. *Iustino Aug.* II *& Opilione Coss. Ind.* II. Chlodomeres Francorum Rex à Godomaro Burgundionum Rege i terficitur.
525. *Probo Iuniore & Philoxeno Coss.* aliàs, *Philoxeno & Probo Coss. Ind.* III.

526. *Olybrio solo Cos. Ind.* IV. Theodericus Rex Ostrogothorum ac Vesigothorum decedit, & nepotes eius, Athalaricus Regnum Ostrogothicum; Amalaricus Vesigothorum Regnum obtinuere.
527. *Mauortio Romano*, vel *Mabortio solo Cos. Ind.* V. Iustinus Aug. Iustinianum, sororis suæ filium, Imperatorem creat, & IV pôst mense decedit.
528. *Iustiniano Aug.* II *solo Cos. Ind.* VI.
529. *Decio iuniore V. C. solo Cos. Ind.* VII.
530. *Lampadio & Oreste Coss. Ind.* VIII.
531. *P. C. Lampadij & Orestis, Ind.* IX. Theodoricus, Francorum Rex, Toringis acie victis, & Herminafrido Rege eorum interfecto, Toringiam facit tributariam. Childebertus, Francorum Rex, eodem anno Amalaricum Vesigothorum Regem vincit acie, fugientémque interficit. Theudis regnat in Hispania post Amalaricum.
532. *Item P. C. Lampadij & Orestis Coss. Ind.* X. seu *P. C. Lampadij & Orestis anno* II. Childebertus & Chlotharius fratres, Francorum Reges, fuso Godomaro Rege, omnem Burgundiam occupant.
533. *Ind.* XI. *Iustiniano Aug.* III *Cos. solo.*
534. *Ind.* XII. *Iustiniano Aug.* IV *& Paullino iuniore Coss.* Theodoricus Francorum Rex, maximus natu Chlodouei filiorum, decedit, & Theodebertus eius filius apud Austrasios regnat. Eodem anno Athalaricus Ostrogothorum Rex obit, eíque Theodahadus substituitur. Iustinianus Aug. Africam Vandalis eripit.
535. *Ind.* XIII. *Belisario V. C. solo Cos.* Iustinianus A. legatos de societate belli aduersus Ostrogothos mittit ad Francorum Reges.
536. *Ind.* XIV. *P. C. Belisarij V. C.* Vitigis Theodahadum Regem occidit. Prouincia à Vitige, Ostrogothorum Rege, Francorum Regibus traditur cum parte Alamannorum, quæ post prœlium Tolbiacense in Italiam sese contulerat.
537. *Ind.* XV. *Iterum P. C. Belisarij*, vel *P. C. Belisarij anno* II.
538. *Ind.* I. *Ioanne V. C. solo Cos.* aliàs, *Volusiano & Ioanne Coss.*
539. *Apione, filio Strategij, V. C. solo Cos. Ind.* II. Theodebertus, Francorum Rex, Italiæ fines cum armatis millibus ducentis ingreditur. Vitigis Rex Ostrogothorum Belisario se ac Rauennam dedit.
540. *Ind.* III. *Iustino Iuniore solo Cos.*
541. *Ind.* IV. *Basilio V. C. solo Cos.*
542. *Ind.* V. *Post Consulatum Basilij V. C.*
543. *Ind.* VI. *P. C. Basilij anno* II. Childebertus & Chlotharius Francorum Reges Hispaniam ingrediuntur, Cæsaraugustam obsident, & totam prouinciam Tarraconensem depopulantur.
544. *Ind.* VII. *P. C. Basilij V. C. anno* III.
545. *Ind.* VIII. *P. C. Basilij V. C. anno* IV.
546. *Ind.* IX. *P. C. Basilij V. C. anno* V.
547. *Ind.* X. *P. C. Basilij V. C. anno* VI.
548. *Ind.* XI. *P. C. Basilij V. C. anno* VII. Theudis Vesigothorum Rex occiditur, cui Theudisclus succedit. Theodebertus Francorum Rex obit, successore Theodebaldo filio relicto. Lanthacarius Dux Francorum à Romanis in Italia fusus & cæsus.
549. *Ind.* XII. *P. C. Basilij anno* VIII.
550. *Ind.* XIII. *P. C. Basilij V. C. anno* IX. Vesigothi, iugulato Theudisclo, Agilam Regem salutauere.
551. *Ind.* XIV. *P. C. Basilij anno* X. Iustinianus Aug. legatos ad Theodebaldum Francorum Regem mittit.
552. *Ind.* XV. *P. C. Basilij anno* XI. Liberius Patricius à Iustiniano Aug. in

Hispaniam cum exercitu mittitur, & Narses Patricius in Italiam, qui Totilam & Teiam Ostrogothorum Reges fundit acie, ac interficit, ac omnem Italiam Imperio Romano restituit.

553. *Ind.* I. *P. C. Basilij V. C. anno* XII. Leutharius & Buccelinus, cum Francorum & Alamannorum LXXV millibus, ingrediuntur Italiam.

554. *Ind.* II. *P. C. Basilij V. C. anno* XIII. Leutharius in Italia morbo interit cum suis. Buccelinus, peruagatus ac depopulatus omnem Italiam, à Narse Iustiniani Duce prœlio superatur, & interficitur.

555. *Ind.* III. *P. C. Basilij V. C. anno* XIV. Hamingus Dux Francorum, cùm Ostrogothorum reliquiis ferret auxilium, in Italiæ ab Narse victus & cæsus. Theodebaldus Francorum Austrasiorum Rex defungitur, ciúsque Regnum occupat Chlotharius, maior ipsius patruus, fratre suo Childeberto excluso. Eodem anno cum Saxonibus rebellantibus Chlotharius Francorum Rex feliciter pugnat.

556. *Ind.* IV. *P. C. Basilij V. C. anno* XV. Chlotharius cum Saxonibus, coactus à suis, infeliciter dimicat, pacémque facit.

557. *Ind.* V. *P. C. Basilij V. C. anno* XVI. Chramnus Chlotharij patris Regnum populatur Saxones in Franciam erumpunt. Chlotharius tertiùm Saxoniam ingreditur. Childebertus Campaniam Remensem, quæ Chlotharij erat, igne & ferro vastat.

558. *Ind.* VI. *P. C. Basilij V. C. anno* XVII. Childebertus Rex Francorum moritur, & Regnum eius Chlotharius obtinet.

559. *P. C. Basilij anno* XVIII. *Ind.* VII.

560. *P. C. Basilij anno* XIX. *Ind.* VIII. Chramnus fusis Britannicis auxiliis, quibus fidebat, à Chlothario patre suo victus & captus interficitur.

561. *Ind.* IX. *P. C. Basilij V. C. anno* XX. *imperij Iustiniani* XXXV. Chlotharius Rex Francorum decedit, & IV filios totidem regnorum relinquit successores.

NOTITIA PROVINCIARVM
ET CIVITATVM GALLIÆ.

In Prouinciis Gallicanis quæ ciuitates sint.

In Prouincia Lugdunensi prima Ciuitates numero III.

Metropolis Ciuitas Lugdunensium, *Lyon.*
Ciuitas Æduorum, Augustodunum, *Autun.*
Ciuitas Lingonum, *Langres.*
Castrum Cabillonense, *Chalon.*
Castrum Matisconẽse, *Mascon.*

In Prouincia Lugdunensi secunda Ciuitates numero VII.

Metropolis Ciuitas Rotomagensium, *Roüen.*
Ciuitas Baiocassium, *Bayeux.*
Ciuitas Abrincarum, *Auranches.*
Ciuitas Ebroicorum, *Eureux.*
Ciuitas Saiorum, *Seez.*
Ciuitas Lexouiorum, *Lizieux.*
Ciuitas Constantia, *Constances.*

In Prouincia Lugdunensi tertia Ciuitates numero IX.

Metropolis Ciuitas Turonorum, *Tours.*
Ciuitas Cenomannorũ, *Mans.*
Ciuitas Redonum, *Rennes.*

Ciuitas Andicauorum, *Angers.*
Ciuitas Namnetum, *Nantes.*
Ciuitas Coriosopitum, *vel* Curiosolitum, *Quinpercorentin en Cornoüaille.*
Ciuitas Venetûm, *Vannes.*
Ciuitas Osismorum, *Triguier.*
Ciuitas Diablintum, *Dol.*

In Prouincia Lugdunensi quarta, vel Senonia, Ciuitates numero VII.

Metropolis Ciuitas Senonum, *Sens.*
Ciuitas Carnotum, *Chartres.*
Ciuitas Autisiodorum, *Auxerre.*
Ciuitas Tricassium, *Troyes.*
Ciuitas Aurelianorum, *Orleans.*
Ciuitas Parisiorum, *Paris.*
Ciuitas Meldorum, *Meaux.*

In Prouincia Belgica prima Ciuitates numero IV.

Metropolis Ciuitas Treuerorum, *Treues.*
Ciuitas Mediomatricorũ Metis, *Mets.*
Ciuitas Leucorum Tullum, *Toul.*
Ciuitas Verodunensium, *Verdun.*

In Prouincia Belgica secunda Ciuitates numero XII.

Metropolis Ciuitas Remorum, *Reims.*
Ciuitas Suessionum, *Soissons.*
Ciuitas Catalaunorum, *Chaalons.*
Ciuitas Veromanduorum, *Saint Quentin en Vermandois*, ex aliis *Vermand.*
Ciuitas Atrabatum, *Arras.*
Ciuitas Camaracensium, *Cambray.*
Ciuitas Turnacensium, *Tournay.*
Ciuitas Siluanectum, *Senlis.*
Ciuitas Bellouacorum, *Beauuais.*
Ciuitas Ambianensium, *Amiens.*
Ciuitas Morinûm, Teruanna, *Teroüanne.*
Ciuitas Bononiensium, *Bouloigne.*

In Prouincia Germania prima Ciuitates numero IV.

Metropolis Ciuitas Mogontiacensium, *Mayence.*
Ciuitas Argentoratensium Strataburgus, *Strasbourg.*
Ciuitas Nemetum Spira, *vel* Spiracia, *Spire.*
Ciuitas Vangionum Borbetomagus, *vel* Warmatia, *Vormes.*

In Prouincia Germania secunda Ciuitates numero II.

Metropolis Ciuitas Agrippinensium Colonia, *Cologne.*
Ciuitas Tungrorum, *Tongres.*

In Prouincia Maxima Sequanorum, vel Sequanico, Ciuitates numero IV.

Metropolis Ciuitas Vesontiensium, *Bezançon.*
Ciuitas Equestrium Nouiodunus, *vel* Niuidunum, *Nion prés Lausanne.*
Ciuitas Heluetiorum Auenticum, *Auanche.*
Ciuitas Basiliensium, *Basle.*

Castrum Vindonissense, *Vvindisch.*
Castrum Ebrodunense, *Iuerdun.*
Castrum Rauracense, *vel* Augusta Rauracûm, *Augst.*
Portus Abucini, *vel* Bucini, *aliàs*, Portus Abbucina.

In Prouincia Alpium Graiarum & Penninarum Ciuitates num. II.

Metropolis Ciuitas Centronum Darantasia, *Monstier en Tarentaise.*
Ciuitas Vallensium Octodorum, *Martinach en Vvalais.*

Item in Prouinciis septem.

In Prouincia Viennensi Ciuitates sunt numero XIII.

Metropolis Ciuitas Viennensium, *Vienne.*
Ciuitas Genauensium, *Geneue.*
Ciuitas Gratianopolitana, *Grenoble.*
Ciuitas Albensium Viuarium, *Viuiers.*
Ciuitas Deensium, *Die.*
Ciuitas Valentinorum, *Valence.*
Ciuitas Tricastinorum, *Sainct Paul de Tricastin.*
Ciuitas Vasiensium, *vel* Vasensium, *Vaison.*
Ciuitas Arausicorum, *Orange.*
Ciuitas Cabellicorum, *Cauaillon.*
Ciuitas Auennicorum, *Auignon.*
Ciuitas Arelatensium, *Arles.*
Ciuitas Massiliensium, *Marseille.*

In Prouincià Aquitania, vel Aquitanica prima Ciuitates num. VIII.

Metropolis Ciuitas Biturigum, *Bourges.*
Ciuitas Aruernorum, *Clermont en Auuergne.*
Ciuitas Rutenorum, *Rodez.*
Ciuitas Albiensium, *aliàs* Albigensium, *Alby.*
Ciuitas Cadurcorum, *Cahors.*
Ciuitas Lemouicum, *Limoges.*
Ciuitas Gabalum Mimate, *Mande en Geuaudan.*
Ciuitas Vellauorum Podium, *le Puy en Velay.*

In Prouincia Aquitania secunda Ciuitates VI.

Metropolis Ciuitas Burdigalensium, *Bourdeaux.*
Ciuitas Aginnensium, *Agen.*
Ciuitas Ecolismensium, *Angoulesme.*
Ciuitas Santonum, *Saintes.*
Ciuitas Pictauorum, *Poitiers.*
Ciuitas Petrocoriorum, *Perigueux.*

In Prouincia Nouempopulana, vel Nouempopulis, vulgò Vasconia dicta, Ciuitates numero XII.

Metropolis Ciuitas Elusatium, *Euse.*
Ciuitas Aquensium, *Aqs*, vel *Dacs.*
Ciuitas Lactoratium, *Laictoure*, vel *Lestore.*
Ciuitas Conuenarum, *Comminges.*
Ciuitas Consorannorum, *Conserans*, vel *Couzerans.*
Ciuitas Boatium, *Bayonne.*
Ciuitas Benarnensium, *Lescar en Bearn.*
Ciuitas Aturensium, *Aire.*
Ciuitas Vasatica, *Basas.*
Ciuitas Turba, *vel* Tursa, vbi

castrum Bigorta. *Vulgò* Tarba Bigerrorum, *Tarbe en Bigorre.*
Ciuitas Elloronensium, *Oleron.*
Ciuitas Ausciorum, *Ausch.*

In Prouincia Narbonensi prima, Septimania & Gothia postea dicta, Ciuitates numero VII.

Metropolis Ciuitas Narbonensium, *Narbonne.*
Ciuitas Tolosatium, *Toulouse.*
Ciuitas Bererrensium, *Beziers.*
Ciuitas Agathensium, *Agde.*
Ciuiras Nemausensium, *Nismes.*
Ciuitas Magalonensium, *Maguelonne.*
Ciuitas Luteuensium, *Lodeue.*
Castrum Vcetiense, *aliàs* Ciuitas Vcetica, *Vzés.*

In Prouincia Narbonensi secunda, vulgò Prouincia dicta, Ciuitates numero VII.


Metropolis Ciuitas Aquensium, *Aix en Prouence.*
Ciuitas Aptensium, *Apt.*
Ciuitas Reiensium, *Riez.*
Ciuitas Foroiuliensium, *Freius.*
Ciuitas Vapincensium, *Gap.*
Ciuitas Segesteriorum, *vel* Segesterica, *antè dicta* Segustero, *Sisteron.*
Ciuitas Antipolitana, *Antibe.*

In Prouincia Alpium Maritimarum, vel Alpina Maritima, Ciuitates numero VIII.

Metropolis Ciuitas Ebrodunensium, *Ambrun.*
Ciuitas Diniensium, *Digne.*
Ciuitas Rigomagensium.
Ciuitas Salinensium.
Ciuitas Sanitiensium, *Senez.*
Ciuitas Glannatina, *vel* Glannateua, *Glandesue*, aut *Glandeuez.*
Ciuitas Cemelenensium, *vel potiùs* Cemenelensium.
Ciuitas Vintiensium, *Vence.*

In Prouinciis XVII *Ciuitates* CXV.





HADRIANI VALESII RERVM FRANCICARVM LIBER PRIMVS.



RES gestas Francorum à primordiis vsque ad Chlotharij maioris mortem scribere aggredior, quam partem historiæ nemo è nostris præter vnum & alterum adhuc attigit, & quam cùm ob venerationem antiquitatis; tum ob claritatem gentis negligi ac pæne omnem omitti non oportuit: nisi fortè nos tentatæ per annos ampliùs CC Galliæ, deinde occupatæ, originúmque ac Maiorum nostrorum pudet, quorum alij Imperatores Romanos pacem & salutem prouinciarum annuo tributo redimere coegerunt; & subactis Germaniæ gentibus semper anteà liberis, docuerunt Germanos nisi à Germanis domari non posse: alij cùm spe honorum & opum inducti ad Romanós se contulissent, Tribunatus legionum, Magisteria militiæ, ordinarios Consulatus, nonnumquam Imperium ipsum quoque, præmia meritorum votis suis maiora sunt consecuti: qui tamen haud paullò maiori laude digni fuissent, si præsenti statu contenti in patria remanere, & eamdem virtutem, quam Romanis aduersus populares

suos sæpenumero præstiterunt, popularibus aduersus Romanos præstare maluissent. Me quidem, vtcumque hæc accipientur, nequaquam pænitebit clarissimæ gentis ac summorum virorum facta supra millesimum & trecentesimum annum repetita veterum auctorum collatione illustrauisse; atque de occasu Imperij Occidentis, & de obscuris initiis nationum, quibuscum Franci bella gesserunt, noua nec à quoquam prodita dixisse; & hoc qualecumque est munus patriæ obtulisse, cui si nihil aliud, fidem certè ac diligentiam præstare conabor.

Anno Christi nati CCLV.



RANCORVM nomen Romanis primùm audiri, & arma metui cœpere Valeriani principatu, cùm pauci ex his traiecto Reno, quo à Gallis diuidebantur, in Galliam eruptionem fecerunt, & per inferiorem, superioremque prouinciam Germaniam sunt effusi. Præerat tum opido Mogontiaco Aurelianus Tribunus legionis VI Gallicanæ, qui Francos incõpositos adortus septingentos occidit, trecentos captos sub corona venumdedit: cuius victoriæ tãta Romæ fama percrebuit, vt Aurelianum Imperator Galliarum restitutorem appellaret, & de eo facti versus tota Vrbe percelebrarentur. Ceterùm nemo mirari debet, quòd Francorum nomen à Romanis primùm auditum Valeriano imperante dixerim: cùm contrà Auctor Chronici Alexandrini tradat, Traianum Decium Aug. ante bienniũ quàm Valerianus Imperator appellaretur, dum expeditionem in Francos faceret, vnà cum filio Herennio Etrusco Decio à suis occisum esse: quippe reliqui omnes historici Decios transgressos Danubium in expeditione Gothica periisse scribunt.

Dum Valerianus Aug. in Mesopotamia cum Sapore Rege Persarum aduersis auspiciis pugnat, P. Licinius Gallienus Aug. Francos, quos Aurelius Victor, & Zosimus libro I Germanos vocant, in Galliam incursionem facere conantes transitu Reni strenuè arcuit, vsúsque consilio Postumi, qui tum iuuentæ Gallieni, deinde Salonini eius filij pueritiæ moderator fuit, icto fœdere fe-

rarum gentium motum compressit, & Belgarum securitati consuluit. Vnde apud Zonaram dicitur Gallienus cum Francis bellum gessisse.

Non fuit patre fortunatior in regendo Imperio Gallienus, quo Romæ ludos & conuiuia parante, cùm extra Italiam tot ferè tyranni, quot prouinciæ essent, occasione inuitati Franci complures variis ex pagis, (quippe multæ Germaniæ gentes Francorum finibus, & nomine continebantur) tumultuariis myoparonibus extimam Galliæ oram prædando sunt præteruecti, fretóque Gaditano mare internum ingressi, Hispaniam citeriorem attigere. Ibi Franci non contenti vicorum, & castellorum spoliis, caput ipsum regionis Tarraconem, vrbem maritimarum clarissimam & opulentissimam, nudam præsidio cepere, diripuere, ac diruere: tantúmque tractus eius populis terrorem iniecere, vt annos ferè XII quamdiu Gallienus & Claudius Imperium obtinuerunt, totam Hispaniam in potestate habuerint, & rapinis, cædibus, incendiísque vastauerint: Nonnulli etiam in Africam transmisere, à sociis spe maioris prædæ disiuncti.

De ea Francorum expeditione commemorant Nazarius in Panegyrico, Eusebius Pamphilus in libro I Historiæ temporum, Aurelius Victor, Eutropius, ac Magnus Paullus Orosius. Et Nazarius quidem scribit *Francos, cùm ad bella efferuescerent, vltra ipsum Oceanum æstu furoris euectos, Hispaniarum etiam oras armis infestas habuisse.* Ex quo intelligitur eos nō solùm ętate Gallieni, sed sæpe aliàs partem Hispaniæ Tarraconensis interno mari appositam piraticis expeditionibus terruisse. Eusebius, quem Hieronymus transtulit, addit Gallieno voluptatibus dedito, *à Germanis* (hoc est à Francis) *Hispanias obtinentibus Tarraconem expugnatam esse.* Apud Aurelium Victorem dicitur Gallienus rem Romanam quasi naufragio dedisse, adeo vt *Alamannorum Iuthungi Italiam; Francorum gentes, direptâ Galliâ, Hispaniam possiderent, Tarraconem opidum vastarent, ac pæne diruerent: nactáque in tempore nauigia pars eorum vsque in Africam transiret.* Quibus verbis indicat Victor Francos terrestri iti-

nere totam quàm longa est, Galliam populabundos peragrauisse, transscensóque Pyrenæo Tarraconem cepisse: tum aliis ad excidium Hispaniæ conuersis, alios in vacuas naues opportunè oblatas insiluisse, & in Africam transmisisse. Quæ Victoris sententia quantam cum Nazarij opinione, tantam cum veritate dissimilitudinem habet: quis enim credat Francos non modò nullo hoste prohibente Renum transire; sed etiam omnem Galliam incursione vastare, Pyrenæos montes transgredi, per Hispaniam effundi, & onustos præda retrò quà venerant domum redire potuisse? Eutropius ait Gallieno Reip. habenas per summam ignauiam & mollitiem remittente; *Alamannos depopulatis Galliis in Italiam erupisse: Germanos* (id est Francos) *vsque in Hispanias penetrauisse, & ciuitatem nobilem Tarraconem expugnauisse.* Orosius Hispanus de ea re in libro VII sic refert. *Capto Valeriano, Germani* (ita Iuthungos appellat) *Alpibus, Rætiâ, Italiáque penetratâ, Rauennam vsque perueniunt. Alamanni Gallias peruagati etiam in Italiam transeunt. Germani vlteriores abrasâ potiuntur Hispaniâ. Exstant adhuc per diuersas prouincias in magnarum vrbium ruinis parua, & pauperes ædes, signa miseriarum, & nominum indicia seruantes: ex quibus nos quoque in Hispania Tarraconem nostram ad consolationem miseriæ recentis ostendimus.* Idem eodem in libro deflens luctuosam cladem, quam Alani, Vandali, & Sueui Honorij principatu ætate sua Hispaniæ intulere, antequam eius prouincias factâ inter se pace sortirentur: *Hoc nuper*, inquit, *per biennium illud, quo hostilis gladius sæuiit, sustinuêre à Barbaris Hispaniæ: quod etiam sub Imperatore Gallieno per annos propemodum* XII *Germanis euertentibus exceperunt.* Francos Orosius Germanos vlteriores appellat; non quòd vltra Renum habitabant, eóque flumine à Germanis prouincialibus diuidebantur, nam id & Alamannis conueniebat, sed quòd vlterioris inferiorísve Germaniæ, à citeriore Mæno flumine diuisæ, vltimam partem ripæ Reni & oræ Oceani proximam tenebant: apertéque indicat Tarraconem post excidium nihil præter nomen retinuisse, & intra CXL annos florentissimam quondam ac

validissimam vrbem minimè resurgere potuisse: quamuis Magnus Ausonius in libro de Claris Vrbibus, & Aurelius Prudentius, natione Hispanus, ac Orosij æqualis περὶ στεφάνων prodant sua eam ætate arce, & inauratis tectis insignem fuisse. Alamannorum, quos & tum Orosius Gallias peruagatos ait, Rex erat Chrocus, cui capto apud Arelatum iussu Mariani Præsidis collum præcisum esse Gregorius & Sigibertus scribunt. Hic est Chrocus, qui cunctas ædes antiquas in Gallia, præ ceteris in vrbe Aruernis delubrum vetus è marmore, Vasso à Gallis dictum incendit ac diruit, atque Priuatum Gabalitanæ ecclesiæ Episcopum idola colere recusantem fuste percussit.

Dum Franci igni ferróque Hispaniam vastant: M. Cassius Postumus Gallus, interfecto Salonino Cæsare, Galliarum Imperium occupauit, & (sicut ait Trebellius Pollio) *Celtica, & Francica*, hoc est Germanorum, & Francorum magna accersiuit auxilia: quibus instructus cum Gallieno, Præfectísque Gallieni diu bellum variâ fortunâ gessit: donec tandem, oppresso insidiis Postumo, Lollianus Principatum obtinuit, Victorino ipse cessurus. Sunt qui asserant Lolliani partibus afflictis Postumum à militibus suis occisum esse, quòd Mogontiacum illis ad diripiendum tradere noluerat. At Gallienus, quasi omnibus hostibus superatis, mimicum Romæ triumphum egit Albino II, & Dextro Coss. ostendítque populo Romano ductos in catenis iuuenum globos ducenûm capitum singulos, quorum alium Persarum captiuorum, alium Gothorum, hunc Sarmatarum, illum Francorum esse credi volebat: & decimum imperij annum magnificis ludis celebrauit. Idem postea, siue eos hoc bello ceperat, siue mercede accersiuerat, nonnullos ex Francis delectos corporis custodibus immiscuit. Certè Bonitum, quem Francum natione fuisse nomen indicio est, Stipatorem Gallieni Principis Claudius adhúc priuatus in epistola ad Regillianum Ducem appellat. Ceterùm apud Trebellium Pollionem, & Aurelium Victorem dicitur Postumus non modò Germanas gentes, Francos in primis, armis ex Gallia expulisse, eiúsque prouinciis pacem ac securitatem reddidisse: sed etiam castella trans Renum in

Anno CCLXIII. post Christum natum.

agro barbarorum posuisse, & communiuisse; quæ post cædem Postumi primo impetu Germanorum direpta, ac incensa Lollianus restituit. Deusonem quidem, quod erat in Francia castellum contra Coloniam Agrippinam, præsidio occupauisse Postumum, & Macusam, opidum ~~Batauorum ab Francis captum~~, quod hodiéque Ancusam appellant, recepisse indicant Postumiani nummi, HERCVLI DEVSONIENSI, & HERCVLI MACVSANO inscripti: quorum nota est ex altera parte Postumus, ~~nudus, clauam tenens, ex altera templum.~~ Idémque Postumus, ob pulsos Galliâ Germanos, in quibusdam nummis Reno flumine signatis, RESTITVTOR GALLIÆ, in aliis GERMANICVS MAXIMVS vocatur.

Interemto ab suis Gallieno, & Marco Aurelio Claudio Aug. natione Dardano qui ex Duce factus erat Imperator, intra biennium mortuo, L. Domitius Aurelianus Sirmiensis, Dux fortissimus rerum potitus est, & al-
CCLXXIV. tero Consulatu ex Oriente, & Occidente triumphauit, captâ Zenobiâ Reginâ, Tetrico in deditionem accepto, qui ex Senatore, & Præside prouinciæ Aquitaniæ, beneficio Victoriæ Victorini matris factus erat Imperator: & (quemadmodum Flauius Vopiscus scribit) inter ceteros religatis post tergum manibus Francos, atque Germanos ante currum duxit, quos Tetrico bellum inferens, fortè per Galliam effusos, ac populabundos oppresserat: quare & ipse Germanicus Maximus est appellatus: & Aurelius Victor memoriæ tradit, ab Aureliano, *Germanis Galliâ pulsis, Tetrici legiones cæsas esse.*

Eiusdem Principis auspiciis videtur Marcus Aurelius Probus flumen Renum transiisse, & Francos in suis finibus inopinantes fudisse. Nam cùm Imperium à militibus Probo delatum Senatus decreto confirmaret, eum Francicum vocauit; quòd (vt apud Flauium Vopiscum Syracusanum Manlius Tatianus loquitur) *testes* Probi virtutis *essent Franci in suis strati paludibus: testes Germani, & Alamanni longè à Reni summoti litoribus.*

Florebat tum Pompeianus Dux, qui quòd forsitan Francus natione erat, cognominatus est Francus, quem

in Eusebij Chronicō inuenio in magna apud Immam Aureliani aduersus Zenobiam pugna ad XXX lapidem ab Antiochia fortiter fecisse. Eius posteros sua ætate Antiochiæ adhuc mansisse tradit Hieronymus, in his Euagrium Presbyterum amicum suum, virum diuitem, nobilem, ac doctum, quem principatu Theodosij Magni pars Antiochensium Catholicorum Flauianum auersata Paulini mortui in locum Episcopum suffecit, & quem Basilius in Epistola VIII Presbyterum Euagrium filium Pompeiani Antiochensis appellat.

Aureliano III, & Marcellino Coss. post Aureliani mortem fuit per sex menses sine Imperatore Respublica: militibus ad Senatum inuicem Senatoribus ad milites electionem Principis reiicientibus. Hoc interregnum rei bene gerendæ opportunitatem rati Germani magnis coactis copiis limites aperuere, & vrbes Galliæ LXX opulentissimas velut perpetuæ possessionis causâ occupauere: nec M. Claudius Tacitus ex Consule, & Principe Senatus Augustus salutatus, propter Imperij vix semestris breuitatem potuit vexatæ prouinciæ opitulari: cuius successor Probus Sirmiensis, Magister antè militiæ, Germanorum millibus quadringentis (si ipsi de se credimus) cæsis, opida & prædam omnem recepit: reliquósque trans Renum secutus partim vltra Nicrum flumen, partim vltra Albim remouit: nouem Regibus obsides, frumentum, pecus, ac sexdecim millia tironum imperauit: & his conditionibus pace cum Germaniæ gentibus facta, in supradicta ripa castella è regione extremarum vrbium Galliæ posuit: ac collocatis ibi præsidiis agri quantum satis erat assignauit: quem *limitem transrenanum* Valerianus Aug. apud Pollionem, & Velius Cornificius Gordianus Consul apud Vopiscum appellant. Quare Aurelius Victor prodit à Probo *Barbarorum gentes attritas esse, quæ Principibus Romanis* (hoc est Aureliano, & Tacito) *suorum scelere interfectis irruperant.* Et Eusebius in Chronico, Eutropius libro IX ac Orosius libro VII scribunt Gallias, quas Barbari occupauerant, Probi felicitate restitutas, & multis ac grauibus prœliis deletis tandem hostibus esse liberatas. Bar- CCLXXV.

baros hosce Zosimus in libro primo Lugiones, Lygióſve, Francos, Burgundiones, & Vandalos vocat, aítque Probum, vt vrbes Germaniæ cisrenanæ vexatas à Barbaris accolis Reni vindicaret, in Galliam contendiſſe: ac primùm cum Lugionibus, quorum Ducem nomine Semnonem, Ducíſque filium ceperit; deinde cum Francis, quos per præfectos vicerit, poſtremò cum Burgundionibus, & Vandalis pugnauiſſe: ac demum rebus repetitis, & redditis bellum compoſitum eſſe. Ex ea victoria cognomen Francici maximi, & Germanici maximi retulit Imperator Cæſar M. Aurelius Valerius Probus, vt inſcriptio ab Onufrio Panuinio libro II Faſtorum inſerta confirmat, & Germanos captiuos in triumpho duxit, eóſque, ac ſupradictos tirones per varias Imperij Romani prouincias ſparſit, pleriſque in limitibus conſtitutis.

Euentus docuit mutatione cæli animum non mutari. Pauci enim ex Francis, qui in Ponto fuerant collocati, poſteaquam detineri Probum bellis ciuilibus audierunt, cùm naturali patriæ deſiderio, tum otij impatientia, & odio Romanorum ducti, deprehenſis nauibus Boſporum Thracium, Propontidem, ac Helleſpontum, deinde Ægæum, & Ionium mare ſunt emenſi. In tranſcurſu oras Aſiæ minoris, Thraciæ, Macedoniæ, & Græciæ crebris excurſionibus vexauere. Viſum eſt exinde Siciliam petere inſulam aſſuetudine pacis imbellem, & opulentem: quam vt tenuerunt, agris vaſtatis, vicis incenſis, ipſum prouinciæ caput Syracuſas cum magna ſtrage expugnauerunt, prædáque in naues impoſitâ, Africæ litora legerunt: hanc dum latrocinandi dulcedine illecti ſæpius infeſtant, nihil propius eſt factum, quàm vt miſſis Carthagine copiis opprimerentur. Pulſi itaque celeriter naues conſcenderunt, & Numidiam, ac Mauritaniam prætervecti, ſuperato freto Gaditano, Oceanum intrauerunt. Tandem longo Hiſpaniæ Galliarúmque circuitu ſalui & incolumes in Franciam ad ſuos poſtliminio redierunt.

Expeditionis huius Francorum, & ſuſceptæ audacter, & feliciter fortitérque confectæ, mentionem facit Eumenius in oratione, quam habuit de rebus geſtis Fl. Va-

Valerij Constantij Nobilissimi Cæsaris. *Recursabat* (inquit) *in animos illa sub Diuo Probo paucorum ex Francis captiuorum & incredibilis audacia, & indigna felicitas: qui, à Ponto vsque correptis nauibus, Græciam, Asiámque populati, & impune plerisque Libyæ litoribus appulsi, ipsas postremò, naualibus quondam victoriis nobiles, ceperant Syracusas: & immensò itinere peruecti Oceanum, quà terras irrumpit intrauerant, atque ita euentu temeritatis ostenderant nihil esse clausum Piraticæ desperationi, quò nauigiis pateret accessus.* Zosimus in libro I ab Eumenio dissentit, scribítque Francis aliquot, qui à Probo petierant, vt ipsis agrum daret; sedes attributas esse: nec multo pòst partem eorum ab Imperatore desciuisse: contractísque nauibus omnem Græciam tumultu perturbauisse: inde in Siciliam traiecisse, & classe de improuiso ad Syracusas applicatâ portum intrauisse, ac magnam in vrbe cædem fecisse: mox Libyam petiisse, & à Carthaginensibus in naues compulsam, nullo incommodo accepto domum rediisse. Libyam Eumenius, & Zosimus; vti antè Virgilius, vocant prouinciam Proconsularem, in qua magna Carthago est, quæ apud omnes ferè Geographos, & Historicos propriè Africa dicitur. adeò vt nobilissimum Carthaginensium portum Nazarius, Seuerus Sulpicius in libro de Virtutibus Ægyptiorum Monachorum, atque Gregorius libro x Historiæ Africæ portum appellent. Ceterùm in descriptione nauigationis Zosimum potiùs, & oram ipsam maritimam; quàm Eumenium sum secutus: propterea quòd inter Pontum & Græciam Asia interiacet: & ex Asia in Africam tendentibus plurima cùm continentis, tùm insularum opida, & litora prænauiganda sunt.

Quo tempore supradicti Franci refertis prædâ nauibus patriam petebant: Proculus, à Francis deducens genus, Galliæ Imperium, & quæ prouinciæ eius erant, Hispanias, ac Britanniam obtinuit. quem Probus fugatum in vltimam Galliam, cupientémque Francorum auxiliis adiungi, à quibus originem se trahere dicebat, ipsis prodentibus Francis (vt scribit Vopiscus) apud Coloniam Agrippinam vicit, & interfecit. Idem auctor est,

cùm Romanæ naues lusoriæ appellatæ, in quibus milites ad arcendos transitu Germanos excubare solebant, ab eisdem Germanis in flumine Reno essent incensæ: Bonosum Præfectum classis, ne pœnas negligentiæ daret, Imperium arripuisse, móxque armis Probi, adiuti copiis Francorum, quos Barbaros, & Germanos vocat, circa Coloniam Vbiorum oppressum esse. Tum Probum redditâ Prouinciis pace, in Pannonia, & sicut Aurelius Victor tradit, in Mœsia quoque, & Gallia militum manibus vineas instituisse: & emissâ palude agrum Sirmiensem siccare cœpisse. illos indignantes vinitorum se ac fossorum loco haberi; in Probum impetum fecisse, fugientémque interemisse: ac Marcum Aurelium Carum Narbonensem Præfectum Prætorij Augustum salutauisse. quam Probi cædem suam esse occasionem rati Germani, qui circa ripam Reni colebant, hoc est Franci, atque Alamanni, in Galliam incurrerunt: eiúsque finibus ab Carino Cari filio sunt expulsi. quare Aurelius Victor scribit, missum à Caro ad muniendam Galliam maiorem filium, quam cognitâ Probi morte Barbari opportunè inuaserant. & Olympius Nemesianus in libro Cynegeticôn, quem post Marci Aurelij Cari obitum, Carini, & Numeriani fratrum principatu edidit, alterum Germanorum & Sarmatarum victorem; alterum domitorem Persarum laudat his versibus.

Mox vestros meliore lyrâ memorare triumphos
Aggrediar, Diui fortissima pignora Cari.
Atque canam nostrum geminis sub finibus orbis
Litus, & edomitas fraterno numine gentes,
Quæ Renum, Tigrimque bibunt, Tanaísque remotum
Principium, Nilique vident ab origine fontem.
Nec taceam primum, quæ nuper bella sub Arcto
Felici Carine manu confeceris, ipso
Pæne prior genitore Deo.

Diocletiano II & Aristobulo Coss. Carinus post patris, fratrísque mortem interemtus est, & Diocletianus Dalmata ab exercitu Augustus consalutatus, Maximianum
CCL- amicum suum Cæsarem, ac mox Imperatorem appellan-
XXXVI. dum curauit, qui Maximo & Aquilino Coss. Rusticos,

Bacaudas Gallis dictos, Æliano, & Amando ducibus bellum cientes, & iam vastatis agris opida oppugnantes feliciter oppressit. nec multo pòst Burgundiones, Alamannos, Chabiones, & Erulos, in Galliam effusos partim fame, partim ferro confecit: atque ædificandæ apud Bononiam classi, & vindicando à Francorum, & Saxonum latrociniis mari Belgico, & Armorico Carausium præposuit, quem Eumenius in Batauia; Aurelius Victor in Menapia Galliæ Belgicæ regione ei finitima, natum ait. Is vir obscuræ originis, sed spectatæ virtutis, oblatam sibi facultatem putauit rei familiaris potiùs quàm publicæ agendæ, augendæque. & cùm permultos piratas domum redeuntes exciperet in freto Britannico; neque aut prædam omnem fisco inferret; aut prouincialibus, quæ cuiusque fuerant, restitueret: suspectus fuit societatem latrocinij cum Barbaris coiuisse. quare à Maximiano iussus occidi, corrupto exercitu Britanniam occupauit: vti Aurelius Victor, Eutropius, ac Orosius scribunt.

At Maximianus, indignatus tantâ Francos confidentiâ in Galliam incursiones fecisse; Renum transiit, eorúmque agros inuicem est depopulatus. quam expeditionem hisce apud ipsum verbis extollit Claudius Mamertinus. *Tu, Imperator inuicte, feras illas indomitásque gentes vastatione, prœliis, cædibus, ferro, igníque domuisti. Audieras hoc, Imperator? an ipse per te diuinâ tuâ mente prospexeras, ita demum hostes funditus posse subuerti, si in propriis sedibus vincerentur, nec prædam modò, quam cepissent, amitterent; sed ipsi coniuges, ac liberos, & parentes suos, & carissima omnium capta mærerent.* Eam ob caussam Auctor orationis habitæ in nuptiis Fl. Constantini ait, *Maximianum eius socerum (quod iam falsò traditum de antiquis Imperatoribus putabatur) Romana trans Renum signa primum Barbaris gentibus intulisse.* Quasi non Probus idem paucis antè annis fecisset. Maximianum in Francia statiua habentem Atech seu Adech Rex Francorum, magna multitudine comitatus, pacis petendæ & sui purgandi causâ conuenit: ac rebus ex sententia confectis domum reuertit. Genobaudes autem, quem for-

tasse amantem otij, bellúmque dissuadentem Franci expulerant; tum ab eodem Maximiano in regnum est restitutus. *Per te* (inquit Mamertinus) *regnum recepit Genoboudes: Atech verò munus accepit. quid enim aliud ille expetiuit, in conspectum tuum cum omni sua gente veniendo, nisi vt tunc demum integra auctoritate regnaret, cùm te Maximiane placasset? Ostendit ille te idemtidem, vt audio, popularibus suis: & intueri diu iussit: & obsequia discere: cùm tibi ipse seruiret.* Idem in Genethliaco Maximiani Aug. dicit eum tropæa Germanica in media Barbaria constituisse: & Francos armorum terrore coegisse, vt *ad petendam pacem cum Rege venirent.* Ob hanc, quam Mamertinus vocat *transrenanam victoriam*, & fusis Francis confectum bellum Piraticum: Diocletianus Docleates & Maximianus Pannonius Francici, & Germanici sunt appellati. (quippe titulos suos, sæpe leuibus prœliis quæsitos, alter cum altero communicabant) Certè apud Onufrium vocantur IMPP. CÆSARES. C. AVRELIVS. VALERIVS. DIOCLETIANVS. IOVIVS. ET MARCVS. AVRELIVS. VALERIVS. MAXIMIANVS. HERCVLIVS. II V. IMPERATORES. PII. FELICES. AVGVSTI. PERSICI. FRANCICI. ALEMANNICI. GOTHICI. GERMANICI.

CCXCI. Non multo post expeditionem Germanicam Maximiani, Tiberiano & Dione Coss. Cōstantius ortus opido Dardaniæ Naiso, Flauij Eutropij filius, Crispi Claudij Aug. fratris ex Claudia filia nepos, cū Maximiano Cæsar creatus est: præuersúsque ortus & aduentus sui nuntios in vltimam Galliam contendit: Gesoriacum portum Morinorum, quam & Bononiam vocabant, oppugnauit: & iactis molibus cùm vt Carausianum præsidium exitu, sic Britannica auxilia aditu prohiberet, in fidem recepit. deinde terram Batauiam, quam permittente Carausio Chamaui, Frisij, aliæque Francorum gentes occupauerant, recuperauit: Francósque partim interfecit, partim expulit, partim captos vnà cum coniugibus & liberis in incultis agris Galliæ collocauit: vt quam ipsi fecerant, solitudinem habitarent, & Romana deinceps signa sequerentur ex Germanis prouinciales, ex hostibus com-

militones. præterea hiberna alarum & cohortium, quæ à Francis fuerant euerſa, in ripa Reni reſtituit. Vnde Eumenius in laudatione Conſtantij Cæſ. ſcribit Conſtantium terram Batauiam, quam Vacalis interfluit, & diuortiis aquarum Renus amplectitur, *ſub ipſo quondam alumno ſuo* (id eſt ſub Carauſio Batauo) à diuerſis Francorum gentibus occupatam, ab omni hoſte vindicauiſſe: nec contentum victoria, eas in Romanum ſolum tranſtuliſſe: neque aut ſitu locorum ad fraudes accommodato, aut paludum & ſiluarum perfugiis Barbaros defendi potuiſſe: quominus omnes in deditionem redigerentur, & cum coniugibus, liberis, ac rebus ſuis, magníſque examinibus neceſſitudinum in loca deſerta commigrarent, & in deſtinatas ſibi ſolitudines traducerentur. tum ita orationem concludit: *Inſultare mehercule communi Galliarum nomine libet, & (quod pace veſtra loquar) ipſis triumphum aſſignare prouinciis. arat ergo nunc mihi Chamauus, & Friſius: & ille vagus, ille prædator, exercitio ſqualidus operatur: & frequentat nundinas meas pecore venali: & cultor Barbarus laxat annonam. Quinetiam ſi ad delectum vocetur, accurrit, & obſequiis teritur, & tergo coercetur, & ſeruire ſe militiæ nomine gratulatur.* Idem in orat. de reſtituendis ſcholis Auguſtodun. ait *Batauiam, quæ tum deſineret eſſe Barbaria, non minùs feritate Francorum velut hauſtam deſediſſe, quàm ſi eam circumfuſa flumina, & mare alluens operuiſſet: ac ſub dextra Conſtantij ipſam, atque Britanniam ſqualidum caput ſiluis, & fluctibus tandem exerere.* De eadem Conſtantij expeditione ita loquitur Auctor Epithalamij Conſtantini Aug. & Fauſtæ. *Multa ille Francorum millia, qui Batauiam, aliáſque cis Renum terras inuaſerant, interfecit, depulit, cepit, abduxit.* Et Iulianus ſcribit auos Conſtantij Maximianum, & Conſtantium Barbaros agris, quos iamdudum occupauerant, expuliſſe, iiſque munita caſtella oppoſuiſſe.

Poſt receptam à Conſtantio Batauiam, Carauſius Britanniam nihilominùs tenebat: & magna coacta claſſe, atque ad prædam euocatis non mediocribus copiis Francorum, mare infeſtum habebat: dux acer, & peritus;

felix quoque, si vt contra vim hostium, ita contra domesticorum insidias munitus esse potuisset. Hunc enim septimo anno postquam in insula regnare cœperat, Allectus Præfectus occidit, principatúmque occupauit. Tum primùm Constantio Cæsari spes accessit Britanniæ potiundæ. itaque Reni ripam tuente Maximiano Augusto, ne Franci, aut Alamanni in Galliam irrumperent; Asclepiodotum Præfectum Prætorij, cum parte classis præmisit, reliquis copiis ipse subsecuturus. Et Asclepiodotus quidem ostio fluminis Sequanæ in Oceanum inuectus, nebulâ prospectum adimente, classem hostium ad Vectim insulam stantem feliciter euasit, & in terram milites exposuit. At Allectus in portu Rutupino ad fretum firmo nauium præsidio relicto, cùm aliis, tum maximè Francis mercede conductis fretus, Asclepiodoto occurrit: commissóque prœlio, anno imperij tertio, victus est, & occisus. Complures Franci ex prœlio superfuere, ac Londinium Cantiorum se contulere. fugissêntque direptâ vrbe copiosissima: nisi Constantiani aliquot, qui à commilitonibus fortè deerrauerant, aduerso Tamesi flumine eôdem delati incautos, & per vicos domósque discurrentes oppressissent. Confecto iam bello transiit in Britanniam Constantius: & compositis rebus, quod agri Ambianorum, Bellouacorum, Tricassium, & Lingonum vacabat, à Francis captiuis coli habitaríque iussit: sicut antea Francos dediticios in Treuirorum finibus Maximianus collocauerat. Hic est Constantius, quem quòd in Occidentis partibus Cæsar erat Maximiani Hercul j Aug. bis ab Eumenio in oratione pro restaurandis scholis *Cæsarem Herculium* appellari notasse me, & Ioanni Tristano viro doctissimo indicasse memini.

Ceterùm legimus plerosque Allecti milites, vt quamplurimos secum Germanos habere crederentur, Francorum auxiliarium vestitu habitúque vsos, cæsariem etiam promisisse, ac sapone vnxisse. Certè Eumenius scribit neminem ferè Romanum in acie cæsum esse: solósque Barbaros, aut more Barbariæ cultos, & prolixo crine rutilos; tum verò puluere, & cruore fœdatos totis campis & collibus iacuisse: & inter eos ipsum vexilla-

rium latrocinij. deinde ista subiicit. *Enimuerò, Cæsar inuicte, tanto Deorum immortalium tibi est addicta consensu victoria omnium quidem, quos adortus fueris, hostium; sed præcipuè internecio Francorum: vt illi quoque milites vestri, qui per errorem nebulosi maris abiuncti, ad opidum Londiniense peruenerant: quidquid ex mercenaria illa multitudine Barbarorum prœlio superfuerat, cùm direptâ ciuitate fugam capessere cogitarent, passim totâ vrbe confecerint: & non solùm prouincialibus vestris cæde hostium dederint salutem, sed etiam spectaculo voluptatem. O victoria multiiuga, & innumerabilium triumphorum, quâ Britanniæ restitutæ: quâ gentes Francorum penitus excisæ: denique ad perpetuam quietem maria purgata sunt.* Pulsis Batauiâ, ac Britanniâ Francis meritò Flauius Valerius Constantius Chlorus, (vt apud Onufrium Panuinium in libro II Fastorum legimus) Germanicus, & Francicus est appellatus. Quare Iulianus in laudatione Constantij scribit, auos eius Maximianum Herculium, ac Constantium Galliam ab hostibus vindicauisse: & finitimos Barbaros rapinis, & incursionibus prohibuisse.

Eumenius in oratione habita de rebus gestis Constantini Aug. auctor est Constantium receptâ Britanniâ, *interiores Franciæ nationes non iam ab his locis, quæ olim Romanis eripuerant; sed à propriis, & origine suis sedibus, atque ab vltimis Barbariæ litoribus auellisse: vt in desertis Galliæ regionibus collocatæ, & pacem Romani Imperij cultu iuuarent, & arma delectu.* in Lingonicis campis, & circa Vindonissam Alamannos prœliis fudisse: atque immanem ex diuersis Germanorum populis multitudinem in insula quadam Reni classe circumsedisse, ac in deditionem accepisse.

Diocletianus IX, & Maximianus VIII Coss. Imperium ac purpuram sponte deposuerũt Kal. April. & Fl. Constantium, ac Galerium Maximianum natum in Dacia mediterranea, quos Tiberiano & Dione Coss. Cæsares creauerant, vocato ad concionem exercitu Augustos appellauerunt. CCCIV. CCXCI.

Constantio VI, & Maximiano VI Coss. in Britanniam profectus est Constantius Augustus, vt partem in- CCCVI.

ſulæ ſibi ſubiectam à Pictis, libera Britanniæ gente, vindicaret. quâ occaſione vſi Aſcaricus, & Regaiſus Reges Francorum in Galliam cum magna manu irrupere. Nec multo pòſt mortuo Conſtantio, Flauius Valerius Conſtantinus Naiſitanus, maximus natu è filiis eius, à militibus Gallicanis & Britannicis Imp. appellatus, ex Britannia in Galliam tranſiit: Francóſque inopinantes, vagos, prædâ graues, improuiſo aduentu oppreſſit: Reges ipſos cepit: ambóſque, quòd pacem fortè cum patre ſuo factam rupiſſent, per finitimas vrbes circumductos Gallis oſtentauit: ac Auguſtæ Treuirorum, quæ tum regia eius erat, edito ob victoriam magnificentiſſimo munere, in media amphitheatri arena laniandos beſtiis obiecit: priuſquam à Maximiano Herculio matrimonio filiæ eius Fauſtæ, & Auguſti nomine honoraretur. Francicos quoque ludos inſtituit, & quotannis per ſeptem dies, nimirum ex ante diem Idus Iulias vſque ad XIII Kalendas Aug. cùm aliis ludicris certaminibus, tum maximè Circenſibus, ſupradictam victoriam celebrauit. Sic enim in Faſtis principatu Conſtantini digeſtis legimus.

Pridie Idus Ludi Francici Equorum Italicorum Proborum.

		Idus	
XVII.	*Kalendas Aug.*	*Ludi*	*Francici.*
XVI.		*Ludi*	
XV.		*Ludi*	
XIV.		*Ludi*	
XIII.		*Francici.*	

Eumenius Auguſtodunenſis Rhetor de ea clade à Conſtantino Francis illata ſic ſcribit, vt inuidiam crudelitatis non amoliatur. *Imperatoris igitur filius, & tanti Imperatoris, & ipſe tam feliciter adeptus Imperium, quomodo Rempublicam vindicare cœpiſti? ignobilem credo aliquam Barbarorum manum, quæ repentino impetu, & improuiſo latrocinio ortus tui auſpicia tentâſſet; affeciſti pœnâ temeritatis? Reges ipſos Franciæ, qui per abſentiam patris tui pacem violauerant, non dubitaſti vltimis punire cru-*

cia-

ciatibus: nihil veritus gentis illius odia perpetua, & inexpiabiles iras. cur enim vllam reputet inesse feueritati offensam Imperator, qui quod fecit tueri potest? Te verò, Constantine, quantumlibet oderint hostes, dum perhorrescant. Cautior licèt sit, qui deuinctos habet per veniam perduelles: fortior tamen est, qui calcat iratos. Renouasti, Imperator, veterem illam Romani Imperij fiduciam, quæ de captis hostium Ducibus vindictam morte sumebat. Inde est igitur pax ista, qua fruimur: neque enim Reni iam gurgitibus, sed nominis tui terrore munimur. Sciunt posse se Franci transire Renum: (quos ad perniciem suam libenter admittas) sed nec victoriam possunt sperare, nec veniam. quid ipsos maneat, ex Regum suorum cruciatibus metiuntur. ideóque tantum abest, vt amnis illius transitum moliantur: magis vt compertâ potestate desperent. Vbi nunc est illa ferocia? vbi semper infida mobilitas? Iam ne procul quidem Renum audetis accolere: & vix securi flumina interiora potatis. contrà hinc per interualla disposita magis ornant limitem castella, quàm protegunt. arat illam terribilem aliquando ripam inermis agricola, & toto nostri greges flumine bicorni mersantur. Hæc est tua, Constantine, de Ascarici, Regaisíque supplicio quotidiana atque æterna victoria, omnibus quondam secundis prœliis anteponenda. compendium enim est deuincendorum hostium Duces sustulisse. De eodem Constantini facto Nazarius loquitur his verbis: *Tu, Imperator optime, inito principatu, adhuc æui immaturus, sed iam maturus imperio ostendisti cursum ætatis non exspectandum in festinatione virtutis. Tu ferocissimis Regibus Ascarico, & comite suo captis, tantâ laude res bellicas auspicatus es: vt eam auita magnitudinis obsidem teneremus. Vt Herculem ferunt tenerum adhuc atque lactentem duos angues manu elisisse. sic tu, Imp. in ipsis imperij tui incunabulis, quasi geminos dracones necares, per sæuissimorum Regum supplicia præludebas.* Sic etiam Auctor Epithalamij Constantini & Faustæ scribit eum *ab ipsis Francorum Regibus auspicatum esse: simúlque & præterita illorum scelera* (hoc est incursiones) *punisse: & totius gentis lubricam fidem timore vinxisse.* Eutropius denique in libro X Historiæ Romanæ ait Constantinum, cùm Maximiani so-

ceri insidiis est petitus; *in Galliis & militum & prouincialium ingenti fauore florentem regnauisse, cæsis Francis, atque Alamannis, captísque eorum Regibus: quos, cùm magnificum spectaculum muneris paràsset, bestiis obiecerit.* De Alamannis autem nulla fit à ceteris scriptoribus mentio. contrà in libro de vita & moribus Imperatorum, quæ Aurelij Victoris epitome vulgò inscribitur; & in libro XI Historiæ miscellæ inuenimus Crocum Alamannorum Regem, Britannicæ expeditionis comitem Constantio sese adiunxisse: eiúsque maximè operâ Constantinum patrio Imperio successisse. sed nimirum quemadmodum Francorum; sic & Alamannorum multi pagi, ac Reges fuere: vt alij Galliam depopulari; alij Romanos auxiliis iuuare vno tempore potuerint.

Non contentus Ascaricum, & Regaisum Reges indignâ morte affecisse Constantinus, Renum traiectis copiis, in Bructerorum fines; qui pagus Francorũ flumen attingebat, impetum fecit: vt prædones prædationibus vlcisceretur. & oppressis inopinantibus; multis occisis, captis; pecore abacto, vel iugulato; vicis, quotquot adiri potuerunt, incensis; se in Galliam recepit: puberésque omnes captiuos feris obiecit. ac imitatus Iulium Cæsarem apud Coloniam Agrippinensem pontem in Reno facere constituit, opus cùm propter fluminis magnitudinem, altitudinémque arduum: tum ad traducendum exercitum accommodum. quo ponte incepto (perfici enim Constantinus vetuit difficultate aut metu deterritus: vel certè effectum Franci resciderunt) suis rebus timentes Franci pacem petierunt, obsidésque Constantino obtulerunt. *Vt omnibus modis* (inquit Eumenius) *Barbarorum immanitas frangeretur: nec sola hostes Regum suorum supplicia mærerent, immissâ Bructeris vastatione fecisti, Imperator inuicte. in quo optima consilij tui fuit ratio, quo exercitu repentè traiecto, inopinantes adortus es: non quòd aperto Marti diffideres, vt qui palam congredi maluisses. sed vt illa natio, perfugiis siluarum & paludium bellum solita frustrari, fuga tempus amitteret. Cæsi igitur innumerabiles: capti plurimi: quidquid fuit pecoris, captum, aut trucidatum est: vici omnes igne consumti: Puberes, qui in manus*

venerunt; quorum nec perfidia erat apta militiæ, nec ferocia seruituti, arenæ spectaculo dati sæuientes bestias multitudine suâ fatigârunt. Insuper etiam in Agrippinensi ponte faciundo reliquiis afflictæ gentis insultas: vt ne vmquam metus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat: cùm tamen hoc tu magis ad gloriam Imperij tui, & ornatum limitis facias; quàm ad facultatem quoties velis in hosticum transeundi. quippe cùm totus armatis nauibus Renus instructus sit, & ripis omnibus vsque ad Oceanum dispositus miles immineat. Hoc opus & difficile factu, & vsu futurum est sempiternum. Certè quidem iam tibi in exordio sui hostium mouit obsequia, qui pacem supplices petierunt, & nobilissimos obsides obtulerunt. ex quo nemo dubitat, quid perfecto ponte facturi sint, qui iam seruiunt inchoato.

Non multo pòst vindicaturi se à Flauio Constantino Bructeri, & Chamaui, Francorum gentes; (vt apud Nazarium legimus) cum Cheruscis, Vargionibus, Alamannis, & Tubantibus initâ belli societate in Galliam transiêre. ad quos Constantinus ipse, priuatum habitum indutus, ac duobus tantùm equitibus comitatus quamproximè poterat accessit, negauítque adesse Imperatorem: ita suâ credulitate ad fiduciam elatos Germanos prœlio fudit, ac concidit. quate Praxagoras Atheniensis apud Photium ait Constantinum initio principatus, priusquam Maxentio bellum inferret; Germanos, & Francos gentes finitimas ac barbatas pæne funditùs euertisse.

Anno II post Consulatum decimum, & septimum, vel Maxentio III solo Consule Maximianus senior cognomine Herculius, pater Maxentij Aug. & Constantini Principis socer periit, cùm bis depositam purpuram tertiùm resumsisset. quod quomodo factum sit quoniam nemo diligenter scripsit operæpretium est exponere. Sic igitur partim ex veteribus Historicis, partim ex tribus Panegyricis, quorum vnus Eumenij; duo ignoti auctoris sunt, rem gestam esse colligo. Diocletianus IX Consulatu suo, & Maximianus VIII postquam Romæ ex Persis magnificum triumphum egerant, & ante puluinar Iouis Capitolini Imperium se depositutos alter alteri iurauerant; prior Nicomediæ; posterior Mediolani vno

CCCX. (margin beside "Anno II post Consulatum decimum")
CCCIV. (margin beside "Diocletianus IX Con-")

die purpuram priuato habitu mutauere: Maximianus eiurauit his verbis: Recipe Iupiter quod commodasti. eadémque hora Constantius, & Galerius Maximianus cognomine Iunior, qui Cæsares erant, Augusti sunt salutati: Seuerúsque & Maximinus Cæsares creati. Et Constantius quidem Galliæ, Hispaniæ, ac Britanniæ prouinciis quibus Cæsar præfuerat contentus, Italiam & Africam remisit Galerio collegæ. qui Maximinum Orienti, Ægypto, Asiæ ac Ponticæ diœcesi; Seuerum Italiæ atque Africæ præposuit: ipse Illyricum, in quo dum Cæsar erat morabatur, retinuit. Anno II pòst Constantius
CCCVI. cum Maximiano VI Consul Eboraci in Britannia insula decessit. ibidémque Constantinus eius filius, cùm ad Diocletianum, Herculium & Galerium de summa Rep. quid fieri placeret retulisset, ab exercitu moræ impatiente delatam purpuram sumere coactus est: & Cæsaris tantùm appellatione suscepta; Imperatoris recusatâ Gallias, Hispanias ac Britanniam obtinuit. factum militum iudicio seniorum Principum, hoc est trium supradictorum comprobatum est. Eodem anno Maxentius Maximiani Herculij filius Romæ à Prætorianis iniussu patris, & Galerij soceri consalutatus Augustus, Italiam & Africam paternum Imperium occupauit. qua re cognita Herculius Romam aduolat ex amœnissimo secessu Lucaniæ, verbo vt animos sedet, re vt Imperium quo non sponte cesserat recipiat: Diocletianúmque in villa sua prope Salonas rusticantem ad resumendum Principatus fastigium frustra literis hortatur. Romam vt venit, rogatus à Senatu Populóque Rom. iterum insignia impera-
CCCVII. toria ac Augusti nomen accepit. ac insequenti anno Kalendis Ianuariis cum Constantino nonum iniit Consulatum. qui annus in Fastis Consularibus Hydatij omisso primi Consulis nomine ita notatur *Nouies & Constantino*; in libro Fastorum quem Ioannes Cuspinianus edidit, *Diocletiano IX & Constantino* manifesto errore: cùm Diocletianus ante triennium tum nimirum cùm Imperium deposuit, nonùm Consul & Maximianus Herculius octauùm fuerit. Eo anno Imperator Maximianus Herculius Seuerum Cæsarem à Galerio Maximiano

Aug. aduersus Maxentium cum magno exercitu missum, pecunia solicitatis ad proditionem militibus non solùm obsidionem vrbis Romæ soluere coegit: sed etiam desertum à suis comite filio persecutus obsedit Rauennæ: & perfidia ac simulatione colloquij deceptum vinxit: captiuíque habitu in Vrbem perductũ custodiri iussit, ac postea sub aduentum in Italiam Galerij iugulandum curauit: Per idem tempus Maximianus Herculius Aug. Constantinum ex Cæsare Imperatorem fecit, atque ei Faustam filiam in matrimonium, ac suum Herculij nomen, quemadmodũ Constantio Chloro dederat, dedit. Proximo anno Imperatores Maximianus Herculius decimum, & Galerius Maximianus septimum Consulatum inierunt. CCCVIII. qui annus in Fastis Hydatianis notatur *Decies, & Maximiano septies, vel Maxentio & Romulo*: in Fastis à Cuspiniano vulgatis, *Diocletiano X & Maximiano VII*, simili eius de quo suprà diximus errore. quo anno Galerius Maximianus adscito in consilium Diocletiano, Licinium veterem amicum bellíque Persici commilitonem, Cæsarem creauit. eíque tutelâ Illyrici delegatâ, cum maximis copiis ingressus Italiam Maxentium generum suum Romæ obsedit, & arte Maximiani Herculij ab Vrbe repulsus est. quippe cùm suos spe præmiorum solicitari ad defectionem, & multos ad hostem transfugere videret: timens ne vt Seuero contigerat, desereretur ab omnibus, Italiâ excessit. Tum Maximianus Herculius Maxentium filium iam confirmato imperio validum, cuius marcori metuebat, in concione purpura exuere conatus, conuicia & seditionem Prætorianarum cohortium tulit: magnúmque adiisset periculum, nisi ad tentandam eorum in filium suum fidem id se egisse ficto extempore mendacio militibus affirmauisset. Itaque vbi animaduertit Galerio regente Illyricum & Thracias; Maximino Ponticam diœcesin, Asiam, Orientem, ac Ægyptum obtinente; Maxentio in Italia & Africa dominante; Constantino trans Alpes imperante, nusquam sibi locum consistendi esse, nec se sine prouinciis & sine exercitu Imperatoriam dignitatem tueri diutiùs posse, iterùm cedit Imperio, postquam annos circiter duos in-

ſignia Principatus retinuerat. cúmque ſe odio eſſe Maxentio & eius militibus ſciret, à Galerio Maximiano petiit, ſibi vt per filium ex Vrbe & Italia expulſo in Illyrico reliquum vitæ agere priuato liceret. repudiatúſque ab Galerio anno II poſt Conſulatum ſuum decimum, & Galerij ſeptimum, ſub ſpecie officij velut viſendi Con-
CCCX. ſtantini generi ſui gratiâ in Galliam proficiſcitur, à Maxentio ſe pulſum ſimulans: tamquam facilius eſſet generum ſpoliare quàm filium. Igitur in vrbem Auguſtam Treuirorum magno omnium fauore & obſequiorum occurſu exceptus, priuatum otium in Galliis & regias opes à Conſtantino conſequitur. móxque vt erat matura quidem ſenectute, ſed cruda vir ambitione, & temeritate iuuenili: meditatas dudum inſidias genero molitur. à quo digreſſus Auguſtæ Treuirorum, lentè iter faciendo conſumtis annonis manſionum, ne quis eum ſequi poſſet exercitus: Arelati in Palatio repentè conſedit purpuratus. & militibus aliquot ſibi adiunctis bis depoſitum tertiò vſurpauit Imperium, literíſque & pollicitatione præmiorum, ac honorum oblationibus exercitus Conſtantini ad tranſitionem fruſtra ſolicitauit. Qua re cognita Conſtantinus, qui tum in vrbe Treuiris commorabatur, cum omnibus copiis ad eum opprimendum contendit. & in Cabillonenſi portu militibus in naues impoſitis, ſecundo Arare defluens Lugdunum; inde Rhodano Arelatum peruenit. qua vrbe iam relicta Maximianus Maſſiliam Græcorum ſe contulerat. vbi obſeſſus confeſtim oppreſſúſque, & captus, cùm ad filium in Italiam perfugere pararet: ab irato Conſtantini milite fractis laqueo ceruicibus ſexageſimo ætatis anno periit: ac fœda morte meritas perfidiæ & intempeſtiuæ ambitionis ac ſæuitiæ pœnas dedit. ſatellites veriùs quàm milites, qui eum Imperatorem appellauerãt, ad vnum omnes interfecti ſunt. Eutropius ac Oroſius ſcribunt Maximianum veniſſe in Galliam, vt oblata occaſione Conſtantinum interimeret: ſed proditum à Fauſta filia, quæ patris ſui inſidias & ſceleſta conſilia viro aperuerat, profugiſſe Maſſiliam, ibíque oppreſſum eſſe.

Conſtantino II, & Licinio II Coſſ. Fl. Conſtantinus

Maximus, qui postea ob imagines suas statuásque in vrbe Emona deiectas, Licinio bellum intulit: indignatus statuas suas Romæ, iussu Maxentij affinis, euersas esse: iniuriam vlcisci constituit. atque vt ait Aurelius Victor, *compositâ pace per Gallias*, ac forsitan quoque cum Francis factâ: (quid enim pacati esse Gallis aliter poterat?) in Italiam profectus est: victóque & occiso M. Aurelio Maxentio Italiam, ac Africam occupauit. tum reuersus eò vnde venerat, tertio Consulatu suo in Germaniam inferiorem contendit. quòd Francorum magnæ copiæ ad ripam Reni consedisse, & datæ fidei immemores eruptionem minari dicebantur. simulánsque timere se magis ab Alamannis superiori Germaniæ, celeriter in eam partem versùs castra mouit, ac suo discessu Francos citra flumen elicuit: qui cùm in occultas insidias incidissent, à Romanis circumuenti sunt, & oppressi. Interea Flauius Constantinus milites Renum transportauit: agros vastauit: vicos incendit: magno hominum numero capto, nec paucioribus deimprouiso cæsis Franciam terroris impleuit. Reportato demum exercitu, victoriam ludis celebrauit, & captiuos crudelem in modum feris obiecit. Hîc Constantini arrogantiam mirari libet, quòd cùm Maximianum socerum suum paullo antè ob purpuram tertiùm sumtam occidisset, eiusdémque statuas subuerti iussisset in Galliis: parem sibi à Maxentio eius filio factam iniuriam adeò iniquo tulit animo, vt armis vindicandam putârit.

CCCXII.

CCCXIII.

Eodem tempore in Francia, è regione Coloniæ Agrippinæ, Castrum Diuitensium iubente ac præsente Constantino à Diuitensibus (quod legioni nomen erat) post victos Francos ædificatum esse arbitrantur Philippus Melanthon, Nicolaus Vignerius, Philippus Cluuerius, & Isaaces Pontanus, fictam abs Ruperto quodam Abbate inscriptionem secuti. quam cùm omnium auctorum de ea re silentium; tum maximè Postumiani nummi, & Hieronymus, ac Senator refellunt. ex quibus discimus nullum vsquam castrum Diuitensium; sed Deusonem in Francia castellum contra Coloniam Vbiorum ante Constantini principatum annis ampliùs L fuisse. quinetiam

Νουαίσιον siue Nouesium, (castrum cisrenanum Agrippinę proximum) quod Claudius Ptolemæus in magna Germania collocat: id mihi mutandum potiùs, & Δουαισίων, hoc est Duæsio, vel Deusio suo loco reddendus, quàm tantus Geographus arguendus videtur. Denique Porphyrij quos subiecturus sum, versus nihil trans Renum Constantini fuisse declarant.

Supradictam Constantini aduersus Francos expeditionem ab obliuione vindicauit auctor quidam Gallus in oratione, quâ victum Maxentium, & receptam Italiam Constantino gratulatur. *Non fessus prœliis, & expletus victoriis (vt natura fert) otio te & quieti dedisti: sed eodem impetu, quo redieras in Gallias tuas, perrexisti ad inferiorem Germaniæ limitem: magnâ scilicet intercapedine temporis, ac breui locorum distantia! post annuam expeditionem statim bella auspicatus. Ruperat fidem gens leuis, & lubrica Barbarorum: & robore, atque audaciâ lectis eruptionis auctoribus institisse Reno nuntiabantur. Ilico obuius adfuisti: & præsentiâ tuâ, ne auderent transitum, deterruisti. Et iam videbaris rem votis tuis fecisse contrariam: quòd inhibita eruptione non foret materia victoriæ. sed inopinato consilio vsus es. abeundo enim, simulato nuntio maioris in superiore limite tumultus; occasionem stolidis ac ferinis mentibus obtulisti in nostra veniendi: relictis in occulto ducibus, qui securos adorirentur. quò cùm venissent, consilium tuum sequitur fortuna. toto Reni alueo oppleto nauibus deuectus, terras eorum ac domos mæstas lugentésque populatus es: tantámque cladem vastitatémque periuræ genti intulisti, vt vix post illud nomen habitura sit. Quid hoc triumpho pulchrius, quo cædibus hostium vteris etiam ad nostrûm omnium voluptatem: & pompam munerum de reliquiis Barbaricæ cladis exaggeras: ac tantam captiuorum multitudinem bestiis obiicis, vt ingrati & perfidi non minus doloris ex ludibrio sui, quàm ex ipsa morte patiantur? Inde est, quòd cùm exitum differre liceat, perire festinant: seséque letalibus vulneribus & mortibus offerunt. Ex quo ipso apparet, quàm magnum sit vicisse tam prodigos sui. Facile est vincere timidos, & imbelles, quales amœna Græcia, & deliciæ Orientis educant;*

vix

vix leue pallium, & sericos sinus vitando Soli tolerantes: &, si quando in periculum venerint, libertatis immemores, vt seruire liceat orantes. Romanum verò militem, quem qualemcumque ordinat disciplina, & sacramenti religio confirmat: aut trucem Francum, ferinâ solâ carne distentum, qui vitam pro victus sui vilitate contemnat, quantæ molis sit superare, vel capere? quod tu, Imperator, & nuper in Italia, & in ipso conspectu Barbariæ paullo antè fecisti. Ex his iudicari potest quàm falsò simul & ridiculè affirmet Constantinus Porphyrogennetus Constantinum Maximum inter successores suos, & gentium exterarum Reges, præsertim Christianæ religionis expertes, affinitates contrahi vetuisse: vnis Francis exceptis, qui & cognatione quadam, ac commerçio cum Romanis iuncti essent: & splendore, nobilitate, ac potentia ceteris nationibus antecellerent. maximè quòd Constantinus ipse ex his partibus, hoc est ex Britannia Franciæ proxima Princeps ortus esset. apud Eboracum enim patre mortuo delatam sibi à militibus purpuram sumserat.

Ita fractis Franciæ viribus, non immeritò Constantinus Maximus Augustus præter cetera cognomen Germanici, & Francici vindicauit. quippe in inscriptione, quam Onufrius profert, appellatur IMP. CÆSAR. D. CONSTANTI. FILIVS. FL. CONSTANTINVS. MAX. VICTOR. AC. TRIVMPHATOR. PIVS. FELIX. INVICTVS. AVG. GERMANICVS. SARMATICVS. FRANCICVS. GOTHICVS. VANDALICVS. Constantini de Francis victorias intelligi voluit Eusebius libro I de vita eius, cùm ait Barbaros, accolas fluminis Reni & Occidentalis Oceani, intractabiles, præcipiti audacia tumultuantes: à Constantino initio principatus domitos esse ac mansuefactos. alios autem, quotquot ad humanitatem traduci non posse intelligebat, velut feras quasdam bestias à finibus Imperij Romani remotos, & incursionibus absterritos esse. Easdem victorias per ironiam extollit Iulianus in libro de Cæsaribus, in quo anteponit sese Alexandro Magno Flauius Constantinus Maximus: quòd illi cum imbellibus & pauidis Asiaticis: sibi cum Romanis, cum Germanis gen-

D



tibus; hoc est cum Francis & Alamannis; cum Scytharum quoque populis res fuerit.

Multa deinde bella aduersus Francos paternâ fortunâ gessit Fl. Iul. Valer. Crispus Cæsar, quem Constantinus, ex Mineruina priore coniuge genitum, Galliæ præfecerat: eósque & cis Renum, & in Francia prœliis superauit. vt legimus in oratione, quam habuit Nazarius anno XV imperij Constantini Aug. Crispi, & Constantini iunio-
CCCXX. ris Cæsarum quinto, Constantino VI, & Constantino Cæsare Coss. *Franci ipsi præter ceteros truces sub armis tuis ita conciderunt, vt deleri funditus possent: nisi diuino instinctu, quo geris omnia, quos ipse afflixeras, conficiendos filio reseruasses. Quamquam ad gloriam vestram fecunda malis suis natio ita raptim adoleuit, robustéque recreata est, vt fortissimo Cæsari primitias ingentis victoriæ daret: cùm memoriâ acceptæ cladis non infracta, sed asperata pugnaret. Quæ tuum, Constantine Maxime, mite pectus inundauit gratulatio, cui tanto interuallo videre filium licuit, & videre victorem? Narrauit vtique exhausta bella; & hoc ad tuam gratiam, non ad sui ostentationem: qualis in excipiendo hoste, quàm resistenti vehemens, quàm facilis supplicanti.* Addit Nazarius *iacere in latere Galliarum, aut in sinu suo fusam Barbariam: Crispúmque Cæsarem iam in obterendis hostibus grauem, terrorem paternum, quo semper Barbaria omnis intremuit, deriuare ad nomen suum cœpisse.*

Constantinus Gallias tametsi filiis alij post alium com-
CCCXIX. missas non rarò visit ac inspexit, & V Consulatu suo ac
CCC-XXXII. Licinij Cæs. iterum Pacatiano & Hilariano Coss. Coloniam Agrippinam petiit. (sicuti leges ibi ab eo supradictis Coss. latæ docent) credo vt cum Francorum Regibus colloqueretur, quos ab Agrippinensibus Renus diuidebat.

Post receptum armis orbem Romanum; quem Diocletianus anteannos circiter XXXIV primus diuiserat: Constantino annum imperij XX Nicomediæ ludis cele-
CCC-XXV. brante, Paullino & Iuliano Consulibus Fl. Iulius Crispus Francis bellum parabat inferre. sicut indicare videtur Publilius Optatianus Porphyrius, cuius hi sunt versus

ex poëmate non laboriosè magis quàm ridiculè composito ad Constantinum Aug. Vicennalia spectacula edentem.

--Sed Crispi in fortia vires
Non dubiæ ripâ Renum, Rhodanúmque tueri
Vlteriore parant, & Francis tristia iura.

Idem ait *populos feroces,* hoc est Francos, & Alamannos, ductu Flauij Crispi Cæsaris & Gallorum copiis transitu Reni, ac rapinis prohiberi.

Omnis ab Arctois plaga finibus, horrida Cauro,
Et tibi fida, suis semper bene militat armis:
Résque gerit virtute tuas: populósque feroces
Propellit:

Reliqua piget subiicere. Miror autem, cur Porphyrius vtramque Rhodani ripam neget tum Romanorum fuisse: cùm Rhodanus profluat ex monte Adula, qui est inter Rætos, & Gallos: atque inde per Gallicas gentes in mare decurrat: constétque Gallos omnes, ac Rætos sub imperio Constantini fuisse.

Et Crispum quidem adolescentem eximium, à Flauia Maximiana Fausta nouerca de stupro frustra appellatum, deinde falsò insimulatum credulus ac crudelis pater septimo Consulatu iussit interfici. Mirum vt non sit Con- CCC-XXVI.
stantinum, qui in cædem innocentis filij durauerit, in Francos captiuos tam inhumanè sæuiisse. Crispo substitutus est Constantius Cæsar, sicut Iulianus scribit: qui cum Regibus Barbarorum, inter quos Constantinus ex industria bella seuerat; crebrò collocutus est: nec multo pòst ad custodiam Orientis traductus: & Flauio Claudio Constantino iuniori Cæsari Gallia commissa, qui anno post patris obitum tertio, Acindyno & Proculo CCCXL.
Coss. temerè bellum ciens; dum spoliare fratrem conatur, victus apud Aquileiam, & obtruncatus suum ipse Imperium amisit.

Sic Flauius Iulius Constans, minimus natu è filiis Constantini, Constantij Aug. nepos, qui Italiam, Illyricum, & Africam obtinebat: ad eas prouincias Galliam, Hispaniam, ac Britanniam adiunxit. Eodémque tempore Marcellino & Probino Coss. Franci magnâ manu Re- CCCXLI.

num transierunt: & cum Constante Augusto variâ fortunâ congressi, depopulatâ Galliâ in ea hiemauerunt: ac
cccxlii se Gallorum copiis aluerunt. quos Constans secundo Consulatu, anno ætatis XX quia ferro minimè poterat, auro repulit: non (vti Libanius per adulationem mentitus tradidit) alacritate suâ territos vt pacis conditiones reciperent subegit.

Hanc pacem omnibus victoriis anteferendam ait Libanius in oratione de rebus gestis Imperatorum Constantij, atque Constantis: miratúrque Francos, quæ gens Martem spirans quotidianis incursionibus Gallias vastare, & Imperatores fatigare antea consueuisset: neque vllis vmquam verbis, aut viribus à populationibus deterreri potuisset: Constantis aduentu ac fiducia commotos, prœlio cum eo decertare ausos non esse. pacem bello, quietem suo contentam dulci aliena prædandi licentiæ prætulisse. accepisse etiam à Constante Principe, inspecturos & enunciaturos, si quid aduersus Imperium Romanum iniretur consilij. Eum in modum sine pugna ac sine cuiusquam vulnere domitos esse Francos, quibus absistere bello, seruitutis instar sit; à rapinis temperare, detrimenti. Addit Libanius ceteras Barbaras gentes maiores, ac minores, quæ modò singulæ per se, modò iunctis viribus vniuersæ finitimas prouincias continuis eruptionibus latrociniisque vexauerant: vbi Francos, cunctis antea terribiles, metu perturbatos pacem petiisse atque domum rediisse compererunt: consternatas similiter, velut detracto sibi capite, quieuisse. Quare apud Aurelium Victorem, & Zosimum, & in libro de vita & moribus Imperatorum dicitur Constans *exterarum gentium* (id est Francorum, & Pictorum Alamannorúmque) *motus compressisse*, nihilque à Barbaris metuisse: & eximiâ formâ pueros redemtæ pacis obsides ab illis accepisse. Sophronius Eusebius Hieronymus in Historia temporum, quod Chronicon vocant, refert Constantem anno imperij IIII. *vario euentu aduersus Francos pugnauisse, à quo perdomiti* fuerint anno insequenti, *& pax cum eis facta.* Hermias quoque Sozomenus libro III Historiæ Ecclesiasticæ negat vllum

ex Italia, & Transalpinis partibus Episcopum Antiochensi Concilio interfuisse: quoniam eo tempore Franci Galliam depopulabantur, & in Oriente terra mouebat. Et Socrates libro II ait Marcellino, & Probino Coss. CCCXLI.
Rempublicam non mediocriter esse perturbatam: quòd Franci in Galliam transierant, quos Constans iterum CCCXLII.
Consul vicerit, & ex hostibus fœderatos Romanorum fecerit. Socratis verborum malus interpres fuit Aurelius Cassiodorus Senator, (tametsi eum & Auctor Historiæ Miscellæ in libro XI, & Sigebertus in Chronico sunt secuti) apud quem libro IV Historiæ Tripartitæ Constans dicitur *gentem Francorum circa Gallias positam, actum Romanis infestam oppreßisse, & Romano Imperio subiecisse*. Eumdem in Chronico fefellit biennium: scribit enim Leontio, & Sallustio Coss. (quem annum quin- CCCXLIV.
tum post Constantini mortem fuisse putat, cùm fuerit septimus) *Francis à Constante perdomitis* pacem datam esse: qui quemadmodum victi, domiti, & oppressi sint, Libanius Constantis æqualis suprà indicat. Huius Francorum eruptionis, & Constantis aduersus eos expeditionis mentionem habet in Fastis etiam Hydatius Foro Limicorum ortus; Aquiflauiensis, non autem (vt Sigebertus dicit) Limicensis Episcopus: tradítque Marcellino, & Probino Coss. à Constante Aug. in Galliis contra gentem Francorum pugnatum: & Constantio III, ac Constante II Coss. *victos* ab eo *Francos* esse, *atque pacatos*. Denique ex Cedreno in Epitome Historiarum, & ex Nicephoro Callisto in libro IX discimus Constantem cum Francis, qui Occidentalem Galliam incursionibus maximè vexabant decertauisse, ac rem bene gessisse. Nostram Galliam, Occidentalem Galatiam Græci vocabant, vt distinguerent à Gallogræcia, quam Galatiam Orientalem, & minorem dixere.

Post Constantis in Francos expeditionem anno octauo ineunte, Sergio, & Nigriniano Coss. Magnentius, CCCL.
natione Francus, Protector antea Constantini Maximi, tum autem Iouianorum & Herculianorum Tribunus, Augustoduni Æduorum XV Kal. Februar. inter cenam appellatus est Imperator: vir fortissimus, & ob res præ-

clarè gestas acceptissimus militi: confestímque ad Constantem insequendum & interficiendum emissarium factionis ac gentis suæ Gaisonem cum lectissimis copiis misit: quem huius cædis ergô in annum sibi Consulatus collegam assumsit: Gallias, Italiam, & Africam occupauit: Flauium Nepotianum, scenicum Principem, vnáque matrem eius Eutropiam, Constantini sororem, Romæ intra mensem oppressit: multos vtriusque ordinis, Nepotiani partium adiutores proscripsit & occidit: cum Vetranione, qui sub idem tempus in Pannonia ab Illyrico exercitu factus erat Imperator, societatem iniuit: ac legatos de consortio imperij, & de affinitate frustra ad Constantium misit. deinde non inferiora domesticis copiis auxilia Francorum popularium suorum, Saxonúmque accersiuit:
CCCLI. P. C. Sergij & Nigriniani Constantianos in Pannonia concîdit: ad Mursiam acie victus & castris exutus est amissis suorum millibus XX [illegible], cæsis hostium XXX millibus. Decentio Cęsare, & Paullo Coss.
CCCLII. in Occidentis tractibus; in Oriente Constantio Aug. V, & Constantio Cæsare Coss. in Alpibus Iuliis ad mansionem Longaticum (quam τὸ Τεῖχος vetus castellum impositum Alpibus à Iuliano in oratione II de laudibus Constantij A. vocari animaduerto) iterùm fusus fugatúsque, hostes incautos apud Ticinum superauit: & in Gallia circa Montem Seleucum tertio prœlio pulsus, Lugdunum sese contulit: obsessúsque clauso Palatio matrem, & Desiderium Cæsarem fratrem iugulauit: similiter propinquos, & familiares, si qui alij aderant, hostilibus contumeliis eripuit. tandem XVIII Kal. Sept. gladio
CCCLIII. seipse transfixit Constantio VI, & Constantio Gallo II. Coss. corpus eius à Constantianis laceratum, caput per Europæ, Africæ, Asiæque vrbes circumlatum est. denique Decentius Cæsar, quem Magnentius Aug. frater Cisalpinis regionibus præfecerat, III pòst die, XV Kal. Septemb. Agendici Senonum, collo in fasciam inserto, se suspendit, Gordianum seniorem imitatus. Constantius (vti in libro XV Codicis Theodosiani inuenimus) V Consulatu viui Magnentij acta rescidit: eiusdem filium infantem seruauit: & Magnentiacos, Decentia-

cósque numeros ita dictos, ne nouis rebus studerent, in Orientem transtulit: ac confecto bello anno XVI post patris mortem totius Romani Imperij potitus est. Scribit Zonaras Desiderium nullum à Magnentio letale vulnus accepisse, eíque breui curato, ac dedenti se Constantium incolumitatem concessisse.

Hunc exitum fecit Magnentius anno ætatis circa L, CCCLIII.
imperij IV: iustásque dedit pœnas Constanti interfecto, qui eum quondam ab ira militum obiectu purpuræ suæ defenderat. Fuit autem corpore magno, & robusto; legendi studiosus; latino sermone promtus; acer; animi immodicus; in rebus secundis audax, & tumidus; in aduersis cũ vana ostentatione fiduciæ timidus; nec sine magna simplicitatis simulatione versutus, & malignus: Religione Christianus: nã Magnentianos, & Decentianos nummos notâ ☧ hoc est Christi signatos, & A ac Ω literis inscriptos videmus. De Magnentio quidem quæ à Iuliano, & Aurelio Victore ac Athanasio dicuntur, fuisse eum diris, atrísque moribus; stultum; crudelem; ignauum; spectaculis, & voluptatibus ac magicis vanitatibus deditum; rei militaris, & artis imperatoriæ imperitum; perfidum, impium: hostium conuicia magis, quàm Historicorum verba putanda sunt. præsertim cùm Iulianus ipse vi veritatis victus in satyra de Cæsaribus Magnentium multas magnas ac gloriosas res gessisse fateatur.

Ceterùm ne quis miretur, quòd Magnentium Francum appellauerim: Iulianus in laudatione Imper. Constantij scribit Francos, & Saxones omnium populorum, qui trans Renum & super Occidentalem Oceanum incolunt, maximè bellicosos, sese cum Magnentio naturalis cognationis ergô coniunxisse. & Magnentianum bellum, ciuile appellari non oportere: excitatum enim esse à Barbaro, qui Imperium nefariè arripuisset. Constantiúmque rectè fecisse, quòd omnes difficultates perferre, atque omnia pericula adire, quàm Barbarũ Romanis imperantem; Tribuniciâ potestate leges ferentem; Rempublicam cõstituentem; Pontificémque Maximum pro salute Imperij vota facientem videre maluisset. Indi-

gnatúrque Magnentium, natione Barbarum; maiorum Constantis mancipium; prædæ Germanicæ infelices reliquias, domino suo manus attulisse: eúmque Romanis imperare voluisse, qui nisi eorum beneficio liber esse non potuisset. Idem Iulianus in alia oratione de rebus gestis Constantij tradit Magnentium milites legionarios complures, nec minorem multitudinem equitum ex Gallia & Hispania, præterea cohortes & alas ex præsidiis vtriusque prouinciæ deductas secum habuisse: eásque copias aduentu Germanorum esse duplicatas, qui Reno, & Oceano in Occidentem Solem spectanti proximi, communis patriæ causâ, ac spe prædæ ad Magnentium vltro confluxerant. Romanos autem milites, quòd à Magnentio homine Barbaro & externo spernebantur, ac Germanis postponebantur: contra Constantium non sponte arma tulisse. & in eadem oratione Magnentium asperum ac impudentem Barbarum ex eorum numero, qui non multo antè bello capti fuerant, appellat. Aurelius Victor, qui Constantij Aug. æqualis fuit, Magnentium *gentis Barbaræ* vocat. Et Auctor libri de vita & moribus Imperatorum eumdem parentibus Barbaris, qui in Gallia domicilium habebant, genitum dicit. Zosimus quoque libro II scribit Magnentium genus quidem duxisse à Barbaris: sed domo emigrauisse, & inter Lætos, quæ gens Gallica erat, sedem cepisse: atque à Constantino virtutis ergô ad excelsos militiæ gradus esse promotum: ita eum disciplinæ ac linguæ Romanæ notitiam habuisse: vxorem duxisse Iustinam Constantiani & Cerealis alterius post alterum Tribunorum stabuli sororem, ex qua postea Imperator Valentinianus filium sui nominis tulit. Ex his satis apparet Magnentium natione Francum fuisse: siue, vt Auctor Epitomes Victoris refert, apud Gallos natus sit parentibus, quos inter ceteros Francos Constantius Chlorus ceperat, & in Galliam traduxerat. siue ipse sponte (vti Zosimus commemorat) relictâ Germaniâ vnà cum patre & fratribus, Constantini principatu, ad Romanos se contulerit, & in ea terra locum domicilio delegerit. Lætos autem, vel (sicuti in libris Ammiani manuscriptis, & apud Zosimum

mum legimus) Letos gentem Gallicam fuisse vt Zosimus suprà, ita & Eumenius in oratione de rebus gestis Constantij Cæsaris videtur indicare: in qua ait Lætum in agrum Neruicum, vnde credo Barbarorum armis expulsus fuerat, iussu Maximiani Aug. *postliminio* esse *restitutum*. Iidem in libro, qui inscribitur Notitia dignitatum, ac prouinciarum Imperij Romani, Læti Neruij appellantur: & Lætiæ opido Neruiorum, cuius mentionem facit Hugbaldus in libro de vita Ri*trudis, nomen dedere. tamen in supradicta Notitia Lætus cùm Gallorum, tum etiam Germanorum præsidiariorum per Galliam dispositorum, scilicet Batauorum, Neruiorum, Lingonum, Gentilium Sueuorum, Francorum, Teutonicianorum cōmune prænomen est. Ammianus quidem libro XX adolescentes *Letos quosdam, cis Renum editam Barbarorum progeniem*; atque in libro XXI legionem quamdam Lætos vocat. Et Imperator Valentinianus maior in libro VII Codicis Theodosiani negat quemquam nisi datis prædibus Lætis præponi. Ibidem quoque Honorius Augustus Lætos, Alamannos, & Sarmatas, nimirum captiuis, aut dediticiis oriundos, delectui obnoxios esse, & legionibus inseri solere declarat. Idémque libro XIII, Barbaris, qui ex multis ac variis gentibus ad ipsum confluxerant, *terras Læticas* diuidi iubet; & pro suis cuique meritis statutum à se agri modum attribui: à quibus terris Læticis Liticiani apud Iordanem, nî fallor, cognominantur, & Aëtium in bello Hunnico auxilio iuuisse dicuntur. Ceterùm non est quòd quis existimet Magnentium Francum non fuisse, quòd nomen Romanum ipse fratrésque eius ac Magnus pater tulerint. nam & Siluanus nomine latino appellatus est filius Boniti Franci: & Barbari qui spe honorum & opum inducti ad Romanos Principes se contulerant, nihil antiquius vtplurimùm ducebant, quàm originis suæ monumenta abolere, mirum vt non sit Magnum filiósque eius Magnentium, Decentium, ac Desiderium, qui diu in Gallia domicilium habuere, patria sua nomina Romanis nominibus mutauisse.

Constantio VII & Constantio III Coss. Constantius CCCLIV.

Aug. Constantium Gallum fratrem patruelem, quem Cæsarem ante triennium creauerat, & Constantinæ sorori suæ matrimonio iunctum Orienti præposuerat, ob cædem Domitiani Præf. Montij Quæst. aliorumque complurium euocatum purpurâ exui, & capite trūcari iussit.

CCCLV. Anno secundo post Magnentij Franci mortem, nouus iterum in Gallia ex eadem gente ortus est Imperator. *Tum in Palatio Francorum multitudo florebat:* vt ait Ammianus Marcellinus libro decimoquinto, indicióque sunt tot apud eum Germana nomina Protectorum, ac Tribunorum; & ille Candidatus Imperatoris Constantij, quem Hieronymus scribit petito à Principe commeatu, sumtísque ad Consularem Palæstinæ literis commendaticiis, cum magno comitatu iter vehiculis publicis fecisse: & honorificentissimè à Decurionibus Gazæ ad Hilarionem perductum, ac eiecto Dæmone sibi redditum fuisse. Horum Francorum auctoritate & dignitate facilè primus erat Siluanus, Boniti fortissimi viri, & in bello Liciniano optimè de Constantino meriti filius: qui Tribunus Armaturarum, paullo ante prœlium Mursinum, cum lectissimo equitatu à Magnentio ad Constantium transierat. sicuti Iulianus in oratione I de rebus gestis Constantij, & Aurelius Victor, ac Ammianus Marcellinus libro XV memoriæ tradunt. Is (vt in artum contraham, quæ Ammianus libro XV verbosiùs

CCCLV. narrat) Arbetione, & Lolliano Coss. Magister peditum factus est, & in Galliam missus, quam præsidiis nudam Germani, in primis Alamanni igne ferróque vastabant. Ibi dum hostes fortiter repellit: non autem, vti Iulianus oratione II ad Constantium scribit, exactâ à ciuitatibus pecuniâ ac Germanis datâ pacem amicitiámque redimit: machinatore Lampadio Præfecto Prætorij, consciis Eusebio, ac Ædesio, apud Imperatorem à Dynamio accusatur maiestatis. frustra ciuem suum, amicúmque defendentibus, & calumniatores falsi conuincentibus Malarico Gentilium rectore; Mallobaude Tribuno Armaturarum, paullo antè inquisitore Gallo Cæsari dato: Bappone ductore Promotorum; (quem XVII pòst anno, Modesto, & Arinthæo Coss. Præfectum vrbis

fuisse in libro VI Codicis Theodosiani inuenimus) Bainobaude tùm Scutariorum, deinde Cornutorum Tribuno; Teutomere Protectore Domestico, hoc est Principis Stipatore; Seniauco turmæ equestri præposito, ceterísque in aula eminentibus Francis. Quibus de rebus Flauius Siluanus in Agrippinensi Colonia certior factus, audiénsque seruos & clientes suos torqueri, ac bona velut in fiscum inferenda describi; ne indictâ causâ capitis condemnaretur, nō mediocriter timebat. solicitum, & aut in Franciam fugere, aut popularibus per Galliam effusis se credere cogitantem deterruit à proposito Laniogaisus Tribunus, natione Francus; quondam Candidatus Imperatoris Constantis, eiúsque fugæ vnicus socius; affirmans fore, vt à Francis interficeretur, vel viuus Constantio caput ipsius licitanti traderetur. Itaque mutato consilio Siluanus exercitum, cui præerat, promissis maximis solicitauit, & Augustus est appellatus. iámque confluentibus vndique ad eum promtissimo quoque & egentissimo; ad opprimendum in hibernis Constantium, per Alpes Cottias Mediolanum contendere parabat: cùm ipsum spe ingentis pecuniæ clam corrupti per Vrsicinum milites die imperij octauo & vicesimo trucidauere. Mox quæstiones de Siluani amicis, & coniurationis participibus crudeles habitæ sunt. Proculus & Pœmenius supplicio affecti. Asclepiodotus, Lutto, & Maudio Comites necati. & vt apud Iulianum in oratione II de rebus gestis Constantij legimus, Siluani paruus filius, quem is in Galliam proficiscens obsidem fidei apud Imperatorem reliquerat, incolumis seruatus. Ammianus Marcellinus Siluanum fortissimum ducem, magnorúmque meritorum appellat: Aurelius Victor *in Gallia natum Barbaris parentibus* dicit. Eumdem Auctor libelli de vita & moribus Imperatorum *Barbaro* quidem *patre genitum*, sed Romanis artibus ac disciplinis institutum; naturâ autem blandum, & patientem ait fuisse. vt non dubitem, quin falsò & malignè Claudius Mamertinus in ea oratione, qua Iuliano Aug. pro Consulatu gratias agit, Siluanum tamquam imbellem; libidinosum; curarum, vigiliæ, & laboris intolerantem; auarum,

crudelémque carpat, & *propter cæcam imperandi cupiditatem* in ferrum ruisse affirmet.

CCCLV. Eodem anno VIIII dus Nouemb. Flauius Iulius Constantius Aug. Flauium Claudium Iulianum, fratrem patruelem, Iulij Constantij filium, Constantij Chlori Aug. nepotem, Galli Cæsaris fratrem, quatuor & viginti annos natum Mediolani Cæsarem creauit, & in Galliam ad repellendos Germanos misit: qui (sicuti Iulianus ipse in epistola ad Athenienses, & Libanius scribunt) quinque & quadraginta vrbibus captis, direptis, ac dirutis; multis præterea castellis; Gallicam ripam Reni omnem, agrósque vsque ad trecentesimum stadium à flumine tenebant: & adiacentem sibi regionem per nongenta stadia erant depopulati. Hos Germanos Zosimus libro III Francos, Alamannos, & Saxones fuisse dicit. Et Alamannos quidem Libanius in laudatione Iuliani, Hermias Sozomenus libro V Historiæ Ecclesiasticæ, & Socrates libro III à Constantio, cum Magnentio bellum gerente, per literas euocatos ac mercede conductos in Galliam erupisse tradunt: contra quos comparatas copias Magnentius in Constantianos duxit, Galliæ tutelâ Decentio fratri permissâ, quem Cnodomarius Rex Alamannorum, populatione Galliarum nobilis prœlio superauit. Quamquam Iulianus oratione I de rebus gestis Constantij factum eius aut dissimulans, aut ignorans, affirmat Magnentium, abductis secum Galliæ viribus, prouinciam vacuam *Barbaris* reliquisse: quo nomine non Francos, aut Saxones; (quippe hi Magnentij socij erant) sed Alamannos à Iuliano & supradictis auctoribus designari apparet. Francos autem eodem tempore in Galliam incurrisse indicat Ammianus Marcellinus in libro XV, apud quem Constantius Aug. de Iuliano Cæsare faciendo exercitum alloquens, ait *Barbaros tyrannorum*, hoc est Francos Magnentij, atque Siluani popularium *Manibus Romano sanguine parentare*, ruptísque limitibus Gallias impunè peruagari. Franci certè, Barbari ab Marcellino appellati, statim post Siluani mortem Coloniam Agrippinam, clarissimam vrbem inferioris Germaniæ obsedere, captámque deleuere. At

Saxonibus cum Iuliano rem fuiſſe nemo præter Zoſimum ſcribit: quæ gens piraticâ famoſa, Cimbricam Cherſoneſum & inſulas Albis oſtio obiectas colens; oram Galliæ maritimam vimineis nauiculis, corio bubulo circumſutis, infeſtam habere magis quàm opida oppugnare, aut interiora regionis penetrare conſueuerat.

Inſequenti anno Viennæ cùm hiemauiſſet, & inſignia Conſulatus ſumſiſſet Iulianus Cæſar, Coloniam Agrippinenſem ante menſes circiter decem captam; vt ipſe in epiſtola ad Senatum populúmque Athenienſem ait; recepit. Vnde Ammianus Marcellinus libro XVI tradit Iulianum *ingreſſum Agrippinam, ante eius in Gallias aduentum exciſam, non priùs inde mouiſſe; quàm cum Francorum Regibus, furore miteſcente perterritis, pacem Reipublicæ profuturam firmauiſſet, vrbémque munitiſſimam refeciſſet.* CCCLVI.

Conſtantio IX, & Iuliano Cæſare II Coſſ. apud Argentoratum commiſſo prœlio cæſa ſunt Alamannorum ſena millia; Chnodomarius Rex captus; plurimi vi fluminis Reni ablati, atque ſubmerſi: ex parte Iuliani CCXL & VII deſiderati; in his Bainobaudes, de quo ſuprà mentionem feci, natione Francus, Tribunus Cornutorum. Cùm poſt eam victoriam Iulianus Cæſar vaſtatâ Alamanniâ, exercitum in hiberna deduceret; audiiſſétque Francos aliquot per occaſionem, prædarum agendarum cauſâ, in Galliam irrupiſſe: & inter Renum ac Moſam loca nuda præſidiis, vicóſque Iuliacenſium, ac Traiectenſium depopulari: ad eos opprimendos contendit. Erant autem Franci (ſicuti Marcellinus libro XVII ſcribit) haud ampliùs quàm ſexcenti: quos, credo quòd & patrio more leuiter armati, & inſitâ quadam velocitate præditi erant; velites appellat. Hi Cæſaris aduentu exterriti duo munimenta dudum deſerta, ad ripas Moſæ poſita occupauere: circumſeſsíque per II ferè menſes Decembrem atque Ianuarium, nimirum dies IV & L oppugnationem ſuſtinuere. Interea Cæſar veritus ne quia flumen congelauerat, ſilentio profugerent; milites luſoriis, hoc eſt leuibus nauigiis inuectos, noctu glaciem frangere iubebat. Ita Franci fame & inopiâ preſſi, & aſſiduis laboribus vigiliíſque confecti ſe dedi- CCCLVII.

derunt, atque ad Constantium sunt missi. quos ille confestim solutos, & armatos copiis suis immiscuit, miratus speciem ac magnitudinem corporum: nam singuli multorum instar esse videbantur. Addit Marcellinus Francos magnâ manu ad eximendos obsidione ciues venisse: cúmque eos iam captos ad Constantium perduci cognouissent; nihil præterea ausos domum reuertisse. At Libanius in laudatione Iuliani ait hos multis suorũ amissis repulsos esse, nec sexcentos, sed mille admodum castello vacuo ab incolis se inclusisse, atque ab Iuliano captos esse. Hoc est, quod in epistola ad Athenienses Iulianus ipse scribit duobus prœliis, & vnâ expugnatione Barbaros mille, ætate florentes, in suam potestatem venisse.

CCC-LIX. Eusebio, & Hypatio Coss. Claudius Iulianus Cæsar, sexcentarum nauium classe fabricatâ, deductâque in Renum, Germanis bellum intulit: partem Saliorum in fidem accepit: Chamauos expulit: magno puerorum, mulierum, pecorísque numero potitus est: tantum denique Chamauis terrorem iniecit, vt & obsides dederint: & quæ præcipua expeditionis causa erat, frumentum ex Britannia insula (quod ipsis inuitis supportari potuisse negat Eunapius) in castella ac hiberna militum ad Renum posita tutò deinde & facilè sit subuectum. sicuti fieri consueuisse Libanius in laudatione Iuliani, Ammianus Marcellinus libro XVIII, & Zosimus libro III tradunt. Equidem Iuliano in epistola ad Athenienses ita loquenti de se magis quàm Marcellino, tum in Oriente sub Vrsicino militanti, credi arbitror oportere: qui nec vllius classis comparatæ mentionem facit; nec in Reno, hoc est, vt Zosimus docet, in insula Batauorum; sed in continente Gallia aduersus Salios, & Chamauos bellum à Iuliano gestum esse dicit. Sic enim libro XVII refert: cùm Franci, qui Salij appellantur, Toxandriam locum, vel opidum Toxandrorum ante
CCC-LVIII. aliquot annos occupauissent: Datiano, & Cereale Coss. Iulianum ad eos opprimendos omnibus copiis contendisse. properanti, & iam Atuacam Tungrorum ingresso legatos à Saliis de pace occurrisse, ac postulâsse, vt sibi, nisi lacesserentur, quieturis suis in finibus considere eius

voluntate liceret. quos Iulianus Cæſar cum mandatis doníſque remiſerit pollicitus, dum re deliberata reuerterentur, ſe ibidem exſpectaturum: ac nihilo ſegniùs poſt diſceſſum legatorum motis caſtris; & Seuero Magiſtro equitum ad ripam Reni verſùs, quà effugium patebat, proficiſci iuſſo, celeriter exercitum in Salios duxerit, cunctóſque deimprouiſo diuerſis è partibus aggreſſus, perculſos ac ſupplices cum coniugibus & liberis in deditionem acceperit. è Chamauis deinde, qui ſimiliter cis Renum agros armis quæſitos tenebant: multos occiſos; captos; reliquos in fugam coniectos eſſe; ac pace per legatos impetratâ incolumes domum rediiſſe. Tum tria munimenta, ſiue caſtella, quæ illi impoſita flumini Moſæ funditùs euerterant, iuſſu Iuliani à militibus eſſe reſtituta. libro autem XVIII Marcellinus ſcribit anno inſequenti Euſebio, & Hypatio Coſſ. Iulianum CCCLIX. horrea in eorum locum, quæ Germani circa ripam Reni incenderant, plurima exſtruxiſſe, in eáque frumentum, quod alendis militibus ſatis erat, condidiſſe. Eiuſce aduerſus Salios expeditionis quis fuerit euentus Libanius in laudatione funebri Iuliani docet, in qua dicit Iulianum Cæſarem, more fulguris circa flumen Renum repentè viſum, tantum omnibus Saliis terrorem inieciſſe, vt traduci eò quò vellet ſuppliciter orarent, ſub eius imperio & ditione futuri. agros itaq; petentibus Cæſarem dediſſe, ac poſtea Barbarorũ aduerſus Barbaros operâ in bello vſum eſſe. Quæ ita geſta eſſe Iulianus ipſe ſuprà ſcribit: niſi quòd non nomen omne Saliorum, vti ait Libanius, ſed partem tantùm gẽtis, quæ in Galliam irruperat, deditionem feciſſe veriùs dicit. Salios autem in Galliæ finibus à Iuliano collocatos eſſe docet libellus, principatu Honorij & Theodoſij minoris editus, qui Notitia dignitatum & prouinciarum Imperij Romani inſcribitur: in quo legimus Salios Seniores, eo cognomine à Saliis Iunioribus diſtinctos; quòd primi inter Romanos recepti ſunt, intra Gallias ſub viro illuſtri Magiſtro equitum Gallicanorum militauiſſe. Zoſimus non modò Salios, ſed etiã Quados in deditionem redactos eſſe lib. III affirmat, ac memoriæ tradit Quadis, parti Saxonum, cùm eru-

ptionem in Galliam facere pararent, finitimos Francos, captis armis, iter per suos fines dare noluisse: ne Cæsar iustam belli ipsis iterum inferendi causam haberet.(Nam vt suprà docuimus, Iulianus in primo Consulatu cum Regibus Francorũ, Deusonem Coloniæ Agrippinensi ab ipso captæ oppositum, pagósque vicinos, per quos Saxones nonnumquam in Galliam contendebant, tenentibus, pacem inierat.) Quados itaque tumultuariis nauiculis Franciam circumuectos accessisse ad insulam Batauorum amnicarum maximam: quam occupauerant Salij, Francica gens, à Saxonibus agris expulsi: & fusis fugatísque Saliis, ibi sedem capessiuisse. tum superueniente cum exercitu Iuliano Cæsare, Salios iam à Quadis exagitatos vnà cum Rege suo vltrò eius se fidei ditioníque permisisse: Chamauos Carietтonis Franci præclarâ operâ furtis potiùs quàm prœliis oppressos esse: & ex vtriusque gentis dediticiis legiones, quæ eius ætate nomen retinerent, à Iuliano factas. Quibus verbis Zosimus docet Salios, hoc est partem Saliorum; sub aduentum Iuliani in Gallias, à Saxonibus è finibus suis pulsos, in insula Batauorum consedisse: ibíque Iulianum Cæsarem cum Saliis, & Quadis bellum gessisse. Quamquam nonnulli docti viri, cùm animaduerterent Quados à Valeria regione Pannoniæ flumine Danubio diuisos; ab Oceano, & Saxonia longissimè abesse: & apud Iulianum, ac Marcellinum Saliorum, & Chamauorum velut vnâ eadémque expeditione subactorum mentionem fieri: Zosimum errare, & Chamauos in Quadorum locum substitui oportere existimauerunt. in quos quæ de Quadis Zosimus dicit, nihilo magis conueniunt. Neque enim Chamauos partem Saxonum appellare licuit, cùm & ab Eumenio in laudatione Constantij Cæsaris, & à Sulpicio Alexandro libro IV Historiæ inter Francorum gentes numerentur. Neque eosdem aut per fines Francorum pedestri itinere in Galliam contendere: aut vt insulam Batauorum inter ora fluminis Reni positam peterent; Franciæ litora classe præteruehi oportuit: si verum est, quod Cornelius Tacitus, Tabula Theodosiana, Sulpicius Alexander, & Eunapius Sardianus docent, Chamauos

uos circa inferiorem ripam Reni coluisse: vnde in Galliam, à qua tantùm flumine Reno dirimebantur, ipsis transire facillimum fuit. Præterea auctores huiusce sententiæ, dum Zosimi errorem vitare volunt, in alium necopinantes incidunt: Chamauósque, & Salios, vtrosque Francorum populos, sine causa hostes ex conterraneis ac consanguineis faciunt. Erunt forsitan, qui credent, quidquid Zosimus de Quadis suprà dixit, Caucis maioribus conuenire: quos Claudius Ptolemæus scribit oram Septemtrionalis Oceani ab amne Visurge vsque ad flumen Albim tenuisse; Saxonibus super ceruicem peninsulæ Cimbricæ habitantibus confines: itaut Cauci à conterminis Saxonibus postea domiti, pars eorum vocari potuerint. Cui opinioni libenter accederem, si apud auctores, qui de eo bello scripsere, & in Notitia dignitatum Imperij Romani vti Saliorum, ac Chamauorum, sic Caucorum mentio fieret: & Claudianus Caucos Francorum nationibus non annumeraret.

Ceterùm animaduerto Chamauos (vt ex his, quæ Eunapius & Petrus tradunt, colligi potest) multis suorum occisis; multis captis; in his Regis ipsius filio; ex insula Batauorum à Iuliano expulsos, in finitimam partem Germaniæ; hoc est in suas sedes reuertisse: quibus Cęsar in hosticũ transgressus, ac cum Rege gentis collocutus pacem acceptis obsidibus dederit. Sic autem Eunapius scribit Iulianũ Cæsarem, cùm in Germaniam transiret, & Chamaui, vt ipsis ignosceret, supplices peterẽt: Nebiogastem Regem in colloquium venire iussisse. quem vt in ripa fluminis Reni cum suis stantem conspexit; adhibito interprete se, si obsides sibi darent, cum his pacem facturum dixisse. affirmantibus Chamauis totidem eum fidei obsides, quot captiuos habere: Iulianum respondisse hos se bello cepisse: obsides verò à volentibus tradi oportere. deligerent itaque ex Optimatium numero, quos huic rei maximè idoneos existimarent. aliter pacem suspectam & infidam fore. Rogantibus Barbaris; diceret apertè, quos vellet obsidum nomine accipere: Cæsarem, vt Regis vnicum filium, quem ipse captiuum in sua potestate haberet, ad se adducerent, exegisse. Tum verò

F

Nebiogaſtem, ac Chamauos magno gemitu eiulatúque flentes, & ad pedes Cæſaris prouolutos orâſſe, ne imperaret, quod facere non poſſent: neque enim mortuos ad vitam reuocare ſibi licere. tandem ſilentio facto Regem ita locutum eſſe. Vtinam Cæſar, viueret filius, tibi vt obſes traderetur, hac ſeruitute quàm regni mei poſſeſſione fortunatior futurus. At ille, dum fortiùs quàm cautiùs more iuuenum dimicat: à militibus tuis quis eſſet ignorantibus eſt interfectus: quem tu, tamquam adhuc viuat; pacis obſidem poſcis: ego autem occiſum nunc primùm impatienter lugere incipio: propterea quòd intelligo eo amiſſo ſpem pacis mihi ſimul eſſe ſublatam. Hunc ſi in acie cecidiſſe credideris, conſolabor me ipſe, quantum in meo grauiſſimo caſu potero: ſin minùs, & pater, & Rex inuidioſè miſer habendus ſum. quoniam nunc domeſticam calamitatem cum Republica communicare cogor, & ideò Regni potiri videor, vt mihi priuatim non liceat eſſe infelici. Hac oratione motum Iulianum ne lacrymis quidem temperauiſſe auctor eſt Eunapius: & poſtquam ſatis Barbaros deluſerat, filium Nebiogaſtis Regis Chamauorum; cui capto omnis honos, cultúſque regius ſeruabatur, repentè produxiſſe: & cum patre colloqui iuſſiſſe. tùm Barbaros perinde à mærore in admirationem verſos, quaſi non Regis filium adoleſcentem, ſed eius imaginem ab inferis excitatam viderent, ſtupentibus ſimiles ſtetiſſe, ac totis artubus diriguiſſe. Deinde Iulianum Cæſarem, poſtquam Chamauis mens rediit; & captiuus finem loquendi fecit; talem orationem habuiſſe. Hunc vos iuuenem in prœlio periiſſe exiſtimabatis, ſed Deus fortaſſe, aut Romanorum clementia ſeruauit: quem ego non à vobis ex pacto traditum, ſed bello ac vi captum, obſidis loco habere conſtitui. Et ipſi quidem, dum apud me erit, nihil ex priſtina fortuna defuturum polliceor. vos verò, ſi fidem datam fregeritis, nec conuentis ſteteritis, veſtrorum omnium iacturam facietis. neque id propterea dico; quòd in obſidem quidquam grauius ſum conſulturus. crudelis enim, & inhumani animi eſt pœnas alieni criminis ab inſonte expetere, & ferarum rabiem imita-

ri, quæ venatores canésque insequentes dum fugiunt, in obuium quemque sæuire solent: sed quòd gloriari licet neminem adhuc mecum sine sua pernicie pugnauisse: nedum credatis vobis, si fœdus ruperitis, Deo aduersò meliùs successurum. His per interpretem auditis, Chamaui suppliciter magis pacem petentes, quàm (vt ait Eunapius) Iulianum Cæsarem, tamquam præsentem Deum venerabundi procubuere: eidémque bona ac læta omnia sunt precati: qui pace cum eis æquis legibus initâ, Nebiogastis matrem, sicuti popoſcerat, obsidem accepit.

Constantio X, & Iuliano III Coss. milites Gallicani, CCCLX. quorum optimam & maximam partem Imperator Constantius ad custodiam Mesopotamiæ traducere volebat: transmarinam militiam detrectantes defecere: & Iulianum Cæsarem Luteciæ Parisiorum, vbi tum hiemabat, inuitum per vim Augustum appellauere. qui eodem anno (vt Marcellinus in libro XX scribit) cùm Attuarij, Franciæ gens quietis impatientissima; finitimorum cladibus nequaquàm deterriti oram Galliæ exteriorem prædationibus licentiùs infestarent: in inferiorem Germaniam contendit: & apud opidum Tricesimam exercitu Renum transportato, eorum regionem proximam flumini improuisò intrauit: ac Attuarios inopinantes, atque etiam securos, quòd se locorum aditu difficilium præsidio munitos existimabant; neque ob id vllum antea Principum Romanorum in suos pagos exercitum introduxisse meminerant; facilè oppressit: multísque captis, & occisis reliquos omnes, vt pacem peterent, & leges à se dictas acciperent subegit: non aliter Gallos, qui circa ripam Reni, & oram Oceani incolebant, à Francorum latrociniis tutos se præstare posse arbitratus. Ex his, quæ suprà diximus, apparet Claudium Iulianum, cùm de bello Constantio inferendo apud milites orationem haberet, haud immeritò gloriatum populandi diuturnam licentiam, & continentes irruptiones Alamannorum atque Francorum suo ductu ac ipsorum virtute repressas esse: ab eo enim (sicut Eutropius & Orosius loquitur) magnâ Alamannorum multitudi-

ne fusâ; & *summotis vltra Renum Germanis*, (hoc est Francis) fines sui Imperio Romano sunt restituti.

Anno insequenti Tauro & Florentio Coss. mortuo Constantio Aug. Iulianus Orbis Romani potitus est.

CCC-LXIII. Iuliano IV Consule ad bellum Persicum profecto, atque occiso: V Kal. Iulias Iouianus Varroniani Comitis filius, natione Pannonius Imperator est salutatus: eodémque anno Malaricus Francus, qui sub Constantio Augusto Tribunus Gentilium fuerat: cùm negotia, quæ habebat in Italia, per se ipse procuraret: delato sibi per codicillos à Fl. Iouiano Principe Magisterio militum Galliarum vti noluit. Circa idem ferè tempus Mellobaudes Tribunus, & Siluani quondam amicus, ac ciuis (quemadmodum Marcellinus in libro XXV scribit) vnà cum Neuitta, & Victore apud Saporem Regem Persarum pacis obses fuit: dum Fl. Iouianus Aug. magis militum fami quàm famæ suæ consulens, regiones quasdam & opida atque castella ad ripas Tigris posita hostibus tradit. quamquam hunc in aliquot Marcellini libris manuscriptis non Mellobaudem; sed Bellouedium appellari animaduerto. Non multo pòst Seniaucum quoque Tribunum, cum Lucilliano Iouiani socero, milites Gallicani seditione orta interemerunt.

CCC-LXIV. In libro quintodecimo Codicis Theodosiani inuenio insequenti anno, quo Iouianus, & Varronianus Consules fuerunt, exercitui, qui in Dacia Ripensi erat, Tautomedem Ducem præfuisse. cuius ego Ducis nomen nec linguæ Græcæ, nec Latinæ notum emendari, & in Teutomerem mutari oportere arbitror: eóque nomine Teutomerem designari: quem & natione Francum, & Constantij Augusti Stipatorem fuisse scripsi.

Eodem anno mortuo Iouiano Flauius Valerius Valentinianus Cibalensis Gratiani Comitis filius ex Tribuno ab exercitu factus est Imperator.

CCC-LXV. Valentiniano & Valente Augg. Coss. Valentinianus Coloniam Agrippinam petiit, non ob aliud, credo, quàm vt cum Francorum Regibus fœdera antiqua ex more iniret: vt docet lex Codicis Theodos. libri XI titulo XI inserta, & data pridie Kalendas Octobres Agrippinæ.

Valentiniano & Valente Augg. Coss.

Eodem anno superioris, inferiorísque Germaniæ le- CCCLXV.
gionibus præerat Charietto homo Francus, cuius suprà
mentio facta est: & cuius de rara magnitudine, de exi-
miis viribus, de præclaris factis, & de inuicta terribi-
lique audacia Ammianus Marcellinus libro XVII Eu-
napius apud Suidam, ac Zosimus libro III referunt.
Hic, vt Marcellinus in libro XXVII tradit, supradictis
Coss. cum Alamannis pugnauit, qui post Kalendas Ia-
nuarias Renum transierant, & apertis limitibus Galliam
incursionibus vastabant. dúmque fugam suorum obiur-
gationibus, & obiectu corporis sistere conatur; diúque
confidenter consistens pedem referre erubescit; ab ho-
stibus est interfectus: & Alamanni per vtramque Ger-
maniam, ac Belgicam licentiùs effusi prædam ex agris
egerunt: quos, vt in tres partes exercitum diuiserant;
anno sequenti Flauius Iouinus Magister equitum cùm CCCLXVI.
furtis belli feliciter oppressit; tum prœliis fortiter supe-
rauit, semel apud Catalaunos Barbarorum VI millibus
in acie cæsis, IV vulneratis. vnde apud Hydatium in
Fastis dicitur Valentinianus Gratiano Nobilissimo, & CCCLXVI.
Dagalaifo Coss. gentem Alamannorum vicisse.

Lupicino & Iouino Coss. Flauius Valerius Valenti- CCCLXVII.
nianus Pannonius, vt antea Valentem fratrem, ita Gra-
tianum filium nonum annum agentem, assentiente exer-
citu Gallicano Samarobriuæ Ambianorum in consor-
tionem Imperij recepit. Tum sicuti Marcellinus in libro
XXVII scribit, Franci, & qui Francis finitimi erant, Sa-
xones tractum omnem Galliarum vicis ac opidis, quò
adire terrâ maríque potuerunt, direptis ac incensis; ca-
ptiuis etiam interfectis sunt depopulati. Hoc loco no-
tandum est non apud Marcellinum tantùm, sed etiam
apud Iulianum, Eutropium, Ambrosium, Orosium, Zo-
simúmque, & alios scriptores Francos Saxonibus sem-
per, ac plerumque Alamannis quadam honoris præro-
gatiuâ præponi; atque à Libanio plurimarum gentium
Barbararum maiorum minorúmque caput appellari.
propterea quòd longè validissimi & nobilissimi Ger-
manorum omnium, ac belli gloria præstantissimi erant.

Sub idem tempus cùm Picti, Scoti, & Atacotti Nectaridum præfectũ oræ maritimæ, & Fullofaudem Ducem in Britannia victos occidissent: Theodosius, Theodosij Principis pater, à Valentiniano Aug. aduersus eos missus est. qui Barbaris in siluas ac paludes suas compulsis; regiones, quas intra Vallum occupauerant, recepit: & vt existimo rebus Britanniæ compositis, mare à piraticis classibus Francorum & Saxonum vindicauit: & Francos quidem in insula Batauorum fudit: Saxones autem gentem feram in Septemtrionalis Oceani litoribus ac paludibus inuiis sitam, virtute ac repentinis incursionibus terribilem circa Orcadas nauali prœlio superauit. Sanè apud Onufrium, & Goltzium legitur inscriptio, in qua Imperator Cæsar Fl. Valentinianus, vnà cum Fl. Valente fratre, & cum Fl. Gratiano filio Imperatore II, Consule I, *Germanicus Maximus, Alamannicus Maximus, Francicus Maximus, Gothicus Maximus, Tribuniciæ potestatis* VII, *Imperator sextùm, Consul* II appellatur. Præterea Drepanius Pacatus, Gallus, Procõsularis vir in oratione, quâ Theodosio Aug. occisum Maximum gratulatur, inter patris eius Theodosij res gestas clades Francis Saxonibúsque illatas numerat his verbis. *Quæ Renus, aut Vacalis vidit aggrediar? Iam se mihi Sarmatica cæde sanguineus Ister obiiciet. Attritam pedestribus prœliis Bataviam referam? Saxo consumtus bellis naualibus offeretur. Redactum ad paludes suas Scotum loquar? Compulsus in solitudines auias omnis Alamannus, & vterque Maurus occurrent.* Eumdem Theodosium Drepanius eadem in oratione Saxonici nomen meruisse ait. Apud Claudianum de IV Consulatu Honorij Aug. auus eius Theodosius supradictus appellatur

Terribilis Mauro, debellatórque Britanni
Litoris, ac pariter Boreæ vastator & Austri.

cuius ductu —— *Maduerunt Saxone fuso*
Orcades: incaluit Pictorum sanguine Thule:
Scotorum cumulos fleuit glacialis Iuerna.

Quibus in versibus quod asserit Claudianus, Pictos in insula Thule; Scotos in Ibernia à Theodosio fusos ac fugatos esse: id poëticâ fide dici constat. Nam Marcel-

linus, & Pacatus Drepanius auctores sunt Pictorum, & Scotorum copias in Britannia prœliis victas esse: cuius dimidiam partem ad Septemtriones conuersam, siluis & paludibus impeditam ac sterilem ob idque neglectam à Romanis, & muro per transuersam insulam ducto exclusam Picti indigenæ; siue Britanni liberi; ferro ora artúsque pingere soliti; & Scoti ex Ibernia orti tenebant.

Valentiniano III, & Valente III Coss. Saxones, qui piraticis lembis iterum in Galliam peruecti maritimam oram depopulabantur, perfidiâ Seueri Magistri peditum circumuentos, ac occidione occisos esse Ammianus Marcellinus libro XXVIII scribit. Quam iniuriam cladémque popularium vlturi Saxones Valentiniano IV & Valente IV Coss. cùm tertiùm in Galliam erumpere pararent, eóque per Germaniam magnâ manu ire contenderent: circa Deusonem in Francorum finibus Valentiniani auspiciis oppressi sunt, & interfecti. quemadmodum Hieronymus, & Orosius in libro VII, & Cassiodorus Senator in Chronico tradunt. Hîc Pontanum, & quosdam alios nostræ ætatis doctos viros mirari conuenit, qui à Marcellino, & ab Hieronymo, ac Orosio vnius eiusdémque Saxonum expeditionis mentionem fieri dicunt. cùm altera incursio naualis; altera pedestris: hæc tertio Consulatu Valentiniani Aug. (vt Marcellinus ait) illa quarto (sicuti Cassiodorus Senator prodit) facta fuerit. cùm præterea in hac incursione Saxones classe Galliam petierint; ibi prædas ex agris egerint; Nanneium fuderint; pactíque vt inuiolatis abire & naues conscendere liceret, à Seuero contrà religionem iurisiurandi insidiis excepti sint, & occisi: In illa *periculosam Romanis finibus eruptionem* (sicuti Orosius loquitur) *magna mole meditantes* priusquam Renum transirent, & Galliam ingrederentur, in regione Francorum apud Deusonem à Romanis sint cæsi; quod castellum Coloniæ Agrippinæ obiacens tum forsitan Romanorum præsidio tenebatur. quippe Ammianus Marcellinus in libro XXVIII & XXX auctor est Valentinianum Aug. castra siue hiberna legionum, & castella à capite

ni

Reni vſque ad oſtia poſita in altitudinem extuliſſe: & celſiſſimas turres in vtraque fluminis ripa Romana hoſtilique opportunis locis crebras conſtituiſſe: vnde longè latéque deſpici poſſet, ne qua ex improuiſo à Germanis in Galliam eruptio fieret. Quæ cauſa fuit, quare Franci principatu Valentiniani ad vaſtandam Galliam Renum aut numquam, aut admodum rarò tranſierint: præſertim cùm Valentinianus delectu habito in prouinciis, maximéque in Gallia; tironibus etiam ex Germania conductis exercitus adauxiſſet.

CCC-LXX. Supradictis Valentiniano III & Valente III Coſſ. Burgundiones, gentem Germanã, quos Marcellinus Burgundios appellat, bellicoſos & immẽſa multitudine omnibus finitimis timendos; Valentinianus Aug. crebrò ſcriptis ad eorum Reges literis in Alamannos immiſit: pollicitus eodem ſe tempore Renum cum exercitu tranſiturum, & territis ac palantibus ſuperuenturum. quo probato conſilio Burgundionum Reges cum lectiſſimis copiis vſque ad ripas Reni progreſſi, antequam Valentinianus in exſtruendis munimentis occupatus milites in vnum locum conduxiſſet, prouincialibus magno terrori fuere: atque ibi paullùm commorati ad Valentinianum Aug. qui die conſtituta non venerat, legatos miſere cohortes auxiliarias petitum, quibus ſuorum domum redeuntium terga tegerentur. quo non impetrato indignati ſe à Principe deceptos ac deriſos in ſuas ſedes reuerterunt. ita Macrianus potentiſſimus Alamannorum Rex Burgundiones euaſit. vt libro XXVIII tradit Ammianus Marcellinus, qui & adiicit Regi apud Burgundiones vetere quodam inſtituto Regnum abrogari conſueuiſſe, ſi ſub eo clades accepta eſſet; aut frumentum anguſtiùs proueniſſet: ſacerdotem verò omnium maximum, qui Siniſtus appellaretur, fuiſſe perpetuum, nec vllis diſcriminibus obnoxium: Burgundionéſque de finibus ac de ſalinis cum Alamannis ſæpe pugnauiſſe: & iam inde à priſcis temporibus *ſobolem* eos *eſſe Romanam:* quos Mamertinus contrà in Genethliaco Maximiani Aug. cum Vandalis, Burgundiis, & Alamannis numerat inter populos; *quibus numquam contigit eſſe Romanis.* At Hieronymus

in

in Chronico, Orosius in libro VII, & Cassiodorus Senator scribunt triennio pòst, nimirum IX imperij Valentiniani anno, Valentiniano & Valente IV. Coss. *Burgundionum* LXXX *ferè millia ad Renum descendisse, & ripæ fluminis insedisse.* CCCLXXIII. quo anno Saxones, gens quò ventus ferret inexploratò erumpere; & captiuorum decimum quemque Diis patriis immolare solita, cùm transire in Galliam pararent, apud Deusonem in Francorum finibus ab Valentiniano Aug. oppressi fuerant. Orosij verba notanda sunt. *Burgundionum quoque nouorum hostium cœpit nomen nouum, qui plusquam* LXXX *millia, vt fertur, armatorum ripæ Reni fluminis insederunt.* Ex quibus colligo Valentiniani principatu intra quadriennium duas à Burgundionibus expeditiones esse susceptas: quarum altera à Marcellino describatur; altera ab Hieronymo, Orosio, & Senatore enarretur. quippe in priori expeditione Burgundiones accersiti amicíque venerunt, & in Valentiniani gratiam Alamannis bellum illaturi: in posteriori *hostes*, (vti ait Orosius) Valentinianóque ob promissum non seruatum infesti, ac in Galliam, si possent, erupturi: hæc Valentiniano III & Valente III Coss. illa in IV vtriusque Consulatu facta est. neque existimo armata millia LXXX non aliter quàm *cateruas lectissimas* ab Ammiano Marcellino appellari debuisse, aut ad domum reditionem egere externi præsidij, ac tantopere tergis suis timere potuisse. mirórque Paullum Orosium, quòd Burgundiones Valentiniani maioris principatu *nouos hostes*, ignotósque antea Romanis fuisse putet, *nouúmque* eorum *nomen* tùm audiri primùm cœptum affirmet. cùm Plinius Secundus in libro IV Germanos, & partem Vindilorum, hoc est Vandalorum Burgundiones vocet: quos Zosimus similiter libro I Vandalis tamquam finitimos adiungit, Burgundósque appellat. vt eorum nomen Valentiniano imperante nouum esse nequaquam potuerit, quod ætate Plinij, seu Flauij Vespasiani principatu ante Valentinianum annis ampliùs CCC notum iam Romanis erat. Sed nec tum *noui hostes* Romanorum Burgundiones fuisse dici possunt: si quidem (vt Zosimus libro I prodit) post Au-

CCLXXV. reliani Aug. mortem vnà cum Vandalis in Galliam erupere, depopulatísque eius prouinciis vbi domum reuertere; in suis sedibus Probi Principis vires experti sunt anno ferè centesimo ante IV Valentiniani Consulatum. & paucis pòst annis, adiunctis sibi Alamannis, magnâ manu Renum transiere, ac in Gallia (quemadmodum ait Claudius Mamertinus) fame & pestilentia magis,
CCLXXXVI. quàm Maximiani Herculij armis Romanorúmque militum virtute confecti sunt: móxque orto de finibus bello Alamannorum agros occupauere, & amissa repetentibus Alamannis, vtraque gens magnis cladibus attrita est. Denique Hieronymus, & Senator, cùm de eadem, qua Orosius, Burgundionum expeditione loquentes dicunt *Burgundionum* LXXX *ferè millia, quot numquam antea, ad Renum descendisse:* satis apertè indicant multas antea alias expeditiones aduersus Gallos à Burgundionibus susceptas, nullam tamen tot ac tantis copiis factam esse. Et hi quidem Burgundiones, quos Procopius & Agathias Burguziones, & nonnumquam Burgunziones; Iordanes manuscriptus Burgundzones appellat, trans Renum in Germania sedes habuere. alij autem Burgundiones, Scythica gens vltra Istrum coluere: à Claudio Ptolemæo Frugundiones dicti, & in Sarmatia Europæa positi. quos Iordanes in libro originũ rerúmque Gotho-
CCXLVI. rum Burgundiones vocat, & Philippi principatu à Fastida Gipedum Rege, exercitum hac veluti prolusione expeditioni Gothicæ præparante, pæne ad internecionem cæsos ait. Eosdem Zosimus in Historiæ libro I Vrugundos appellat, & vnà cum Gothis, Boranis, ac Carpis Istri accolis Illyricum omne incursionibus impune vastauisse
CCLVIII. Valeriano & Gallieno imperantibus tradit, atque vrbes Europæ, quæ Thraciæ prouincia erat, captas diripuisse. Ex quibus intelligitur hosce Burgundiones Gothis, & Carpis fuisse finitimos: quod & Claudius Mamertinus indicat in Genethliaco Maximiani Aug. vbi etiam Burgundiones gentem Germaniæ à Burgundiis (ita enim appellat) gente Scythica distinguit. verba Mamertini vt emendentur ponenda sunt. *Gothi Burgundios penitus excidunt: rursum pro victis armantur Alamani.* Vbi Alani

ſuo loco reddendi ſunt, & Alamanni in Germaniam remittendi. Alani enim Tanaitæ Gothorum, qui Greutungi vocabantur, fines attingebant. at Critici quidam, cùm Burgundiones, gentem Germanam Alamannis confinem, & Burgundios apud Mamertinum vnam eamdémque nationem eſſe putarent, Burgundiis pro Alanis Alamannos ſocios & auxiliarios temerè adiunxere. Idem mendum reperio in libro II Conſtantij Preſbyteri de vita Germani Auteſſiodurenſis Epiſcopi, in quo Eocharicus pro Alanorum Rege Alamannorum Rex appellatur. Agathias Burgundiones hoſce, *Burugundos gentem Hunnicam*, non veriùs quàm Burgundiones eos, qui ex Germania in Galliam tranſiere, gentem Gothicam vocat. quippe Hiſtoriæ libro V ſcribit Hunnos, qui communi nomine Scythæ appellentur, in plures nationes fuiſſe diuiſos, atque alios Cutriguros; alios Vturguros, vel Vtiguros; alios Vltinzuros; alios Burugundos; alios aliter nuncupatos: qui cùm Mæotin tranſiſſent, cultoribus regionum victis & expulſis in Europa conſederint: è quibus Vltinzuros, ac Burugundos vſque ad Leonem Aug. CCCC-LVII.
hoc eſt, vſque ad Attilæ mortem nobiles ac validos fuiſſe: ſua autem ætate, nimirum Mauricij Tiberij principatu neutrius gentis nomen audiri Romanis: vel quòd IↃLXX-XII.
exciſi ac funditus euerſi pridem erant: vel quòd alias ſedes remotas à limitibus Imperij Orientis petiuerant. Hi ſunt Vltinzuri, quos Iordanes Vlzinzures appellat, & cum Bittuguribus, hoc eſt Vtiguris, & Angiſciris Denzici Hunnorum Regi Attilæ filio paruiſſe prodit. Proſper autem & Iordanes auctores ſunt mortuo Attila Rege pleroſque, qui ſub Hunnorum imperio erant, ab eius filiis de regno inter ſe contendentibus deſciuiſſe, inde bella exarſiſſe, & ferociſſimos populos mutuis incurſionibus ac cladibus eſſe attritos, nec paucos domo emigrauiſſe. Equidem Burgundiones præter ceteros paruiſſe Hunnis ſcio. nam Apollinaris Sidonius in carmine VII Burgundiones, atque vnà Sciros, gentem Sarmaticam, Attilam in Galliam ſecutos dicit,

Scerum Burgundio cogit.

Sed ob id gentibus Hunnorum eos annumeratos eſſe,

aut vnà cum Hunnis Mæotin transiisse non credo. cùm
CCC-LXXV. Hunni ætate Valentis Aug. paludem Mæoticam transierint, & Sarmatiam Scythiámve Europæam Gothis expulsis occupauerint: Burgundiones verò supradicti (vti Zosimus indicauit) ante hunc transitum annis ampliùs CXX in Sarmatia Europæa sedes haberent, & Thraciam ac Illyricum depopularentur. Vt appareat eosdem postea ab Hunnis Mæoticum lacum transgressis vnà cum finitimis Alanis & Gothis, ceterísque Sarmatarum nationibus domitos esse: meliúsque ac verius Agathiâ Procopium affirmare Hunnos Vtiguros, ac Cutriguros solos, (qui tamen iam tum his nominibus noti fuisse mihi non videntur) nec vllos vnà Burgundiones Mæotin transiisse. Hæc de Burgundionibus cùm Transrenanis, tum Transistrianis notaui, vt studiosi faciliùs auctores de vtrisque loquentes intelligerent, neque ex Germanis & Scythis confusis gentem vnam facerent.

CCC-LXXV. Post Consulatum Gratiani III, & Æquitij Valentinianus maior Bregetione in Valeria parte quondam Pannoniæ decessit: & Valentinianus minor eius ex Iustina filius, tum quadrimus in castris ad Aquincum opidum VI pòst die ab exercitibus Gallicanis & Illyricis Imperator est consalutatus, Æquitio, & Merobaude Magistro peditum, ac Cereale pueri auunculo auctoribus: factúmque militum mox Gratianus Aug. Valentiniani maioris ex Seuera priori vxore filius comprobauit. à diuerticulo Francos repetamus.

Vetus quidam rerum nostrarum scriptor, Theoderici Merouingorum Regum penultimi æqualis; Rorico Monachus; Auctor libri de vita Sigeberti Dagoberti filij; Aimoinus in libro I Historiæ; Sigebertus, aliíque recentiores tradunt Troianis, seu Sicambris Pannoniæ tum incolis, ac Mæotidi paludi vicinis, iamdiu Imperio Romano (vt affirmant) subiectis tributa in decenniũ ab Valentiniano maiore remissa esse. quòd eorum operâ Alanos, qui defecerant, victíque in supradictam paludem se receperant, ibidem ad internecionem cecidisset. ob id Francos, hoc est feroces, ab Imperatore appellatos esse: post annos X vectigal dependere recusauisse: Senatorem

Romanum, exactorésque interfecisse: & à Valentiniano atroci prœlio fusos præter ceteros Regem Priamum Alanorum victorem amisisse. tum Francos ne libertatem perderent digredientes finibus Pannonię, ac relictâ vrbe Sicambriâ, Marcomere & Sunnone ducibus in Germaniam commigrauisse, & circa ostia fluminis Reni sedem cepisse. Et in legis Salicæ procemio dicuntur Franci pauci numero, sed virtute præstantes grauissimum Imperij Rom. iugum excussisse: armísque libertatem recuperauisse. similiter Monachus quidam in libro II rerum gestarum Caroli Magni scribit Germaniam, Francósque à Romanis defecisse. Quam totam fabulam aliàs, vti spero, euertam, neque huic loco inseruissem, nisi nonnullos doctos viros, quidquid apud quosque auctores legerint, pro certo habere animaduertissem. Nunc (ne de Francorum origine, ac nomine; de Sicambria opido; & de Pannonia procul à palude Mæotide terris fluminibúsque diuisa loquar) nego Francos, & Alanos Principibus Romanorum stipendiarios vmquam esse factos. Nam & Franci centum annis ante Valentiniani ætatem continentibus incursionibus, quas suprà scripsi, prouincias Imperij Romani, in primis finitimam Galliam vastauere: & Flauius Vopiscus auctor est, cùm Interamnæ statuæ marmoreæ Taciti ac Floriani fratrum fulmine ictæ contritæque concidissent; consultos Haruspices respondisse ex eorum familia Imperatorem Romanum quandoque exoriturum, qui Parthis ac Persis iudices daret; & Francos ac Alamannos legibus Romanis assuefaceret. Nitardus quoque in libro I bellorum ciuilium ait Francos Romanis viribus domari non potuisse. Denique ne Valentinianum quidem Alanis bellum intulisse vllus historicus scribit. contrà Ammianus Marcellinus libro XXXI tradit eosdem sua ætate, id est Valentiniani principatu, in Scythia finitimis omnibus bello superatis, qui & ipsi victorum nomine appellabantur, imperauisse. constátque Renum vt antea, sic tum maximè; & Danubium, ex quo Aurelianus vetere Daciâ decessit; finem Imperij Romani fuisse: & quarto regni Theodosij, septimo post mortem Valentiniani anno, Antonio,

&Syagrio Coss. (ſicut Proſper Aquitanus in Chronico refert) Priamum in Francia regnare cœpiſſe. Neque eſt, quòd quiſquam dicat à Conſtante, & ab Honorio Reges Franciæ præpoſitos fuiſſe videri. quando Druſus Cæſar Vannium Sueuis impoſuit: & Zizais à Conſtantio Aug. Regnum Sarmatarum liberorum accepit: atque Parthamaſpates à Traiano Rex Parthorum apud Cteſiphontem eſt conſtitutus. Sueuos tamen, & Sarmatas, & Parthos nemo eſt qui credat vnquam Imperio Romano paruiſſe. Nec auctorum contrà ſentientium opinionem Iordanes quidquam adiuuerit, à quo dicitur Aëtius *ſuperbiam Sueuorum*, hoc eſt Iuthungorum, *Francorúmque barbariem magnis cædibus ſeruire Imperio Romano coëgiſſe.* quippe his verbis Iordanes tantùm oſtendit Francos, & Iuthungos poſt aduerſa prœlia, factámque pacem Romanis contra hoſtes auxilium tuliſſe: ſicut Meroueus Francorum Rex bello Hunnico fecit. Ita Flauius Vopiſcus in libro de vita Probi Aug. loquitur, affirmans omnes Germanos, hoc eſt Francos, & Alamannos, quos alij Alamanos, alij Alemannos, quidam Alemanos appellant, cùm à Proculo ſolicitarentur, *Probo ſeruire, quàm cum Proculo eſſe maluiſſe.*





HADRIANI VALESII RERVM FRANCICARVM

LIBER SECVNDVS.



OPTANDVM nobis fuerat, vt rerum à Maioribus nostris aduersus Romanos, & Barbaros terra marique gestarum Francos scriptores haberemus. Verùm quoniam vti ceterarum nationum ita & nostræ à Romanis primordia petenda sunt, qui præsertim in panegyricis clades gentium dissimulatis earumdem victoriis in Imperatorũ gratiam amplificârunt: vereor ne pleraque superiore libro de Francis dicta ingratâ relatione lectorum animos fatigarint: dum infelices incursionum euentus; victos Francos, & aut cæsos in acie; aut captiuos in arena cum Regibus suis bestiis obiectos; ac insultationes Romanorum expono. Quamquam si quis attentè cõsideret, quo se modo Franci his in calamitatibus gesserint: haud dubiè fatebitur nusquam clariùs & illustriùs eorum virtutes eluxisse, quas ipsorum hostiũ oratores aliud agendo imprudentes laudauerunt. Quanto enim animo quantáque constantiâ Franci captiui, ne in amphitheatro Romanis diutiùs

ſpectaculo eſſent, mortem ſibi ignominia leuiorem maturauere? & cùm ceteri ad beſtias condemnati ſuppliciter vitam precari; aut exſangues metu totâ arenâ fugere ſolerent: ipſi tamquam parum eſſet emiſſas cauea feras exſpectare, vltro eis occurrebant; ſæuientium rabiem laceſſebant; vrſorum rictibus ſemet ingerebant. cùm tamen natio frequens & valida tot continuis cladibus non infringi, ſed accendi; tam crudelibus ſuorum ſuppliciis non ab incurſionibus deterreri, ſed ad vltionem ſtimulari, & ad maiora audenda incitari videretur. Certè Fl. Valerius Conſtantius Cæſar in Batauia, in inſula Britannia, in media denique Francia magnas ex Francis victorias tulit. num ideo poſtea Conſtantini principatu Franci rariùs in Gallias irrupetunt? Num à Conſtantino toties victi arma depoſuerunt? nonne & Criſpo Cæſari, & Conſtanti Aug. eius filiis bellum intulerunt? nonne, vt ceteros antea omnes in Gallia tyrannos; ſic tum Magnentium auxiliis iuuerunt? nonne occupationibus, & mortibus Imperatorum; ſegnitia Ducum; abſentia legionum in occaſionem incurſionum vſi ſunt? vt quæ domi deerant opes de Romanis quærerent, & ignominiam acceptam vlciſcerentur. Si tamen tam ignominioſo nomine clades Francorum appellare licet, quos conſtat ab Romanis non vi, ſed dolo; non prœliis, ſed furtis vinci conſueuiſſe: & quos præter ceteros truces, ferina contentos, ac vitæ contemtores Panegyriſta quidam fatetur difficillimè ſuperari potuiſſe. Aſcaricum quidem & Regaiſum Francorum Reges tamquam tranſfugas vel fugitiuos turpiſſima ac tæterrima morte affectos eſſe indignabitur magis quàm mirabitur, qui Duces hoſtium à veteribus Romanis vinctos ante currum duci, & in carcere necari ſolitos non ignorauerit. Sic Ariſtonicum Regem Pergamenorum carnificis manu ſtrangulatum; ſic Iugurtham Numidiæ Regem fame necatum; ſic Antigonum Iudæorum Regem iuſſu M. Antonij Triumuiri ſecuri percuſſum accepimus. & ne ſibi placeant finitimi Francis Alamanni; Regem eorum Valentiniani maioris principatu à militibus Romanis captum & ſuffixum patibulo apud Ammianum

Mar-

Marcellinum inuenimus. minùs vt mirum sit Constantinum, qui in Dardania natus inter Mœsos *ipsorum* (vt ait Florus) *Barbaros Barbarorum*, multum à popularibus traxerat feritatis: qui filium; vxorem; ambos Licinios, alterum sororis virum; alterum filium; multósque amicorum suorum interemit: in Reges nostros tam inhumanè sæuiisse. cuius sæuitiæ hanc præcipuam causam fuisse ex Eutropio intelligitur, vt eo supplicio Constantinus militum sibi & Gallorum animos conciliaret: quorum alteri continuis Francorum irruptionibus fatigati semper in armis esse cogebantur: alteri sine intermissione vexati populationes agrorum suorum in auctores vindicari cupiebant, & perpetuam sibi securitatem ac pacem occisis hostium Regibus promittebant. Neque tamen prouincialibus voto potiri, ac militibus quiescere licuit, antequam Constans Aug. Constantini Maximi filius pacem cum Francis fecisset. quo tempore ob aduentum eorum in Galliam tanta Occidentis prouincias perturbatio, tantúsque terror inuaserat, vt Galliarum atque etiam Italiæ Episcopi inuitati à Constantio Aug. ecclesias sibi commissas deserere, & Concilij habendi causâ Antiochiam proficisci non auderent. Tum igitur pace factâ, multi primores Frãcorum ad Constantem; ac deinde ad Constantium fratrem eius se contulere: eorúmque multitudo in Palatio florere cœpit, ita factum est, vt qui domi remanserant Franci rariùs postea in Galliam erumperent. Siue quòd Optimates suos Principibus Rom. militantes reuerebantur: siue quòd cum popularibus pugnare nefas esse existimabant. tantùm enim fidei ac virtuti Francorum Imperatores credebant, vt eos sæpiùs ac libentiùs quàm Romanos ad muniendam ripam Reni, & ad reprimendos non Alamannos modò, sed etiam Francos ipsos mitterẽt. Ita Siluanum Francum Constantius Magistrum militum fecit, & in Galliam, quæ ab Francis & Alamannis ferro & igne vastabatur, misit. Ita Charietto nationis eiusdem principatu Valentiniani Comes per vtramque Germaniam, exercitum Francis, Alamannísque oppositum rexit. Ita Mallobaudes Francorum Rex ab Gratiano Aug. Comes Domesti-

corum factus, & cum magnis copiis aduersus Alamannos missus est. à qua expeditione libri huius Deo auspice sumemus exordium.

CCC-LXXVIII. ALENTIS VI & Valentiniani II Consulatus quàm Occidentalibus lætus, & felix; tam Orientalibus Romanis funestus ac pæne exitiabilis fuit. quippe Gothi, quos à Mœsia inferiore & Scythia Thraciæ prouinciis Ister antea diuidebat: ab Hunnis suis sedibus expulsi, ac iussu Imperatoris in finibus Thraciæ collocati ex constituto rebellauere. ac primò Lupicinum; mox Traianum Duces fudere: vltimò Valentem ipsum totis Imperij viribus instructum ad duodecimum lapidem ab Hadrianopoli acie victum occidere. atque exinde ex vexatoribus Thraciæ & Illyrici prouinciarum possessores fieri cœpere: maiori postea Occidentalibus, quàm Orientalibus Romanis exitio futuri. At eodem anno in Occidentis tractibus cùm Lentienses, Alamannorum gens Rætiæ proxima; XL millibus hominum coactis in Galliam irrupissent: Gratianus Aug. Nannienum cautum Ducem cum exercitu aduersus hostes misit; eíque socium imperij dedit *Mallobaudem, Domesticorum Comitem, Regémque Francorum, virum fortem ac bellicosum.* qui ambo apud Argentouariam opidum superioris Germaniæ Lentienses acie fuderunt ac fugauerunt. adeò vt (quemadmodũ Ammianus Marcel.lib.XXXI scribit) ex prœlio Barbarorum millia non ampliùs quinque superfuerint: Réxque ipse, nomine Priarius, auctor belli sit interfectus. Eiusdem Lentiensium, siue Alamannorum cladis Hieronymus, Orosius, & Cassiodorus Senator mentionem faciunt: è quibus Senator, à Marcellino sine
CCC-LXXVII. causa dissentiens, Gratiano IV & Merobaude Coss. prœlium commissum esse dicit. Hic est Mallobaudes Rex, quem Marcellinus libro XXX Mellobaudem appellat: & cuius insidiis circumuentum Macrianum, Alamannorum Regem potentissimum, dum populabundus auidiùs quàm cautiùs Franciam peruagatur; periisse tradit. quem præterea Tiro Prosper prodit Rico-

mere, & Clearcho Coss. Magistrum militiæ fuisse, & CCC-LXXXIV.
Gratiano circa Luteciam Parisiorum cum Maximo confligente, ad Maximũ transiisse. Verba Prosperi huic loco inserere conuenit. *In Britannia per seditionem militum Maximus Imperator est factus: quo mox in Gallias transfretante, Gratianus apud Parisios Merobaudis Magistri militum proditione superatus, & fugiens; Lugduni captus atque occisus est.* Quibus in verbis mendũ esse, & sublato Merobaudis nomine, Mellobaudis nomen in suũ locum restitui oportere nulli animaduersum miror. Nemo enim in Marcellini ac Pacati lectione versatus nescit Merobaudem Magistrum peditum in Gallia; deinde bis Consulem, Imperatorísque Gratiani amicum & consiliarium, fidem ei ad vltimum sanctissimam præstitisse: rebúsque perditis, & Gratiano ab exercitu suo deserto ac prodito, quòd militibus Romanis paucos Alanos ingenti mercede conductos anteponeret: arbitrium Maximi victoris suapte manu occupauisse. Comites autem, hoc est rectores Domesticorum equitum & peditum (ne quis Mallobaudem Francorum Regem eo functum officio miretur) Præfectorum, & Magistrorum militiæ auctoritati proximi fuere: adeóque dignitate eminuere, vt Diocletianus, & Michael cognomento Τραυλὸς ex Comitibus Domesticorum; Iouianus ex Domesticorum primo; Glycerius etiam ex Domestico facti sint Imperatores: & Bacurius à Rufino gentis Iberorum Rex, à Socrate Regalis dictus; ac Ataulfus, qui post Alarici mortem Gothorum Rex fuit; præterea Dagalaifus, Ricomeres, Stilico, Castinus, Sporacius, Venantius, Mauortius, qui omnes ad Consulatum peruenere; Comites Domesticorum fuerint. quamobrem Malchus pręfecturam, seu (sicuti vocabant) Comitiuam Domesticorum inter Palatinas dignitates claram & illustrem appellat. Apud Ammianum Marcellinum inuenio Mallõbaudem, & Ricomerem vno eodémque anno, nimirum Valente VI & Valentiniano II Coss. Comites Domesticorum CCC-LXXVIII.
Gratiani fuisse. Ex quo apparet alterum Domesticis equitibus; alterum Domesticis peditibus præfuisse. Et de Mallobaude quidem suprà diximus: nunc de Ri-

comere pauca dicenda sunt.

Fuit Ricomeres natione Francus; stirpis Regiæ; patriæ virtutis & religionis tenax. Hic à Gratiano Augusto, ad quem se contulerat, in Thraciam præmissus; postulante Fritigerno Rege Gothorum, vt Imperator Valens ex nobilibus viris aliquos ad se obsides mitteret; vltro se ad hostem ferum ac perfidum iturum pollicitus est, *argumenta dignitatis* (inquit Marcellinus) *& natalium daturus*.
CCC-LXXIX. Ausonio deinde & Olybrio Coss. inter ceteros, quos vt antea Valentinianus fratri; sic Gratianus Theodosio primo eius imperij die (sicuti Pacatus dicit) tradidit: apud Sirmium Comes Theodosio datus est. Libanius in libro de vita sua scribit à Ricomere Deorum cultore Magistro militum dilectum se antè quàm visum: & apud Antiochiam mutuo conspectu ac congressu amicitiam coniunctam, & omnem sibi honorem habitum esse: inde Ricomerem ad Imperatorem Constantinopolim venisse: eodémque se eius mox futuri Consulis literis euocatum, Consulatum ineunti eloquentiam suam laudatione approbauisse: & Ricomerem interroganti Principi, cuius maximè Rhetoris oratione esset delectatus, Libanij respondisse. Ex quo apparet Ricomerem, quem Socrates Rychomelianum appellat; non modò Latinis, sed etiam Græcis literis doctum fuisse: & à Theodosio Magistrum vtriusque militiæ;
CCC-LXXXIV. deinde cum Clearcho Cōsulem factum, nequaquam post Gratiani mortem (vt aliqui arbitrantur) ad Theodosium se contulisse. Nam Socrates libro V, Marcellinus in Chronico, Paullus in libro XII Historiæ Miscellæ
CCC-LXXXIII. Merobaude II & Saturnino Coss. VIII Kal. Septembres; Prosper autem, & Cassiodorus Senator anno insequenti Ricomere & Clearcho Coss. Gratianum occisum memorant. Vt etiamsi Socrati ac Marcellino credere velimus; tamen non potuerit Ricomeres intra menses IV ex Gallia Constantinopolim peruenire, inde Theodosio probatus simul ac visus Antiochiam ad res Orientis componendas mitti, Constantinopolim regredi, & Consul creari, quod præmium nisi expertis & benemeritis dari non solebat. Neque mirandum est, quòd

ambo Consules vnius eiusdémque anni à Theodosio facti sint: cùm Consulatu Theodosij Aug. II, & Cy- ccc.
negij; item Timasij & Promoti; Arcadij Aug. II & Ru- lxxx. viii. ix.
fini; dominante in tractibus Occidentis Valentinia- & x.
no, idem acciderit. Zosimus à Libanio & à vero dissentit, ac libro IV prodit Ricomerem in regia Valentiniani, hoc est Mediolani in Italia versatum: quo tempore Arbogasti, nimirum populari suo atque amico Fl. Eugenium commendauerit: ac postea ad Imp. Theodosium profectum esse. additque Theodosium expeditionem in Eugenium parantem, equitatui Ricomerem virtutis multis bellis expertæ virum præficere statuisse: sed hunc interim morbo obiisse. Quintus Symmachus quidem, cuius sunt ad Ricomerem, quem studiosè coluit, XVI epistolæ; eum siuè à Theodosio missus; siue aduersus Maximum in Italiam ductus erat; Romam venisse scribit. eiusdem constantiam in amicitia, virtutes, occupationes, curas, literas optatas & iucundas, benignitatem in se, mores, & merita; communes etiam amicos Flauianum, qui bis Præfectus Prætorij, & Historicus disertissimus fuit; ac Eugenium postea Imperatorem celebrat: eique pro munere Consulatus eius, quod anno pòst acceperat, gratias agit. Apud Libanium V epistolas MSS. legimus: quarum in vnâ nuntio victoriæ Ricomeris allato Antiochenses lætari admodum dicit. In alterâ eius ductu magnas res gestas; multa secunda prœlia facta; plurimos hostes superatos; eius consilio ac manu Imperatorē adiuuari scribit. tres reliquæ nihil memoriâ dignū habent. Ceterùm non dubito, quin Ricomeres ille ipse sit, qui in Fastis Cōsular. à Gregorio citatis Richimeres vocatur, Theodomeris Regis Francorum ex Ascila pater. cùm Ricomeres Clearchi collega in Fastis Capitolinis, & in Senatoris Chronico Ricimer, ac Flauius Richimer; à Græcis Richomeres appelletur: & apud Ammianū Marc. natalium splendore ac dignitate eminuisse dicatur.

Ausonius Burdigalensis, ex Præfecto Consul à Gratiano factus, in Precatione prid. Kalendas Ianuarias fascibus sumtis, & in gratiarum Actione pro Consulatu Franccos, ac Sueuos (id est Alamannos) certare ad obsequia, ccc. lxxix.

vt cum Romanis militent, ſcribit: & Gratianum Aug. diſcipulum ſuum affirmat vocandum eſſe Germanicum ob deditionem gentilium; Alamannicum ob traductionem captorum: atque vno anno pacatum eſſe Danubij limitem, ac Reni. & in antiqua inſcriptione apud Reſendium Gratianus *Germanicus Maximus*, *Alamannicus Max. Francicus Max. Gothicus Max. Conſul* IIII appellatur, non immeritò: quippe Mallobaudis Regis, comitúmque eius Francorum; præterea Ricomeris, ac Bautonis opera vtebatur: & Arbogaſtem Francum, factione inimicorum expulſum domo cum ſuis ad ſe receperat:
CCC. LXXVIII. atque Valente VI & Valentiniano II Coſſ. per Nannienum ac Mallobaudem Alamannos Lentienſes acie fuderat: coegerátque robuſtiſſimos iuuenes, tironibus admiſcendos, ob ſidum loco tradere: & multitudinem captiuorum in Galliam traduxerat: & eodem anno ductu Theodoſij Magiſtri militum Gothos, Hunnos, ac Alanos interfecto Imperatore Valente, deletóque eius exercitu per Thraciam & Illyricum licentiùs effuſos tanta cæde proſtrauerat, paucis vt clam Danubium tranandi, aut lintribus tranſeundi, domúmque reuertendi ſpatium daret. Quæ fuit cauſa, quare Gratianus Auguſtus Theodoſium, Theodoſij Magiſtri equitum viri fortiſſimi ac feliciſſimi ex Thermantia filium, natum in vrbe prouinciæ Callæciæ Cauca, annum tertium & triceſimum agentem, Auſonio & Olybrio Coſſ. XIV. Ka-
CCC. LXXIX. lendas Februarias apud Sirmium Imperatorem crearet, & de exercitus ſententia in Valentis patrui locum ſubſtitueret: quem Marcellinus in Chronico Diui Traiani ciuem, & Italicæ genitum falſò ſcribit.

Huic paullo pòſt aduerſus Gothos, Hunnóſque Thraciam & Macedoniam Fritigerno duce depopulantes bellum gerenti, & à Gratiano auxilium expetenti miſſus eſt cum magnis copiis Bauto dux, & vnà Arbogaſtes, qui quòd ſub Bautone ciue ac amico & tùm & ſæpe aliàs militauit, eíque dignitate ac potentiâ proximus fuit; apud Eunapium Bautonis ſecundarius fuiſſe dicitur. Erant autem ambo (vt Zoſimus libro IV ſcribit) natione Franci, viri fide in Gratianum ſingulari, ſummâ erga

Romanos beneuolentiâ; maximè omnium abſtinentes, nec vmquam pecuniâ corrupti; conſilio in bello ac virtute præſtantes. quorum aduentu territi Barbari, relictâ Macedoniâ, vltimam Thraciam petiere, & pace factâ domum rediere. Et Bauto quidem à Græcis Baudo; in pleriſque Faſtis Flauius Bauto appellatur: quod prænomen Conſtantinus Maximus gentiliciũ habuit, omnéſque fermè à Conſtantino Imperatores, & Auguſtæ; & priuatorum vaniſſimus quiſque; plerique Conſules; etiam Theodericus Oſtrogothorum & Italorum Rex; Veſigothi Hiſpaniæ Reges ampliùs decem; & Autharius Princeps Langobardorum ridiculâ affectatione vſurpauere. Is bello Alamannorum, qui tum Galliam continuis excurſionibus vaſtabant; inter celeberrimos Duces fuit, ac magnas ibi res geſſit: cúmque Clemens Maximus interfecto Gratiano Ciſalpinas prouincias occupauiſſet; Italiam, & Africam Valentinianus minor Gratiani frater haberet in poteſtate; Theodoſius, ac Arcadius Imperium Orientis obtinerent: Gratiani partium viris aliis occiſis, aliis qua quiſque ratione potuit ſibi conſulentibus; ipſe vnà cum Arbogaſte ex Gallia in Italiam ad Valentinianum perfugit. vel certè abs Gratiano Comes, & Magiſter militię fratri datus eſt: apud quem à Probo Præfecto Prætorij potentiâ ſecũdus eſt habitus: Hunníſque ac Alanis mercede conductis fretus Iuthungos, gentem Alamannam, quos Maximus ad depopulandam Rætiam euocauerat, non modò fudit ac fugauit: ſed etiam Alamanniam ingreſſus, vaſtatis agris magnũ finitimis Gallis terrorem iniecit. Idem præterea cum Arcadio Aug. Conſul creatus Mediolani Conſulatum iniit: vbi CCC-LXXXV.
ab Aurelio Auguſtino homine eloquentiſſimo ſanctiſſimóque, ea tum in vrbe artis Rhetoricæ Profeſſore Kalendis Ianuariis maximo conuentu laudatus eſt. ſicuti Auguſtinus ipſe libro III aduerſus Petilianum tradit. Apud Quintum Symmachum in libro IV duas ad Bautonem epiſtolas legimus. in altera Symmachus Bautonem fideliſſimum; & vt diligentem in comparandis amicitiis, ita in ſeruandis firmum atque conſtantem ait eſſe: eíque pro munere Conſulari, quale Conſules ini-

tio anni amicis mittere solebant, gratias agit. In altera crebris Bautonis literis, *fraterni animi testibus, ac veræ religionis interpretibus*, negat sibi quidquam esse iucundius. Ex quo apparet Bautonem Christianum non fuisse. Vnde etiam Ambrosius Mediolanensium Episcopus in Epistolâ ad Imperatorem Eugenium refert *præsentibus viris amplißimis honore Magisterij militaris Bautone & Rumorido*, dissuadentibúsque; Valentinianum minorem in sumtus sacrorum pecuniam erogari, stipendium Flaminibus, ac virginibus Vestalibus de publico statutum reddi, & aram Victoriæ Romæ in Curia reponi vetuisse: contrà Eugenium petentibus Arbogaste & Flauiano Præfecto de se bene meritis iussisse. Idem in Relatione legationis suæ ad Valentinianum Aug. epistolâ XXVII colloquium suum cum Maximo, & sermonem de Bautone habitum scribit his verbis. Max. *Me lusisti, & ille Bauto, qui sibi Regnum sub specie pueri vindicare voluit; qui etiam Barbaros mihi immisit: quasi ego non habeam, quos poßim adducere, cùm tot millia Barbarorum mihi militent?* Ambr. *in quo te fefellit Bauto, qui deuotionem Imperatori exhibuit suo? an quia Principem suum non prodidit? Quos immisit Barbaros Bauto Comes? & quid mirum, si hoc Bauto fecisset Transrenanus genere; cùm tu miniteris Imperio Romano Barbarorum auxilia? Vide autem, quid intersit inter tuas minas, & Valentiniani Augusti pueri mansuetudinem. tu id agitabas, quò Barbarorum stipatus agminibus Italiæ te infunderes: Valentinianus Hunnos, ac Alanos appropinquantes Galliæ, per Alemanniæ terras reflexit. Quid habet inuidiæ, si Bauto Barbaros cum Barbaris fecit decernere? In medio Romani Imperij sinu Iuthungi populabantur Rætias: & ideò aduersus Iuthungum Hunnus accitus est. Idem tamen quia de finitimo proterebat Alemanniam, & iam vicinia mali vrgebat Gallias; coactus est suos triumphos deserere, ne tu timeres. Confer vtriusque factum. tu fecisti incursari Rætias: Valentinianus suo tibi auro pacem redemit.*

Bautonem hunc Philostorgius lib. XI, & Niceph. Callistus libro XIII produnt natione Barbarum, (hoc est Francum) & Magisterio militum in Occidentis tracti-

bus

bus clarum atque illustrem fuisse, ac filiam nomine Eudoxiam reliquisse, puellam eximiâ corporis pulchritudine, sed vt origine sic ferociâ ac insolentiâ barbarâ: quæ ob id & à Cedreno Barbara dicta, cùm apud Promoti Consularis viri filium educaretur, Olybrio & Probino Coss. Arcadio Augusto nupsit, virum & Remp. habitura in potestate. ea Nobilissimam Flaccillam auiæ paternæ cognominem; Pulcheriam Aug. Marciani coniugem; Arcadiam; Theodosium minorem postea Principem; ac Marinam peperit: & Arcadiâ grauida Augusta est salutata; depositâ Nobilissimæ appellatione. Eutropium eunuchum ex seruulo Præpositum sacri cubiculi, Patricium, & Consulem factum; & Ioannem cognomento Chrysostomum, disertissimum ac sanctissimum Episcopum sibi aduersantes oppressit: & Selymbriam opidum Thraciæ restitui, atque Eudoxiopolim appellari iussit. Eidem, ante annum quàm decederet, Theodosio iuniore & Rumorido Coss. argentea statua paludata super columnam ex porphyrite Constantinopoli ante Senatum locum ita dictum posita est, & scenicis ludis dedicata. Ceterùm errant, qui Hydatium secuti Eudoxiam Arianam fuisse, & ob id Ioanni infestam tradunt. nam nec de fide cum Ioanne contentiones habuit: nec in relegati locum Hæreticum Antistitem; sed Arsacium pium hominem, atque religiosum sufficiendum curauit: nec ab Innocentio vrbis Romæ Episcopo; ac ne à Ioanne ipso quidem; nedũ à quoquam alio vllius hæreseos accusata est. Quare non magis Eudoxia Aug. Arianarum partium fuit, quàm aut Theophilus, aut alij insignes Sacerdotes, quorum illa operâ Ioannem oppressit. Præsertim cùm Marcus Diaconus in libro de vita Porphyrij Gazensis Episcopi tradat eam Ioanni ac Porphyrio Episcopis honoris causâ in vestibulo cubiculi occurrisse: priorem eos salutauisse: & inclinato capite vt ipsam Theodosiúmque filium benedicendo signarent rogauisse: discedentésque viatico prosecutam esse: & orando ac instando à viro suo pæne inuito impetrauisse, vt in vrbe Gaza templa dirui ad solum, & idola publica ac priuata deiici iuberet: atque ibidem magnificentissi-

Margin notes: CCC-XCV. (beside "Olybrio & Probino Coss."); CCCCIII. (beside "Rumorido Coss.")

mam Ecclesiam cum Xenodochio suâ pecuniâ exstruendam curauisse. Ridiculas quidem literas, quibus Innocentius Ecclesiæ Romanæ Episcopus, post Ioannis in exsilio obitum, Arcadio & Eudoxiæ sacris interdicit; non minùs quàm Arcadij ad Innocentium & Honorij ad Arcadium ineptissimas apud Baronium epistolas; fictas esse à Nicephoro Callisto & Glyca, vel ab alio quouis ex eo intelligitur, quòd ante Ioannem Eudoxia Aug. decesserat. Hanc enim Socrates in Historiæ libro VI &
CCCCIV. Marcellinus in Chronico Honorio VI & Aristæneto Coss. IV Nonas Octob. obiisse scribunt. Illum post trien-
CCCCVII. nium Honorio VII & Theodosio iuniore II Coss. in Cappadocia mortuum esse idem Socrates prodit. De Eudoxia loqui existimo apud Baronium Honorium Aug. in literis scriptis ad *Dominos sanctos fratrem nepotémque Augustos venerabiles:* (ita Arcadium & Theodosium appellat) in quibus queritur *imaginem muliebrem nouo exemplo per prouincias circumlatam,* hoc factum publica lingua carpente. quippe hic honos non aliis quàm Imperatoribus habebatur. sed nimirum Iulia Eudoxia Imperatori ipsi imperabat. Neque multo pòst factum est, vt feminæ cùm Iuliam Mæsam, Soæmiada, Mamæam, & Iustinam imitatæ Imperiũ Romanum regere cœpissent: sicuti Pulcheria sub Theodosio fratre suo; Placidia sub Valentiniano filio: eosdem sibi quos Imperatores titulos vindicarent. Certè nummos aureos tres à Lælio Paschalino acceptos profert Cæsar Baronius, in quibus Placidi Valentiniani Aug. mater Domina Galla Placidia; & eiusdem Imp. soror maior natu Dn. Iust. Grat. Honoria; hoc est Domina Iusta Grata; aut Iustina Gratiana Honoria; & Licinia Eudoxia eius coniux Theodosij minoris filia nouo more P.F. AVGG. id est *Pia Felices Augusta* dicuntur, gerúntque diadema. Nam antea Imperatores quidem *Pios Felices Aug.* eorum autem vxores, sorores, matres simpliciter *Augustas* appellari consueuisse ex veterum nummorum inscriptionibus intelligitur. Et in literis quas ad Theodosiũ & ad Pulcheriam scribit Galla Placidia, se ipsa *Piissimam & perpetuam Augustam*; & Æliam Pulcheriam similiter *Piissimã semper Augustam* vo-

cat. Sed à Bautonis filia Iulia Eudoxia Aug. ad Maximũ; & ab Orientis tractibus in Occidentem reuertamur.

Clementem Maximum, à quo Gratianus Aug. occisus est, & pulso Valentiniano totius Occidentis Imperium occupatum; sub Theodosio Magistro equitum Theodosij Augusti patre in Britannia militauisse, eiúsque familiæ clientem & affinem, atque Hispanum fuisse Pacatus Drepanius in panegyrico, & Zosimus libro IV produnt. quem *ab immanissimis Germanorum gentibus tributa ac stipendia solo terrore nominis exegisse* quòd Orosius dicat, equidem miror. licèt enim Maximus Pictos, & Scotos, partem Britanniæ Imperio Rom. subiectam depopulantes, vi superatos represserit: & (vt Ambrosius suprà, ac Sozomenus in libro VII scribunt) *multorum millium Barbarorum, aut Celtarum*; hoc est Germanorum operâ in bellis sit vsus: non tamen Germanos sub imperio Maximi fuisse, sed mercede accersitos pro eo pugnauisse credendum est. quippe constat Transrenanos ne Octauio Augusto quidem, aut Vlpio Traiano; nedum Maximo tributa pependisse: contrà plerosque Imperatores pacem amicitiámque ipsorum pecuniâ redemisse. Ambrosius quoque epistolâ XVII tradit Maximum à Francis; à Saxonum gente; apud Sisciam; apud Petouionem; vbique demum terrarum à Theodosio absentem victum esse. de qua Francorum victoria quæ Sulpicius Alexander in libro III Historiæ apud Gregorium refert; huic loco sunt inserenda.

Theodosio Aug. II & Cynegio Coss. dum Maximus à Valentiniano & Theodosio in Illyrico bis absens victus amissâ spe Imperij, rebúsque perditis Aquileiæ sedet: Genobaude, Marcomere, & Sunnone ducibus Franci in inferiorem Germaniam irrupere: ac limite aperto multis mortalibus interfectis, fertilissimos pagos depopulati, Coloniæ Agrippinensi metum incussere. quod vbi Augustam Treuirorum perlatum est; Nannenus & Quintinus Magistri militiæ, quibus infantem filium, Galliásque Maximus commiserat; coacto exercitu Agrippinam peruenere. At Franci onusti prædâ domum rediere; multis suorum ad iterandam populationem in Gallia CCC. LXXX. VIII.

relictis. adeò verum eſt, quod dicit Libanius in Oratione, quæ Imperatoria inſcribitur: Francos prædandi cauſâ Renum tranſeuntes, ſi militem Romanum in ripa collocatum viciſſent; ſequi non deſtitiſſe: ſin victi eſſent; finem fugæ initiũ incurſionis feciſſe: & priuſquam vna eorum manus repelleretur, alteram ſuperuenire conſueuiſſe. atque ob id Marcellinus libro XXI *Germanos, hoſtes aſsiduos* appellat. Igitur Nannenus, aliis Nannienus; aliis Nannius ac Nanneius dictus, & Quintinus Duces profecti Coloniâ ad Francos, qui in Gallia remanſerant, contenderunt: & commiſſo prœlio apud Carbonariam, magnam eorum multitudinem conciderunt. tum conſilio conuocato, Quintino ceteríſque vtendum victoriâ & in Franciam tranſeundum cenſentibus; diſſuaſit Nannenus: quòd domi Francos non imparatos, & propter locorum difficultatem ac notitiam ſuperiores futuros intelligebat. cúmque fruſtra diſputaret, & nemini ſententiam ſuam probaret, iratus Mogontiacum reuertit. Quintinus verò cum exercitu circa Noueſium caſtellum Renum tranſgreſſus, ſecundis à flumine caſtris caſas ligneas vacuas atque ingentes vicos deſertos offendit. Franci enim ſimulato metu ſe in interiores ſaltus abdiderant: & arboribus cæſis aggeſtíſque extrema ſiluarum obſeſſerant. Itaque Romani omnibus ædificiis vſtis, quorum in incendiis ſummam victoriæ poſitam arbitrabantur; noctem ſolicitam ſub armis egerunt: ac primâ luce, Quintino duce, ſaltus ingreſſi, ferè ad horam ſextam totos ſunt peruagati. tandem cùm diu implicuiſſent ſeſe erroribus viarum, & maximis ſepibus omnia clauſa repeririſſent: in paluſtres campos, qui cum ſiluis continentes erant, proruperunt molientibus primùm Franci rari apparuere: qui coniunctis arborum truncis (quas Romani concædes, ipſi Combros appellabant) inſiſtentes, inde velut è faſtigiis turrium tormentorum ritu ſagittas emiſere. erant autem illæ veneno ex herbis expreſſo tinctæ; adeò vt ſi vel ſummam cutem deguſtauiſſent, leuem plagam mors certa ſequeretur. Deinde maiori Francorum multitudine circumfuſâ, Romani aperta camporum, quæ de induſtria Franci liberum ac-

cessum habere voluerant; auidiùs quàm cautiùs petiere. Ibi equites primi voraginibus summersi, & fœdâ hominum iumentorúmque strage oppressi sunt. pedites etiam, quos equorum ruina non protriuerat; implicati limo ægerrimè ad ingrediendum crura explicabant: cúmque ex paludibus vix emersissent, trepidi se in siluas abdebant. palantibus instare Franci; fugientes insequi; impeditos more pecudum trucidare; fortunæ non deesse. Eum in modum turbatis animis ordinibúsque cæsæ sunt legiones Romanæ. Heraclius Tribunus Iouianorum; ac pæne omnes, qui militibus præerant, interfecti. paucis tutum effugium nox, & siluæ præbuere. Quæ cùm ita sint, ridiculè Fredegarius dicit Heraclium & Iouinianum cum exercitu vltra Renum transgressos, magnâ cæde suorum à Francis factâ vix ex prœlio elabi potuisse. & falsò Sigibertus affirmat anno VII post Valentis mortem Quintinum ac Heraclium Romanorum Duces circa Augustam Treuirorum cum suis pæne omnibus ab Francis occisos esse. Ex Sulpicio Alexandro intelligitur tres tum minimùm in Francia regnauisse; nimirum Genobaudem, quem ipse Genobaldum, Fredegarius Genebaudum appellat; Marcomerem; & Sunnonem. falsóque Eumenium affirmare Francos perfugiis siluarum & paludium bellum frustrari solitos esse.

Eadem hoc anno in Italia fortuna Tyranni partiũ fuit. CCCLXXXVIII.
Maximum bis victum milites sui viuum tradiderunt: quo ad tertium milliare ab Aquileia interfecto; Andragathius Gratiani percussor, sicut erat armatus, è naui in flumẽ sese deiecit. missúsque in Galliam à Theodosio Arbogastes Magister militiæ Victorem Cæsarem Maximi filium, & vnà (vt equidem arbitror) Nannenum, ac Quintinum celeriter oppressos interemit. sanè Sulpicius Alexander libro IV prodit Cariettonem natione Francum, & Syrum in locum Nanneni substitutos post Victoris cædem, & in prouincia Germania inferiore cum exercitu Francis oppositos esse. Sic Valentinianus in Imperium patrium restitutus, & Fl. Theodosius (quod per LXXXIV annos bis tantùm contigerat; primùm victo Maxentio Con- CCCXII.
stantino II & Licinio II Coss. iterum Constantio IX & CCCLVII.

Iuliano Cæſ. II Coſſ. poſt cædem Magnentij) Romam intrauerunt, & Timaſio ac Promoto Coſſ. ex ciuili bello
CCC-LXXXIX. triumphauerunt, populóq; Romano congiariũ dederunt.

Philoſtorgius libro X ſcribit Timaſium, Ricomerem, Promotum, & Arbogaſtem Duces ab Theodoſio aduerſus Maximum miſſos eſſe: à quibus victus, captus, & priuato veſtitu ad Imperatores deductus ſit: Certè clariſſimus eo bello Dux fuit Arbogaſtes, qui Valentiniani fugientis comes, & in recuperando Imperio adiutor, vt in libro VII ait Oroſius, *cùm Theodoſio paruit, magnis instructum auxiliis Maximum cepit:* & (ſi Proſpero, Hydatio, ac Zoſimo credimus) Victorem interemit. Hydatius quidem, cùm in Chronico dicat *filium Maximi, nomine Victorem in Galliis per Arbogaſtem Comitem interfectum eſſe:* in Faſtis Conſularibus ait Theo-
CCCL-XXXVIII. doſio Aug. II & Cynegio Coſſ. eumdem *à Comite Theodoſij Aug.* paucis poſt patrem diebus *occiſum*. Minimè autem mirandum eſt Arbogaſtem, qui Valentiniani Comes fuerit, ab Hydatio *Comitem Theodoſij* vocari. Nam & Zoſimus ſcribit Arbogaſtem Magiſtrum militiæ ab Theodoſio ad recipiendas Gallias, & ad interficiendum Victorem miſſum eſſe. Quippe non modò Valentiniani partium viri, ſed etiam Valentinianus ipſe profugus ac extorris Theodoſio, à quo reducebatur, parebat: victóque Maximo Theodoſius res Occidentis compoſuit: & Valentiniano in Galliam profecto, tres annos in Italia velut in prouincia ſua vnà cum Honorio filio, quem Senatui Rom. commendauit; moratus cuncta adminiſtrauit: ex qua tandem, credo ne Valentinianum in partem Imperij paterni reſtituiſſe; partem ſibi iure
CCC-XCI. belli vindicare videretur: Tatiano & Symmacho Coſſ. in Thraciam tranſmiſit: ac Conſtantinopolim IV Idus Nouemb. intrauit. quo anno Ricomerem Magiſtrum militum Theodoſij fuiſſe in libro VII Codicis Theodoſiani inuenio. Quominùs mirari Oroſium conuenit, quòd libro VII prodat, *interfecto* à Maximo *Gratiano, Theodoſium Imperiũ Orbis Romani ſolũ annis* XI *obtinuiſſe.*

Eunapius Sardianus Rhetor apud Suidam & Euſtathium ait Arbogaſtem Francum, quem Abrogaſtem

appellat, Bautonis ſecundarium; viribus corporis & aſperitate iræ totum igneum; virum rigidæ & perfectæ temperantiæ; cum pecunia quaſi cum hoſte continuum bellum geſſiſſe: cenſu nihil à gregario milite differentem. ob eam rem Imperatori Theodoſio idoneum viſum eſſe, quem in regia Valentiniani naturâ ad ſeueritatem æquitatémque propenſi veluti rectam quamdam columnam propter grauitatem ſuam collocaret: ne quid in aula peccaretur, cuiquámve noceretur ſedulò prouiſurum. Quibus ex Eunapij verbis intelligi poteſt Arbogaſtem, Curij aut Fabricij ſimilem, Valentiniano adoleſcenti moderatorem à Theodoſio appoſitum eſſe. Zoſimus libro IV prodit Arbogaſtem ortum ex gente Francorum, quem Gratianus Aug. in bello Ducem à Bautone ſecùndum eſſe voluerat; poſt vtriuſque mortem, ſuâ in agendo induſtriâ fretum, ſine auctoritate Principis magiſterium militum occupauiſſe: omníque exercitui propter virtutem, ac ſcientiam belli, & pecuniæ contemtum idoneum viſum ad magnam potentiam perueniſſe. Deceſſit autem Bauto, (vti exiſtimo) antequam Maximus rupto fœdere Valentinianum ex Italia expelleret, & ad Theodoſium in Græciam perfugere cogeret. nulla enim in reductione Valentiniani fit eius mentio, qui ſi tum vixiſſet, in hoc bello ipſe, non Arbogaſtes; Magiſtri militum locum ſicut antea erat habiturus. Apparet ergo Arbogaſtem quidem primùm Magiſterio militum ab exercitu ſibi delato vſum eſſe: deinde cùm Valentinianus ſpoliatus Imperio Italiâ exceſſiſſet, ac Theſſalonicam veniſſet; ipſum pariter profugum Magiſterium amiſiſſe: ac Valentiniano poſt annum ferè reducto à Theodoſio priſtinæ ſimul dignitati reſtitutum, atque etiam Principi admodum iuueni rectorem appoſitum eſſe. Oroſius in libro VII Arbogaſtem, quem Hermias Sozomenus, Nicephorus & Hydatius Arbagaſtem, & Aruagaſtum vocant; *virum Barbarum; animo, conſilio, manu, audaciâ, potentiáque nimium; & ſimulacrorum cultorem* appellat. Eumdem oriundum ex Gallia minore; Magiſtrum militum; naturâ ſæuum admodum ac ſanguinarium fuiſſe ait Socrates: apud quem ignarum lo-

corum Franciam veterem transrenanam non proprio nomine Galliam minorem appellari puto. propterea quòd Arbogastes natione Francus fuit: & (vti Aimoinus in libro de vita Ambrosij legisse se dicit) ad Romanos se contulit: constátque cognomen minoris cuiuis alij prouinciæ magis quàm Galliæ conuenire. Philostorgius Arbogasti patrem Barbarum fuisse libro XI tradit, sed eum in Gallia natum esse non scribit.

CCC-LXXXIX. Timasio & Promoto Coss. Franci elati recenti victoria Renum transierunt, atque ex prouincia Germania prædas egerunt. Quo cognito Arbogastes, iam ob exsilium suum ciuibus infestus, vehementer arsit cupiditate vlciscendi: freménsque incursionem in Galliam se Magistro militum factam, ac moræ impatiens monuit Valentinianum pœnas à Francis debitas expetendas: nisi omnia, quæ superiore anno cæsis legionibus diripuerant, confestim redderent; auctorésque belli ad piaculum perfidiæ ruptíque fœderis traderent. Itaque Valentinianus profectus in inferiorem Germaniam Marcomerem & Sunnonem Reges Francorum ad se euocauit: & habito cum his colloquio, imperatísque ex more obsidibus (sicut Sulpicius Alexander libro IV tradit) post paucos dies Augustam Treuirorum in hiberna concessit. vnde in libro IV & in libro VI Codicis Theodosiani leges Valentiniani duas, alteram ad Messianum Procuratorem rerum priuatarum; alteram ad Constantium Præfectum Prætorij missas inuenio: quarum hæc data XVIII *Kalendas Iul. Treuiris Timasio & Promoto Coss.* illa data VI Idus Nouemb. eodem anno eadémque ex vrbe dicitur. cuius primæ subscriptionis mendum vt corrigatur, Kalendas Iul. in Kalendas Ian. mutari oportere arbitror. Nequaquam enim Valentinianus XVIII Kal. Iul. Consulatu Timasij & Promoti in vrbe Treuirorum statiua habere potuit: si verum est, quod Socrates, Hermias Sozomenus, ac Marcellinus in Chronico tradunt; eumdem vnà cum Theodosio & Honorio puero nondum quimo Idibus Iuniis, siue pridie eius diei Romæ supradictis Coss. de Maximo triumphum egisse. Fredegarius Scholasticus, qui ex Gregorio epitomen fecit, Sulpicium

Ale-

Alexandrum non intellexit, cùm scripsit Arbogastem elatum superbiâ Francis bellum intulisse; & acie victum fugisse; Francósque Augustæ Treuirorum hibernauisse. Nec minùs (sicut existimo) errauit Ioannes Auentinus, qui Arbogastem cùm apud Claudianum exsulem appellari, & Regibus Francorum inimicum fuisse dici apud Sulpicium forsitan animaduertisset; Marcomeris, ac Sunnonis fratrem esse, & ab his domo expulsum credidit.

Postquam Theodosius Aug. Italiâ decessit, Imperatori Valentiniano cum Arbogaste discordia esse cœpit: quæ huic primùm; deinde & illi, multísque vnà hominum millibus exitiabilis fuit. Causa inimicitiarum erat, quòd neuter alteri volebat esse subiectus. quippe Valentinianus (si Zosimo credimus) Arbogastis tristem seueritatem, & in reprehendendo libertatem ferre non poterat: titulúmque Imperij penes se, potestatem penes illum esse indignabatur. Arbogastes verò quidquid nec aulam decere, nec imperatoriæ dignitati conuenire existimabat, aut improbabat factum; aut ne fieret prouidebat: suóque arbitrio cuncta administrabat. cui cùm sæpe aduersaretur Valentinianus, nec quidquam proficeret, propterea quòd Arbogastes militum studiis muniebatur: in eo opprimendo vires suas experiri statuit. sedénsque in regia sella, & toruo vultu hominem intuens sui salutandi causâ propiùs accedenti literas in manum tradidit, quibus ei Magisterium militum abrogabat. Has Arbogastes lectas concerpsit: & proiecit: negans cuius beneficio honorem non esset assecutus, eius se arbitrio depositurum. Tum Valentinianus iram contemtúmque non ferens desiluit è solio Arbogastem percussurus, nisi à Protectore, cui gladium auferre conatus erat, inhibitus esset. eidémque paullo pòst tantæ iræ causam ex ipso percunctanti meditato mendacio respondit: quoniam Imperator cùm esset quod vellet facere prohiberetur; sibi ipsum manus afferre, & vitam miseram ac iniucundam abrumpere voluisse. Inde non iam occulta discordia, sed apertæ inter vtrumque inimicitiæ fuerunt: & in caput Valentiniani consilium iniri cœpit. Arbogastes enim, cùm animaduerteret dissensionem hanc nisi

alterius morte non posse finiri; aduersarium tollere, quàm perire maluit. Itaque de fide popularium securus (sicut Sulpicius Alexander tradit) rei militaris curam Francis satellitibus mandat: ciuiles magistratus in societatem coniurationis adsciscit: quidquid militum ac eunuchorum in aula erat, pecuniâ & spe augendæ dignitatis solicitat: Valentinianúmque Principem apud Viennam Palatio intramurano includit pęne infra priuati fortunam redactum: adeò vt nemo vnus ex omnibus sacramento obligatis inueniretur, qui familiari eius sermoni aut iussis parere auderet. Et Valentinianus quidē crebrò per literas Theodosium de Arbogastis arrogantiâ Maximi tyrannide grauiore certiorem fecerat, auxiliúmque petierat affirmans, si suas iniurias neglexisset, se ad eum secundò venturum. sed ab Theodosio nulla adolescentis querimoniarum ratio habita erat. Nihilominùs Arbogastes sibi à Valentiniano, & Valentiniani amicis metuebat, vel metuere simulabat: neque eius verbis credebat. Quamobrem Valentinianus, ante biduum quàm exstingueretur; Ambrosium Mediolanensium Episcopum (vti ipse in Concione funebri de obitu Valentiniani Aug. scribit) vadem fidei suæ futurum per epistolam euocauit. tanta enim Ambrosio cum Arbogaste vel necessitudo, vel familiaritas fuit, vt idem eadem in Concione dicat se, si Viennam venisset, Arbogastem Valentiniano reconciliaturum: sin Arbogastes inexorabilis nullam concordiæ conditionem accepisset; apud Imperatorem remansurum, eique consilij sui copiam facturum fuisse. Sed iam Alpes Graias superanti Ambrosio de cæde Principis nuntiatum est: cui, cùm propter murum vrbis Viennæ ludicro certamine cum paucis militibus sese exerceret, Arbogastes per emissarios fauces obliserat. Sunt, qui meridiantem ab cubiculariis; sunt, qui meridie dum omnes ministri prandebant in regia interiore ad ripam Rhodani ludentem à Protectoribus Arbogastis immissu strangulatum; & vt mortem sibimetipse consciuisse crederetur, exanimem suspensum esse scribant. Quæ fuit causa, quare Prosper ac Senator sparso in vulgus rumore decepti memoriæ

traderent Valentinianum nimia Arbogastis Magistri militum seueritate ad tædium vitæ deductum suspendio periisse. Rufinus ac Sozomenus aiunt quosdam publicam opinionem secutos, id dolo & insidiis Arbogastis Ducis factum affirmauisse. alios expertem quidem sceleris Arbogastem; sed cùm Valentiniano tamquam ætate nondum valido liberam potestatem imperij non indulgeret; indignabundo adolescenti causam mortis fuisse dixisse. Augustinus in libro V de Ciuitate Dei dubitat, vtrúmne is per insidias, an quo alio pacto vel casu fuerit exstinctus. Interfectus est Valentinianus Idibus Maij, Arcadio Aug. II & Rufino Coss. antequam baptizaretur, vicesimo ætatis; sextodecimo imperij anno expleto: adolescens Principatu dignus; Regiis corporis, animíque virtutibus præditus; atque si ad virilem ætatem peruenisset, patrem iustitiâ superaturus. cuius cædem omnes dissimulauêre: quòd Arbogastem, virum ob contemtum pecuniæ fortitudinémque multis bellis expertam militibus acceptissimum, & magnâ auctoritate subnixum metuebant. Fuerat inter coniurationis participes Eugenius quidam Magister scrinij, antè Grammaticæ Latinæ professione celeber; nomine magis quàm re & studio Christianus: quem à Ricomere sibi commendatum ac traditum Arbogastes in amicorum numero habebat. Hunc aut propter genus diffisus sibi ipse, (sicuti ait Philostorgius) aut vt affectati Principatus suspicione careret: Imperatorem appellandum curauit, Imperium Occidentis, Eugeniúmque recturus. CCC. XCII.

Eodem anno quo Valentinianus perierat; (vt Alexander scribit) hoc est Arcadio Aug. II & Rufino Coss. Arbogastes, qui Sunnonem & Marcomerem Reges Francorum gentilibus odiis prosequebatur; *Coloniam Agrippinam rigente maximè hieme petiit: ratus tutò omnes Franciæ recessus penetrandos vrendósque, cùm decussis arborum foliis nudæ atque arentes siluæ insidiantes occulere non possent. Collecto ergo exercitu, transgressus Renum Bructeros ripæ proximos; pagum etiam, quem Chamaui incolunt, depopulatus est: nullo vsquam occursante: nisi quòd pauci ex Amsiuariis & Chattis, Marco-* CCC. XCII.

mere duce, in vlterioribus collium iugis apparuere. Animaduerto Arbogastem alias præterea in Francos expeditiones fecisse. Paullinus enim in libro de vita Ambrosij scribit eum *aduersus gentem suam; hoc est Francos, bellum gessisse, atque non paruam multitudinem manu fudisse, cum reliquis verò pacem iniisse:* quærentibúsque Francorum Regibus (nimirum Marcomeri & Sunnonii) quos ad cœnam inuitauerat, an Ambrosium Episcopum nosset; ab eo se homine diligi, & frequenter cum eodem conuiuari solere respondisse. tum Reges dixisse: meritò te Arbogastes felicem ferunt, quoniam Ambrosium victoriarum conciliatorem inuenisti, cuius iussu solis ipsius cursus sisti potest. Addit Aimoinus in libro de vita Ambrosij referri Arbogastem primò acie victum ab Francis fugisse: deinde commisso iterum prœlio ingentem hostium multitudinem parua manu fudisse, & cum reliquis pacem fecisse. Quæ Nicolaus Vignerius falsò existimat tum gesta esse; cùm Eugenius susceptâ expeditione *Reni limitem petiit, vt* (quemadmodum tradit Sulpicius Alexander) *cum Alamannorum & Francorum Regibus antiquis fœderibus ex more initis, immensum eâ tempestate exercitum gentibus feris ostentaret.* Ab Arbogaste enim bellum cum Francis variâ fortunâ gestum, & postea æquis conditionibus est compositum. ab Eugenio verò cum his, & cum Alamannis iuncta sunt fœdera: sicut Imperatoribus Romanis initio principatus facere mos erat. quæ in vnam eamdémque expeditionem nullo modo conueniunt.

Allato nuntio de cæde Valentiniani, Theodosius non mediocriter est conturbatus. dolebat affinem & consortem potestatis, magnâ spe; ætate integrâ; nefariè occisum. & vt Eugenium hominem nouum atque imbellem, Imperatorem factum esse indignabatur: ita Arbogastem propter scientiam rei militaris auctoritatémque & fortitudinem audaciæ coniunctam maximè metuebat. Accedebat ad mærorem Gallæ coniugis luctus orantis, vt fratris mortem vlcisceretur: neu sorores suas, Iustam & Gratam, deuotas Deo virgines in hostium potestate & in periculo iniuriæ esse sineret. bellum itaque

ſumma ope parare conſtituit. & quòd pacem cum finitimis gentibus fecerat; Duces ac exercitus è limitibus euocat. auxilia ex Armenia maiore, Colchide, & Iberia acceſsit. Gildonem etiam Comitem magnæ in Africa auctoritatis ac potentiæ ſolicitat: qui tutò fortunam ſpeculari, & neutrarum eſſe partium maluit, quàm cum periculo Theodoſio contra Eugenium auxilia mittere. Auctor eſt Rufinus Sacerdotes de pace legatos ab Eugenio veniſſe ad Theodoſium: & immunem ſceleris, ſi quod in morte Valentiniani ineſſet, Arbogaſtem teſtatos eſſe. Theodoſium autem cum Clericis, & populo omnes Eccleſias circuiuiſſe: ante Apoſtolorùm & Martyrum reliquias cilicio ~~inuolutum~~ super ~~pro~~ſtratúmque humi iacuiſſe: per quos auxilium ſe à Deo impetraturum confidebat, non tam armis & excubiis; quàm precibus ieiuniis ac peruigiliis fretus. Dum milites vndique conueniunt; reuertit ex Thebaide Eutropius Præpoſitus cubiculi, vbi Ioannem Lycopoliten, Monachum diuino afflatu res futuras prædicentem, de euentu belli conſuluerat: & reſponſum refert Theodoſium ſuperiorem fore; multorum tamen morte victoriam conſtaturam. quo ille velut oraculo maximè eſt confirmatus: & tertio Conſu- CCC-XCIII.
latu Flauium Honorium minorem filium patruo cognominem, nonum annum agentem (nam Arcadio diadema pridem impoſuerat) IV Idus Ianuarij in Tribunali Hebdomi de ſententia militum Auguſtum nuncupauit: atque anno inſequenti, Arcadio III & Honorio II Coſſ. CCC-XCIV.
profectus eſt Conſtantinopoli, vires Orientis & amplius vicena millia Gothorum fœderatorum ſecum ducens: cui per Daciam mediterraneam & ſuperiorem Mœſiam iter facienti magna manus Hunnorum & Alanorum circa ſiniſtram ripam Danubij colentium vltro ſe iunxit. inde per Pannonias, & agrum Noricum in Italiam contendit.

At Arbogaſtes quas ſibi ſumſerat Imperatorias partes ſtrenuè & prudenter implebat. nam innumerabiles copias ex Ciſalpinis prouinciis, Italiáque coegerat: & ne Gallia incurſionibus vaſtaretur, depoſitis odiis cum Francorum Alamannorúmque Regibus fœdus inierat:

ac pro communi patria magna à Francis auxilia impetrauerat: néve in Maximi erratum incideret, qui sparsis incautè manibus faciliorem Theodosio de se victoriam dederat; in vestibulo Italiæ castris positis hostem opperiebatur, de Imperio totis viribus pugnaturus. Italiam à Septemtrionibus claudunt Alpes Iuliæ, interruptis tantùm angusto transitu celsissimis iugis. has fauces, quà maximè in artum coeunt, Arbogastes munitionibus firmauerat, & sub radicibus montium ita consederat, vt omnem ferè planitiem eius copiæ complerent. Quas ad angustias vt Theodosius deimprouiso peruenit; muro ac turribus, quibus aditum Arbogastes intercluserat repentè concidentibus; præsidium loco deiecit, patefactóque itinere editum collem castris occupauit. Inde cùm auxilia Gothorum, Gaina & Saule ducibus, in campum descendissent; sub eius oculis acris pugna commissa est: cuius hic euentus fuit, vt Gothorum decem millia caderent; reliqui vndique pressi, ac pæne circumuenti vix noctis beneficio recipiendi sui facultatem haberent. Anxius itaque Theodosius quid optimum factu videretur ad consilium retulit. Negabant Timasius & Stilico Imperatoris amicorum primi, ceteríque Duces militibus timore perturbatis quidquam committi oportere: secundo prœlio hostes sublatos, & ad pugnandum alacriores factos: tantæ multitudini paucitatem suorum opponendam non esse dicebant. redeundum igitur retro quà venerant, reparatísque copiis veris initio bellum renouandum. Non tenuit iram Imperator, sed grauiter castigatis consilij auctoribus, quòd turpissimam & periculosissimam fugam reditus nomine prætexerent; ac Christi Crucem imagine Herculis infirmiorem existimarent; in secretum concessit: precatúsque Deum, vt meliori causæ faueret; circa galli cantum præ ægritudine somno est consopitus. Tum secundum quietem visi equites duo albati iusserunt eum primâ luce exercitum aduersus Eugenium educere, Ioannem se ac Philippum professi, & operam victoriámque polliciti. Lætus Imperator manè pro concione nocturnum visum exposuit, ac velut Iudas Maccabæus de prœlij euentu secu-

tus, milites cohortatus est; vti duces cælo missos impigrè sequerentur: neu plus in armatorum numero, quàm in eorum antesignanorum viribus reponerent. Magnum habet momentum religio humanis mentibus iniecta. Theodosiani, qui paullo antè aduerso prœlio infracti pauore marcebant; tum repentè mutati alacritatem vultu verbísque præferebant: Augustum, vt confestim duceret, orabant: suarum esse partium Deum; cælites habere se auxiliarios vniuersi credebant. nec moratus impetum Theodosius, signo Crucis dato, cum suis ex summo monte decurrit, & in hostem ire contendit. Arbogastes descendentes procul conspicatus, primò fidem oculorum damnabat. vnde enim tantum audaciæ victis accessisse? mox exemtâ dubitatione aciem instruxit. alloquénsque milites Eugenius admonuit adesse optatum votis laborum finem: hostes incompositos, lymphatis similes cæco timore in perniciem incurrere: ipsis cum mollibus Græculis; cum imbellibus Asiaticis; cum Syris luxuriâ effeminatis rem fore. Irent fortes; irent felices; tenues fusi pridie exercitus reliquias delerent; præmia certæ plenæque victoriæ consecuturi. Neutris cohortatione opus erat: hos ira incitabat; illos confirmabat fiducia. Alpes Iulias transgressis, & Aquileiam petentibus aperit se spatiosa planities, sub radicibus montium iacens: per quam delapsus ex Alpibus fluuius Frigidus fertur non longiùs à supradicta vrbe millibus passuum sex & triginta. hîc acies dimicauere. Ac primùm cùm propter locorum angustias & impedimenta calonum agmen suum paullo tardiùs in aciem descendere, & incitari Eugenianos eâ morâ animaduerteret; desiluit equo Theodosius, & ante aciem progrediens exclamauit, vbi est Theodosij Deus? quo dicto suos omnes excitauit. Hunc igitur ante signa cum paucis procurrentem Arbetio Comes Eugenij *insidiis excepit: móxque conuersus ad reuerentiam Imperatoris* (vt ait Orosius) *non modò eum periculo liberauit; sed etiam auxilio instruxit.* tum summis copiis vtrimque cœptum contendi, & variâ fortunâ pugnatum. Dextrum Theodosianorum cornu cum sinistro Eugenianorum æquo Marte certabat: at Gothi,

ceteríque Barbari, qui in læuo cornu erant collocati, compluribus ſuorum occiſis ægrè hoſtium impetum ſuſtinebant: & iam terga daturi videbantur, nî Bacurius rector Domeſticorum primis ordinibus comitatus laborantibus opem tuliſſet, prœliúmque fortiter reſtituiſſet. Etſi neutra inclinata erat acies; apparebat tamen futurum, vti Theodoſiani numero ac virtute aduerſariorum, vel ſola diuturnitate pugnæ defatigati vincerentur. Cùm ſubitò è ſummis Alpibus frigidus & vehemens Aquilo (qualis antea numquam flauerat) aduerſus Eugenianos coortus magnam ſingulis ac vniuerſis intulit cladem. alij abreptis ſcutis aut reiectis nudari: alij applicitis impediri: pars illiſis obuerberari: pleriſque denſus puluis in ora volutus proſpectum adimere, & buccam implendo ſpiritum intercludere. non ordines ſeruandi, firmiter conſiſtendi, vulnera inferendi aut vitandi poteſtas dari: vires perpaucis, animi præſentia nemini adeſſe. quæ coniecerant tela, turbo contrarius miris modis circumacta in ipſos retorquebat; vel innoxia aliò deflectebat: Theodoſianorum autem haſtas ſagittáſque vltra ſpatium humanis viribus conceſſum longè deferebat, nullum vt eorum iaculum irritum caderet. Eugeniani conferti procumbebant: occæcati puluere, vi venti perculſi, toto corpore inutiles & illigati ab integris & expeditis more pecudum trucidabantur. Fluuius Frigidus coaceruatorum cadauerum ſanguine redundabat, colorémque & frigus amiſerat. Cùm magnus Eugenianorum numerus eſſet occiſus; reliqui tandem Deo cedendum eſſe intellexere: atque armis abiectis à Theodoſio Aug. vt ipſis ignoſceret ſupplices petiuere: quos Imperator pro ſua clementia omnes conſeruauit: ex híſque nonnullos ad Eugenium comprehendendum miſit. quos cùm Eugenius in aggere conſidens curſu ad ſe tendentes ac anhelantes videret; victoriæ nuntios ratus interrogauit, an quemadmodum præcepiſſet, Theodoſium viuum & vinctum perducerent. illi autem non, inquiunt, Theodoſium ad te captiuum adducimus: ſed (ſicut Deo viſum eſt) te ad Theodoſium victorem adducturi venimus. confeſtímque hominem de-

detractum è solio, ablatis insignibus imperatoriis, religatis manibus ad Theodosium deducunt. cui postquam Theodosius Valentiniani nefariam cædem, tyrannidem scelere quæsitam, atque imaginem Herculis impiè agminibus prælatam obiecit, ac bellum ciuile imputauit: demississimè vitam precanti ante pedes eius caput præcisum est. Arbogastes (vt loquitur Rufinus) *aduerso Deo nequidquam fortiter faciens*; vbi desertum se à suis vidit, profugit ex prœlio: desperatísque rebus, duobus semetipse gladiis transuerberauit. multi præterea clarissimi viri in acie ceciderunt. Flauianus omnibus honoribus functus, qui Haruspicinâ & obseruatione siderum deceptus victoriam Eugenio prædixerat: antequam pugna committeretur, in Alpium faucibus, quas valido præsidio tuebatur, est interfectus.

Theodoritus in libro V ac Nicephorus Callistus in libro XII ita, vt suprà diximus, biduo bis pugnatum scribunt. At Socrates in libro V & Hermias Sozomenus in libro VII memoriæ tradunt cùm se acies Theodosiana in planitiem demisisset; ibíque dubio Marte prœlium committeretur: partem exercitus Eugenij in summo monte considentem à tergo apparuisse. ac Theodosium veritum, ne sui pauci à multis, defessi à recentibus circumuenti interficerentur; Ducibus copiarum in monte consistentium datâ, sicut petierant, fide augendæ dignitatis eam manum ex insperato sibi iunxisse. Interea in campo permagnum Barbarorum Theodosij auxiliarium numerum esse occisum. Itaque Imperatorem proiectis armis fusum humi maximo fletu Deum implorauisse: ac subitò Bacurium Regalem Iberorum, pietate & virtute animi corporísque præstantem subsidio laborantibus venisse: factáque impressione Eugenianos, qui paullo antè aduersariis pulsis vehementer instabant, in fugam conuertisse: atque magnam illam vim venti coortam esse. Turanius Rufinus quoque, quem Socrates Scholasticus & Hermias Sozomenus non secuti sunt modò, sed ferè totum transtulerunt; in lib. XI prodit, collocatis in superiore iugo insidiis, Eugenianos in descensu montis aciem instruxisse: & vbi ad primos ventum est, atque

hi scilico Theodosio tradiderunt; in imis vallibus prœlium atrox initum esse: fusáque auxilia Barbarorum terga dedisse. tum Theodosium, vt auersos suos vidit, pro salute periclitantium Deum precatum esse: ac mox Theodosianis animum virtutémque rediisse: Bacuriúmque ingenti strage agmina hostium conferta & constipata perrupisse: & vehementem ventum in eorumdem exitium consensisse. Zosimus Christianæ religioni & Theodosio infensus, ne piissimum Principem beneficio Dei ex aduersariis victoriam tulisse fateretur, mentiri maluit: ac nullâ cùm huiusce venti; tum precationis mentione factâ in libro IV scripsit, cùm auxilia Theodosij magnâ cæde prostrata fuissent; postridie Eugenianos securos temulentos ac semisomnos deimprouiso oppressos, fusos, fugatósque esse: Eugenium in fuga captum: cuius capite amputato & per castra circumlato, ac veniâ promissâ, vniuersi se Theodosio dediderint. Arbogastem verò in montes asperos ex fuga se recepisse: cúmque dimissis à Theodosio in omnes partes militibus ad mortem conquireretur, ludibria arbitriúmque hostium sua manu occupauisse. Adiicere ex Philostorgio licet pugnatum acerrimè, & multos vtrimque desideratos. etsi enim Auctor libri de vita & moribus Imperatorum Rom. & Iordanes in libro de successione Regnorum produnt Eugenium tyrannum, & Arbogastem ab Theodosio superatos prœlio esse, ex eorum exercitu deletis armatorum millibus decem: tamen ea denorum millium cædes Gothis Fœderatis magis conuenit, quorum decem millia à Theodosio præmissa Magister militum Arbogastes apud Orosium & Paullum dicitur interfecisse. at ex parte Eugenij non *paruam manum fusam* esse, sicut ait Orosius; sed ingentem hominum multitudinem cecidisse Claudianus præter ceteros ostendit his versibus.

Alpinæ rubuere niues: & Frigidus amnis
Mutatis fumauit aquis; turbáque cadentum
Staret, nî rapidus iuuisset flumina sanguis.
Crescunt in tumulum strages: vallémque profundam
Æquauere iugis: stagnant immersa cruore

Corpora. turbantur permisto funere manes.

Victus est Eugenius VIII Idus Septembres Arcadio III & Honorio II in Oriente; in Occidente Flauiano & Arbogaste (vt existimo) Consulibus; post Valentiniani cædem annis II & mensibus ferè IV. & summa Imperij ante annos XXX ab Valentiniano maiore diuisi ad Theodosium peruenit. Ceterùm tam memorabilem felicémque victoriam Theodosius pietati suæ religiosísque precibus magis quàm armis debuit: vti Paullinum Aquitanum in Panegyrico quodam scripsisse ait Gennadius. Quare Claudianus versibus notissimis, & ab Augustino ac Orosio citatis testatur ætherem Theodosio militauisse, & coniuratos ventos ad classicum venisse. Et Augustinus in libro V de Ciuitate Dei Theodosium *contra robustissimum* Eugenij *exercitum magis orando, quàm feriendo pugnauisse* affirmat. atque apud Prosperum Tironem in Chronico *aperto Dei fauore conspirantibus elementis* Eugenius dicitur esse superatus. CCC-XCIV.

Non diu Theodosio licuit bello confecto lætari, ac fructum laboris sui percipere. Nam Mediolani aquam intercutem nactus, cùm manè ludis Circensibus victoriam celebrauisset; post prandium subitò ingrauescente morbo spectaculo interesse non potuit: eíque Honorium filium, quem ex Thracia acciuerat, præsidere iussit: ac proximâ nocte decessit XVI Kalendas Februarias, Olybrio & Probino Coss. anno ætatis XLVIII; imperij CCC-XCV. sextodecimo exeunte: Arbogasti non longiùs IV mensibus ac vndecim diebus superstes: duobúsque filiis ex priore coniuge Ælia Flaccilla Aug. genitis Flauio Arcadio puero annorum circa XVII partes Orientis; Fl. Honorio annum vndecimum agenti Imperium Occidentis recens armis quæsitum reliquit. qui eodem anno lege data XI Kalendas Maij Mediolani, quam libro XV Codicis Theodosiani insertam legimus; Eugenij acta infirmauerunt: eiúsque, & Arbogastis, ac Nicomachi Flauiani *funestorum* (ita enim appellant) *Consulum* nomina ex Fastis eradi iusserunt. Ex his colligi potest, quàm falsò Prosper, & Prosperum secutus Cassiodorus Senator affirment Olybrio & Probino fratribus Coss. Eugenium CCC-XCV.

victum esse, & Theodosium morbo interiisse. cùm non modò Hydatius ac Marcellinus, sed etiam vetustiores Prospero Claudianus & Socrates; alter secundo Consulatu Honorij Aug. alter VIII Idus Septembris Arcadio
CCC-XCIV. III & Honorio II Coss. Eugenium à Theodosio pulsum acie & occisum esse memoriæ tradant.

Hocce prœlium, præter quinque supradictos Historiæ Ecclesiasticæ auctores, describunt Ambrosius in laudatione funebri Theodosij, Claudianus, Aurelius Augustinus, Magnus Orosius in libro VII, & Zosimus in lib. IV à ceteris omnibus consuetudine sua dissentiens. Apud Orosium quidem (cuius verba Marcellinus in Chronicum suum, & Paullus Langobardus in librum XIII Historiæ Miscellæ transtulere) dicitur Arbogastes Valentiniano interfecto *mox Imperatorem creauisse Eugenium: eligens hominem, cui titulum Imperatoris imponeret; ipse gesturus atque sibi vindicaturus Imperium: ac contraxisse vndique innumeras & inuictas copias partim ex Romanorum præsidiis; partim ex auxiliis Barbarorum; apud hos potestate* (hoc est Magisterio militum) *apud illos cognatione subnixus: & aduersus Theodosium collectis Gallorum, Francorúmque viribus exundauisse.* Gallos, & Francos Orosius appellat, quos suprà *cognatos*, id est populares Arbogastis, item *Barbaros; ac Romanos.* Quod autem ait Eugenium ab Arbogaste Imperatorem factum; Claudiani, Orosij, Prosperi, atque Zosimi auctoritate nititur: adeóque verum est, vt qui parciùs vel negligentiùs ea de re loquuntur Historici, scilicet Auctor libri de vita Imperatorum, Socrates, Marcellinus, ac Nicephorus Callistus; nihilominùs Eugenium *Arbogastis fauore & viribus confisum; siue adiutore Arbogaste Imperium vsurpauisse* scribant. quem ego virum tanto maiore admiratione dignum iudico, quanto gloriosius est Imperium, cùm occupare possis, fastidire, & dare alij malle. Quamquam videtur Arbogastes (sicuti prodit Orosius) Eugenium ignobilem & imbellem homunculum ex industria delegisse, vt inane nomen personámve Principis ferenti ipse imperaret: & penes eum vmbra Imperij; corpus penes se atque vires forent. Certè Eugenium,

quem Christianum fuisse Ambrosius ac Paullinus aiunt, Philostorgius Socratis æqualis negat; Zosimus quidem amicum Arbogastis vocat: at Claudianus humillimum *abiectißimúmque* eius *clientem*, atque etiam *famulum*, seu in rebus omnibus morigerum; Arbogastem verò *Barbarum*, & *Germanum exsulem*, hoc est Francum domo expulsum appellat his versibus.

Interea turbata fides. ciuilia rursus
Bella tonant, dubiúmque quatit discordia mundum.
Proh crimen Superûm! longi proh dedecus æui!
Barbarus Hesperias exsul possederat vrbes:
Sceptráque deiecto dederat Romana clienti.

Idem in eodem Panegyrico de III Consulatu Honorij Aug. ita de morte Arbogastis refert:

At ferus inuentor scelerum traiecerat altum
Non vno mucrone latus: dupléxque tepebat
Ensis: & vltrices in se conuerterat iras
Tandem iusta manus.

Et alio loco de Maximi, & Eugenij; déque Andragathij & Arbogastis, qui eorum Comites & Magistri militum fuerunt, exitu sic loquitur.

Per varium gemini scelus erupere Tyranni
Tractibus Occiduis. hunc sæua Britannia fudit:
Hunc sibi Germanus famulum delegerat exsul:
Ausus vterque nefas; Domini respersus vterque
Insontis iugulo.
Hic noua moliri præceps; hic quærere tuta
Prouidus; hic fusis; collectis viribus ille;
Hic vagus excurrens; hic intra claustra reductus;
Dißimiles, sed morte pares: euadere neutri
Dedecus, aut mißis licuit procumbere telis.
Amißâ specie, raptísque insignibus ambo,
Qui modò tam densas nutu mouere cohortes;
In quos iam dubius sese librauerat orbis;
In vultus rediere suos: manibúsque reuinctis
Oblati gladiis summittunt colla paratis.
Amborum periere Duces. Hic sponte carina
Decidit in fluctus: illum suus abstulit ensis.
Hunc Alpes, hunc pontus habet.

Apud eumdem Claudianum Honorius puer, de ſententia exercitus factus Imperator, Theodoſiũ patrem rogat, vt cum eo ſibi liceat ad bellum Eugenianum proficiſci.

Sed cur non potiùs, verbis quæ differis, vſu
Experior? gelidas certè nunc tendis in Alpes,
Duc tecum comitem: figant ſine noſtra Tyrannum
Spicula: palleſcat noſtro ſine Barbarus arcu.
Italiámne feram furiis prædonis acerbi
Subiectam? patiar Romam ſeruire clienti?

CCC-XCV. Olybrio & Probino Coſſ. ſub finem anni Rufinus natione Aquitanus, natus Eluſæ in Nouempopulis, quem Theodoſius Magiſtrum Officiorum & Conſulem fecerat, ac tutorem Arcadio moriens inſtituerat, periit: vir ſtrenuus; prudentia; altitudine ingenij; magnitudine corporis; extemporali ſermonis facilitate excellens; ſed auarus & rapax: quem Patricium & Præfectum Prætorij Stilico vtriuſque Imperatoris tutelam ſibi vindicans, in Tribunali Hebdomi per milites Orientales poſt victum Eugenium domum remiſſos interficiendum curauit, affectati Imperij falsò ſuſpectum: quippe Alaricum Gothorum Regem pecuniâ ſolicitatum in Græciam; Hunnos in Armeniam & Cappadociam immiſerat non ob aliud, quàm vt contra Stiliconis inſidias eorum præſidio muniretur. inſequenti anno Rufini vxor, & filia in exſilium miſſæ ſunt.

Per hæc tempora in Francis Regnum obtinebant Marcomeres & Sunno, forſitan Priami eius, quem Tiro
CCCL-XXXII. Proſper quarto imperij Theodoſij anno in Francia regnauiſſe ſcribit, filij. Certè in libro de vita Sigeberti poſterioris Francorum Regis reperio Priamum patrem Marcomeris, auum Faramundi, Clodionis proauum, abauum Merouei Alanos viciſſe: & ab Imperatore Valentiniano victum acie atque occiſum eſſe. Vetus quoque Hiſtoricus, qui res geſtas Merouingorũ Regum ſcripſit; Abbáſque Monaſterij Vrſpergenſis Conradus Marcomerem Priami filiũ, & Sunnonem Antenore quodam natum principatu Valentiniani Priamo ſucceſſiſſe dicunt. & Rorico Monachus Marcomerem Priamo genitum ait. Denique Priamum imperante Valentiniano ma-

iore in Francia regnâsse auctor est Sigibertus: affirmátque quosdam eum à Valentiniani exercitu prœlio fusum & occisum scribere. ipse anno V post Valentis Aug. mortem obiisse credit, eodémque anno Marcomerem Priami filium, ac Sunnonem Principatum in Francia obtinere cœpisse. Neque hoc Priami nomen, quòd Græcum est, & originem Francorum ad Troianos referendi materiam multis scriptoribus præbuit: ob eam rem videri debet viro Germano minimè conuenire. cùm (vt de ceteris sileam) è tribus Alamannorum Regibus vnũ Serapionem; alios duos Vrsicinũ, & Macrianum; & Quadorum Regulum Gabinium Ammianus Marcellinus nominibus Ægyptiis & Latinis appellet. Si autem verum est, quod Tiro Prosper dicit: apparet Priamũ à priore Valentiniano occidi non potuisse, qui anno septimo post eius mortem, quarto imperij Theodosij in Francia regnare occœperit: eumdémque, ac Mallobaudem vno tempore Franciæ imperium obtinuisse. quem Mallobaudem (sicuti suprascripsimus) Gratianus Aug. Comitem, ac bellorum commilitonem per annos ampliùs VI habuit: & cuius ductu Macrianus atque Priarius potentissimi Reges Alamannorum acie victi sunt & interfecti. Quo magis miror à Prospero Priami quidem pæne ignoti viri mentionem fieri: Mallobaudem verò, Genobaudem, Marcomerem, ac Sunnonem nobilissimos Reges Franciæ præteriri. quippe nullum Regem Prosper Priamo, & Faramundo medium interponit: sed hunc anno IV Imperatoris Theodosij; illum Honorij sexto & vicesimo regnare cœpisse affirmat: vt Priamo, quicumque est, vndequadraginta annos attribuere videatur: cùm is, si IV imperij Theodosij anno Regni potiri occœperit, vix sexennium complere potuerit. Nam dum Maximus Aquileiæ amissâ spe Principatus amens & attonitus sedet; siue Theodosio Aug. iterum & Cynegio Coss. anno decimo post exortũ Theodosij, Francos Genobaude, Marcomere, & Sunnone ducibus in Germaniam prorupisse auctor est Sulpicius Alexander: quem cùm nequaquam intelligeret Gregorius, & apud eumdem scriptorem legisset, Arbogaste Francorum agros depopulante; CCCL-XXXVIII.

paucos ex Amsiuariis & Cattis Marcomere duce in vlterioribus collium iugis apparuisse : haud dubitauit affirmare Francis Duces, non Reges eâ tempestate fuisse. hócque non solùm veteribus nostris Historicis Fredegario, Aimoino, Roriconi, Adoni, Sigeberto, ac Iuoni; sed etiam Nicolao Vignerio, aliísque recentibus nimis credulis auctoritate sua persuasit. tanta omnium vel securitas, vel linguæ Latinæ ignorantia fuit, vt quod cuiusquam ductu gestum sit; id eo duce actum esse Latinè dici nescierint: non minùs ridiculi, quàm qui Iunonem apud Virgilium ita de se loquentem

Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter?

Ducem appellandam diceret, Reginam negaret. Scilicet Atech; Genobaudes, Mamertino Genoboudes dictus; Ascaricus; Regaisus;Nebiogastes,vel Nebigastes; atque Mallobaudes Reges Francorum fuerunt! Genobaudes minor, Marcomeres, & Sunno non fuerunt! quos posteriores duos Sulpicius Alexander ipse, & Paullinus in libro de vita Ambrosij, ac Claudianus Reges nuncupant. Quid quòd & Reges, quorum cùm apud ceteras nationes; tum maximè apud Francos, gentem liberam atque bellicosam, præcipuæ partes semper fuere, vt exercitus ducerent; auctores Latini Ducum nomine sæpe vocauerunt? Sic Titus Liuius in lib. XLV Solouettium & Ducem Gallorum, & Regulum Gallorum appellat. Publius Virgilius Maro Turnum modò Ductorem; modò Regem Rutulum nuncupat. Sed hoc clarius ac certius est, quàm vt indicari egeat aut probari. Neque est, quòd tantopere sudet Gregorius, dubitétque Reges; an regiam vicem functi fuerint Marcomeres, & Sunno : quoniam ambos idem Sulpicius Alexander Francorum Regales, ac Subregulos Francorum vocet. licet enim Regales propriè dicerentur Regum filij, atque propinqui, qui Regibus quidem auctoritate & potentiâ inferiores essent; sed Subregulis, ac nonnumquam etiam minoribus Regalibus imperarent: tamen ex superioribus satis apparet Alexandrum licentiùs verbis abusum Regales, & Subregulos pro Regibus dixisse.

Vt

Vt autem cuius filij; ita & cuius successores fuerint Genobaudes, Marcomeres, & Sunno, (nam saltem Marcomerem, & Sunnonem fratres fuisse infrà docebimus) inter auctores non constat. Aimoinus Francioni cuidam fabulis memorato; Nicolaus Vignerius Mallobaudi; alij scriptores Priamo eos successisse tradunt. Regnare in Francia cœpere paullo ante alterum Theodosij CCCL-
Consulatum: quo anno Clementis Maximi bello ciuili XXXVIII.
pressi absentiâ inuitati, transito Reno, Galliam incursionibus vastauere: ac transgressos in Franciam Romanos fudere & fugauere. cui expeditioni non diu superfuisse videtur Genobaudes, à Sulpicio Genobaldus; à Fredegario Aimoinóque Genebaudus dictus. quoniam Sulpicius Alexander nullam deinde eius; sed Marcomeris tantùm ac Sunnonis mentionem facit; Genobaudem Marcomeri, Marcomerem Sunnoni præponens. ex quo intelligitur vt Genobaudem maximum ex fratribus; ita Sunnonem minimum natu fuisse. Idem Auctor apud Gregorium scribit Marcomerem & Sunnonem, ob actas ex prouincia Germania prædas, Timasio & Promoto CCCL-
Coss. euocatos ab Imperatore Valentiniano in collo- XXXIX.
quium venisse: datísque ex more obsidibus domum rediisse: ac Arcadio Aug. II & Rufino Coss. sub finem an- CCC-
ni, Arbogaste agrum Bructerorum ripæ Reni proxi- XCII.
mum, & pagum Chamauorum populante; paucos Amsiuarios, & Cattos Marcomere duce in vlterioribus collibus apparuisse: bellóque variâ fortunâ gesto pacem factam; & postea Valentiniano interfecto ab Eugenio antiqua fœdera cum Francorũ Regibus, id est cum Marcomere & Sunnone inita esse. Hoc loco ánimaduerto Arbogastem Postumi, Lolliani, Probi, Maximiani, Constantij maioris, Constantini, Crispi Cæs. Iuliani, Valentiniani, & Quintini Magistri militum exempla secutum in Franciã transiisse: in qua præter homines & pecora nihil erat, quod capi posset; præter casas nihil, quod miles incenderet. atque post id tempus attritis Imperij viribus neminem Romanum vmquam cum exercitu fines Francorum ingredi ausum esse. præterea Marcomerem Faramundi patrem in Bructeris, Chamauis, Amsiuariis, & Cattis Regnum obtinuisse. quippe ille, nisi his populis

præfuiſſet, priores duos defendere non debuit; poſteriores duos milites habere non potuit. Erant autem Amſiuarij, vti Bructeri, Chamaui, & Catti; Franciæ gens, quos Caius Cornelius Tacitus in libro XIII Annalium Anſibarios; Iulius Honorius Orator in libello de Coſmographia, ac Iſidorus Amſiuaros, & Amſibaros appellant: & quos quidam apud Ammianum Marcellinum Attuarios dici falsò affirmant: cùm Attuarij Franci quidem & ipſi, Renóque coniuncti, & antedictæ trigæ populorum finitimi, ab Strabone Chattuarij; Attuari à Velleio; à Tacito & Ptolemæo Chaſuari; & in Annalibus rerum geſtarum Caroli Ducis Hattuarij, atque Hazzoarij vocentur.

Ceterùm notandum eſt veterem Auctorem Hiſtoriæ Francicæ, Roriconem Monachũ, Adonem Viennenſium Epiſcopum, Sigibertum, Iuonem, multóſque alios, cùm apud Gregorium legiſſent *Genobaude Marcomere & Sunnone ducibus Francos in Germaniam irrupiſſe*, ex eáque prædas egiſſe; deceptos nomine Germaniæ tradidiſſe Francos relictâ Pannoniâ Marcomeris & Sunnonis ductu in Germaniam commigrauiſſe: & loca circum extremas partes Reni, ſeu circa oſtium fluminis occupauiſſe. Vt appareat ab iiſdem Sulpicij Alexandri verbis non intellectis & hunc recentiorum ſcriptorum, & ſupradictum Gregorij errorem ortum eſſe. Miror verò, quòd Marcomerem, & Sunnonem (priorem noſtri Marcomirum; poſteriorem Sonnonem, ac Somnonem appellant) ſex & triginta annos regnauiſſe Sigibertus pro-
CCCL. dat. nam ambo paullo ante alterum Theodoſij Aug.
XXXVIII. Conſulatum Regni potiti, ſub initia principatus Hono-
CCCC. rij ante Stiliconem Conſulem perierunt. Certè Claudianus, Poëta æqualis huius temporis in libro I de laudibus Stiliconis ſcribit Marcomerem & Sunnonem fratres, non ſanguine & Regni ſocietate quàm morum ſimilitudine coniunctiores, quoniam inquieti & otij impatientes fœdus cum Honorio ictum frangere volebant; miſerabilem exitum feciſſe. eorum enim alterum, id eſt (vt aliqui arbitrantur) Marcomerem à ſuis vel auro corruptis, vel bellum peroſis viuum Flauio Honorio traditum eſſe: quem Imperator in carcerem & vincla conie-

cerit, atque cognitâ causâ in Etruriam relegauerit. alterum, fratris se exsilium ac iniuriam vlturum minitantem, Principum Maiorúmque coniuratione esse interfectum.

Prouincia missos
Expellet citiùs, fallax quàm Francia Reges,
Quos dederis. acie non iam pulsare rebelles,
Sed vinclis punire licet. sub iudice nostro
Regia Romanus disquirit crimina carcer.
Marcomer, Sonnóque docent: quorum alter Etruscum
Pertulit exsilium: cùm se promitteret alter
Exsulis vltorem, iacuit mucrone suorum.
Res auidi concire nouas, odióque furentes
Pacis, & ingenio scelerúmque cupidine fratres.

Quibus etiam versibus videtur indicare Claudianus in locum Marcomeris & Sunnonis Reges ab Honorio esse suffectos. Vnde in libro I in Eutropium tradit Honorium Aug. cùm ei Eutropius eunuchus ex Oriente Consul nuntiatus est; siue Consulatu Mallij Theodori cum Germaniæ gentibus fœdera iunxisse, aliis Reges imponentem, aliis obsides; aliis milites imperantem. CCC. XCIX.

Tum fortè decorus
Cum Stilicone gener pacem implorantibus vltro
Germanis responsa dabat: legésque Caycis
Arduus, & flauis signabat iura Sueuis.
His tribuit Reges: his obside fœdera sancit
Indicto: bellorum alios transscribit in vsus:
Militet vt nostris detonsa Sicambria signis.

Deinde Romam cum Honorio sic loquentem fingit.

Ante pedes humili Franco, tristíque Sueuo
Perfruor, & nostrum video Germanice Renum.

Sed vt hoc incertum est; ita maximè constat Flauium Stiliconem, Magistrum militum, paucis comitatum in Rętiam contendisse & flumen Renum pernauigâsse; euocatis ad se Alamannorum, ac Francorum Regibus: qui contra Theodosium adiuti Arbogastis & Eugenij sibi conscij pro summo beneficio pacem acceperint, filiósque obsides dederint. cùm antea Imperatores Romanos tributarios haberent, nec nisi acceptâ pecuniâ incursio-

nibus absisterent. Sic Stiliconem peruenisse ad locum, vbi Renus duo in ora se scindit: rebúsque ex sententia confectis, post paucos dies quàm profectus erat reuertisse. Marcomeres autem, & Sunno etiam tum in Francia regnabant: qui paullo pòst (vt supradictum est) cùm id fœdus frangere vellent, indignum nobilitate ac virtute sua exitum fecere. Ex quo intelligitur Faramundum Marcomeris filium præter ceteros obsidem Honorio datum esse. Hoc fœdus initio principatus Honorij ex more initum, seu potiùs renouatum esse Olybrio & Probino Coss. priusquam Stilico in Alaricum Gothorum Regem Macedoniam & Epirum depopulantem expeditionem faceret, & Theodosianos ciuilis belli victores domos remitteret, docet Claudianus in Panegyrico Honorio IV Consuli dicto, Honorium alloquens Stilicone subnixum.

CCC-XCV.

Hunc tamen in primis populos lenire feroces,
Et Renum pacare iubes. volat ille citatis
Vectus equis; nulláque latus stipante caterua,
Aspera nubiferas quà Rætia porrigit Alpes,
Pergit; & hostiles (tanta est fiducia) ripas
Incomitatus adit. totum properare per amnem
Attonitos Reges humili ceruice videres.
Ante Ducem nostrum flauam sparsére Sicambri
Cæsariem: pauidóque orantes murmure Franci
Procubuere solo. iuratur Honorius absens,
Implorátque tuum supplex Alemania nomen.
Basternæ venere truces; venit accola siluæ
Bructerus Hercyniæ; latísque paludibus exit
Cimbrus; & ingentes Albim liquere Cherusci.
Accipit ille preces varias, tardéque rogatus
Annuit, & magno pacem pro munere donat.
Quod longis alij bellis potuere mereri,
Hoc tibi dat Stiliconis iter. Post otia Galli
Limitis hortaris Graias fulcire ruinas.
Ionium tegitur velis.

Hanc pacem operâ Stiliconis factam cum Germanis accolis Reni; hoc est cum Francis, & Alamannis, ac fortasse etiam pretio redemtam; velut felicem aliquam ex-

celsámque victoriam magnificentiùs inflatiúsque quàm veriùs carminibus celebrat idem Poëta in libro I de laudibus Stiliconis.

Miramur rapidis hostem succumbere bellis,
Cùm solo terrore ruant? non classica Francis
Intulimus: iacuere tamen. non Marte Sueuos
Contudimus, queis iura damus. quis credere possit?
Ante tubam nobis audax Germania seruit.
Cedant Druse tui; cedant Traiane labores.
Vestra manus dubio quidquid discrimine gessit;
Transcurrens egit Stilico: totidémque diebus
Edomuit Renum, quot vos potuistis in annis.
Quem ferro, alloquiis; quem vos cum milite, solus.
Impiger à primo descendens fluminis ortu
Ad bifidos tractus, & iuncta paludibus ora
Fulmineum perstrinxit iter. Ducis impetus vndas
Vincebat celeres: & pax à fonte profecta
Cum Reni crescebat aquis. Ingentia quondam
Nomina, crinigero flauentes vertice Reges,
Qui nec Principibus donis precibúsque vocati
Paruerant; iussi properant: segnique verentur
Offendisse morâ. transuecti lintribus amnem
Occursant, vbicumque velis. nec fama fefellit
Iustitiæ: videre pium, videre fidelem:
Quem veniens timuit; rediens Germanus amauit.
Illi terribiles, quibus otia vendere semper
Mos erat, & fœdâ requiem mercede pacisci:
Natis obsidibus, pacem tam supplice vultu
Captiuóque rogant, quàm si post terga reuincti
Tarpeias pressis subeant ceruicibus arces.
Omne, quod Oceanum fontésque interiacet Istri,
Vnius incursu tremuit: sine cæde subactus
Seruitio Boreas, exarmatíque Triones.
Tempore tam paruo tot prœlia sanguine nullo
Perficis; & Lunâ nuper nascente profectus
Antè redis quàm plena fuit; Renúmque minacem
Cornibus infractis adeò mitescere cogis:
Vt Salius iam rura colat, flexósque Sicambri
In falcem curuent gladios, geminásque viator

Cùm videat ripas, quæ sit Romana requirat:
Vt iam trans fluuium non indignante Cayco
Pascat Belga pecus; mediúmque ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.
Vltro quinetiam deuota mente tuentur,
Victorique fauent. quoties sociare cateruas
Orauit, iungíque tuis Alemania signis!
Nec doluit contemta tamen, spretoque recessit
Auxilio laudata fides. Prouincia missos
Expellet citiùs, fallax quàm Francia Reges,
Quos dederis.

Quibus ex versibus apparet Claudianum aut studio adulandi, aut æstu quodam ingenij longiùs abreptum incredibilia narrare. Si enim Stilico nouâ Lunâ profectus, & à Mediolano ad diuortium Reni ampliùs IↃC milliaria emensus ante plenilunium rediit: quâ festinatione intra tam breue temporis spatium, hoc est intra XIV circiter dies Principes Cheruscorum, & Cimbrorum ex interiore Germania; atque etiam Duces gentis Basternarum seu potiùs Bastarnarum ex Sarmatia euocari, ne dicam in colloquium venire potuere? Quòd si quis dicet earum nationum Regulos ad ripam Reni aduentum Stiliconis opperiri monitos esse, vt venienti celeriter occurrerent: constabit ne sic quidem Bastarnas eò acciri debuisse. nisi fortè Bastarnæ Reno quàm Danubio propiores; aut Sarmatarum incursiones Galliæ magis quàm Pannoniæ Mœsiæque metuendæ fuerunt. Præterea miror Claudianum sperauisse cuiquam posse persuaderi pecora Belgarum non solùm vltra Renum propulsa in pabulum; sed etiam trans Amisium, & Visurgim, ac Albim ipsum, quod flumen à Reno millia passuum quadringenta abesse Velleius affirmat; pastum vmquam exacta esse. Quam ego mendam à librariis ortam, & ita corrigendam arbitror.

Vt iam trans fluuium, non indignante Cayco,
Pascat Belga pecus; mediúmque ingressa per alueum
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Vbi fluuium, mediúmque alueum cùm dicit, Renum Poëta vult intelligi: & Caucos, seu Caycos, nationem

Germanam, gentibus Francorum annumerat. Sic Eumenius de laudibus Constantini Aug. dicit *greges Gallorum toto flumine bicorni* (id est Reno) *mersari* post Ascaricum & Regaisum Reges Francorum victos & captos.

Ob id fœdus, sicut antè dictum est, factum cum Francis & Alamannis; Claudianus Galliam indignantem querentémque nondum Consulatum præmium meritorum Stiliconi datum esse, fingit his versibus.

Qui mihi Germanos solus, Francósque subegit,
Cur nondum legitur fastis? cur pagina tantum
Nescit adhuc nomen, quod iam numerare decebat?
Vsque adeóne leuis pacati gloria Reni?

Honorio Aug. IIII & Eutychiano Coss. aduersus Gildonem Maurum idolorum cultorem, sub specie partium Arcadij Africã sibi vindicantem Mascizel eius frater, vir Christianus est missus: quocum se Francorum Imperatoris sociorum classem coniunxisse falsò affirmat Nicolaus Vignerius: quòd apud Claudianum Honorius, Gildoni hosti à Senatu iudicato bellum inferre parans sic loquitur. CCC-XCVIII.

Transmittere primus
Ipse paro. quacumque meo gens Barbara nutu
Stringitur, adueniat. Germania tota feratur
Nauibus, & socia comitentur classe Sicambri.
Pallida translatum iam sentiat Africa Renum.

Quippe Claudianus ipse in lib. belli Gildonici, & Orosius in libro VII docent Mascizelem Pisis profectum Caralim venisse: inde secundo vento in Africam traiecisse: habuisse autem secum non plura quàm quinque militum millia; nimirum Iouianos, Herculianos, Sagittarios Neruios, Felices, Augusteos, Inuictos, & Leones: quæ tum nomina legionũ erant. eáque manu Gildonem, filiorum suorum interfectorem, fretũ armatis millibus LXX pæne sine pugna ac sine sanguine vicisse. Vt appareat exercitum, quem Imp. Honorius auctore Stilicone aduersus Gildonem misit, haudquaquam (sicuti credit Vignerius) ex Franciæ Germaniæque gentibus fuisse confectum. Gildone interfecto, & Africâ receptâ multi, qui partium eius adiutores fuerant, proscripti sunt: in his Mar-

charidus, nî fallor, cuius mentio fit in Codicis Theod. libri IX titulo XLII.

Quod verò suprà Claudianus ait Sicambros, quos quidam Græcos auctores secuti Sugambros, aut Sygambros appellant, sub signis Ducibúsque Romanis militauisse; hoc de Francis dictum esse facilè intelligi potest: quoniam ea tum gens agrum veterum Sicambrorum possidebat. & Notitia prouinciarum Imperij Romani, Honorij principatu scripta, Salios in partibus Orientis Auxiliis Palatinis annumerat: docétque Alam primam Francorum Apollonos; Cohortem XI Chamauorũ Peamû; Cohortem VII Francorum Diospoli; Alam I Francorum Cunnæ; & Alam octauam Flauiam Francorum Ripaltæ (quæ Thebaidis, Syriæ, & Mesopotamiæ loca erant) in præsidio fuisse. quæ Auxilia, Alas, & Cohortes Imperatores Constantinus Maximus & Constantius eius filius ex Francis cùm captiuis, tum dediticiis confecisse videntur, & in Orientem transtulisse. Eodem in libro in Occidente Francorum gentes Salij, Bructeri, Amsiuarij, ac Salij Gallicani inter Auxilia Palatina numerantur: ex quibus Salij seniores, Bructeri, & Amsiuarij in Galliis sub viro illustri Magistro equitum militabant: Salij iuniores Gallicani in Hispania præsidij causâ constituti erant: & Præfectus Lætorum Francorum Redonis, vrbi prouinciæ Lugdunensis tertiæ, præfuisse dicitur.



HA-



HADRIANI VALESII

RERVM FRANCICARVM LIBER TERTIVS.



IRES Occidentis Theodosianis bellorum ciuilium victoriis, ac continuis Barbarorum incursionibus attenuatas Fl. Stiliconis perfidia & ambitio fregit: qui Magister vtriusque militiæ, bis Consul, & Patricius, ac Honorij socer, inflatus matrimonio Serenæ Augustorum sororis patruelis, nec contentus arbitria pacis armorúmque agere; Euchério filio suo Imperium conciliare conatus est; nomine eius nummis clam percussis inscripto: nouámque & Reipublicæ perniciosam rationem excogitauit, quâ se nemini suspectum fore existimabat. Nam Alaricum Regem Gothorum apertis Alpibus immisit Italiæ, & sæpe victum opprimere cùm posset noluit; sæpe insidiis inclusum de industria incolumem dimisit: ac nihilominùs Radagaisi Regis quoque Gothorum copiis partim cæsis, partim fame in deditionem subactis; Alanos, Sueuos, Vandalos, vnde genus ducebat, Burgundiones, multásque alias Germaniæ gentes magnis donis illectas clam ad

depopulandam Galliam euocauit. prӕterea Prӕfectos Italiӕ, ac Galliarum, ac potentissimos quosque copiarum duces in societatem coniurationis adsciuit: ratus turbatis rebus necessariò milites, contemtâ Honorij desidiâ, Imperium ad Eucherium consciorum impulsu delaturos, séque Barbaros vti incitasset, sic in medio spatio facilè repressurum. Igitur Alani, Tanais antea, tum Danubij accolӕ, Respendiale & Goare ducibus primi arma sumsere: & per agrum Marcomanorum, Toringorum, atque Francorum impunè iter fecere, & ad flumen Renum peruenere. Ibi Respendial aduentum Vandalorum exspectare statuit: Goar autem Regulus partis Alanorum cum suis ab eo se abrupit, Romanísque iunxit. Vandalis mox eamdem viam ingressis Franci armati occurrerunt, prœlióque commisso millia hominum vicena occiderunt. Rex ipse, quem alij Godigisclum, alij Gogidisclum, alij Gundigisclum appellant, est interfectus, nec quisquam ex tota gente cӕdi superfuisset, nisi Respendial audito Vandalos ab Francis itinere prohiberi, confestim copias suas circumegisset, & opportunè adueniens perterritos ac de salute desperantes periculo liberauisset. Ita Vandali coniuncti cum Alanis iter inceptum perrexere, & in Godigiscli locum Gundericum eius filium substituere: vt Renatus Profuturus Frigeridus apud Gregorium docet his verbis. *Interea Respendial Rex Alanorum, Goare ad Romanos transgresso, à Reno agmen suum conuertit, Vandalis Francorum bello laborantibus; Godigisclo Rege absumto acie; viginti fermè millibus ferro peremtis; cunctis Vandalis adinternecionem delendis, nî Alanorum vis in tempore subuenisset.* Credendum tamen est Francos, postquam Vandalos acie vicerant, superuentu Alanorum fusos, & fugatos esse: aut falsò Paullus Orosius affirmat eos à supradictis Barbaris protritos esse. *Excitatӕ* (inquit ille) *per Stiliconem gentes Alanorum, Sueuorum, Vandalorum, ipsóque simul motu impulsorum Burgundionum, multӕque cum his aliӕ copiis viribúsque intolerabiles, quibus nunc Galliarum, Hispaniarúmque prouinciӕ premuntur; Francos proterunt; Renum transeunt; Gallias inuadunt; directóque impetu ad*

Pyrenaum vsque perueniunt: cuius obice ad tempus repulsa, per circumiacentes prouincias refunduntur. Ex quo intelligitur Orosium existimauisse Sueuos, ac Burgundiones, cum Alanis Vandalísque coniunctos, longo itinere per Franciam in Galliam ire contendisse. cùm Suevi isti, quos Hieronymus in epistola ad Gerontiam, & Gregorius in libro II Historiæ Alamannos appellant; finitimi Burgundionibus ad superiorem partem Reni ferè pertinerent. Verba Orosij non eâ quâ Beda fide transscripsit Gregorius hunc in modum. *Stilico congregatis gentibus Francos proterit, Renum transit, Gallias peruagatur.* tamquam Stilico ipse Germanis instructus apertâ defectione prouincias Imperij Romani igne ferróque vastauerit, nec auctorem se solùm populationis, sed etiam ducem Barbaris præbuerit. Paullus Langobardus nequaquam fuit Gregorio diligentior, qui arbitratus Francos in Gallia iam tum consedisse, tradit Alanos, Sueuos, Vandalos, & Burgundiones *Renum fluuium transiisse, Francósque fugare è Galliâ voluisse.* Similiter Sigibertus non contentus eruptiones duas, annorum CXL spatio diuisas ferè coniunxisse, Vandalísque tribuisse, quarum altera Gallieni principatu Croco duce ab Alamannis; altera à Vandalis ductu Gunderici imperante Honorio in Galliam facta est; credit Francos cum Vandalis in Gallia pugnauisse, aítque *Vandalis Gallias incursantibus congressos Francos Modigisilum Regem* (ita Godigisclum vocat) *cum* XX *millibus Vandalorum interemisse.*

Cùm igitur constet Godigisclum Regem Vandalorum, iter per vim tentantem, in Fràcia pulsum acie & occisum esse: & cùm Vandalos, quos alius Vindilos, alius Vandilos, alius Vandalios appellat, Plinius Secundus inter genera Germanorum quinque; Tacitus inter antiquas Germaniæ gentes numeret: cúmque Dio Cassius in libro LXXII, Iulius Capitolinus, Eutropius, Tabula Theodosiana, ac Hieronymus eos Marcomanis & Quadis Germanorum populis confines, circa Danubium & Albis caput ponant: mirari conuenit cuiquam probari potuisse opinionem Procopij, abusq; Mæotide Vandalos deducentis,

affirmantíſque eos fame & inopiâ compulſos, Alanis ſociis ſibi adſcitis, in Germaniam, quæ tum Francia vocaretur, & ad flumen Renum veniſſe: inde Godigiſcli ductu in Hiſpania ſedem cepiſſe. Quamquam Saluianus in libro VII de Prouidentia Diuina tradit Deum *excitatas pæne ab vltimis terræ finibus gentes trans mare miſiſſe*, quæ Afrorum ſcelera punirent. quod de Alanis quidem verè dicere potuit; de Vandalis non item, ſi eos gentem Germaniæ eſſe, aut certè ex Germania in prouincias Imperij Romani tranſiſſe exiſtimabat. Et Sidonius in carmine, quod inſcribitur Narbo, Vandalos

——Africanæ
Telluris Tanaiticum rebellem

appellat: atque in Panegyrico dicto Maioriano Aug. Conſuli de Geiſerico Rege Vandalorum luxuria eneruato ſic loquitur

Conſumit in illo
Vim gentis vitæ vitium Scythicam feritatem.

Vt Vandalos in Scythia ſedem habuiſſe circa Tanaim flumen Sidonius crediſiſſe videatur, quemadmodum ſenſit Procopius. At Iordanes Dexippum ſecutus ait Vandalos ab Oceano circum Scanziam inſulam fuſo profectos, ad Romanum limitem; hoc eſt ad Danubium vix anni itinere perueniſſe: & in vetere Dacia conſediſſe: ibi ab Oriente habuiſſe Gothos, ab Occidente Marcomanos, à Septemtrione Hermunduros, à meridie Danubium: victóſque acie à Geberico Gothorum Rege, in Pannoniæ agris ab Conſtantino Maximo Aug. eſſe collocatos: qua ex prouincia Honorij principatu vnà cum Alanis in Galliam; ac poſtea in Hiſpaniam; tandémque in Africam tranſierint.

Procopium de ſupradicta Vandalorum expeditione ac migratione ita vt diximus loquentem ſecuti ſunt, neque tamen intellexere Theophanes apud Conſtantinum Porphyrogennetum in libro de adminiſtrando Imperio, Paullus Langobardus, & Nicephorus Calliſtus in libro XIV. quippe produnt Vandalos iunctos Alanis, & Germanis, qui Franci appellabātur, Godigiſclo duce per Gallias in Hiſpaniam perueniſſe, atque ibi conſediſſe. At

Vandali, & Alani ex Germanis Sueuos, & Burgundiones huiusce expeditionis socios; Francos autem infestissimos hostes habuere: & Godigisclus, seu Modogisclus Rex Vandalorum à Franois antequam Renum superaret victus atq; interfectus est. Quare falsò iidem Auctores dicunt mortuo in Hispania Godigisclo filium successisse Guntharum, qui à Procopio Gontharis, Gondaris à Zonara, ab ceteris Gundericus nominatur: quo Rege Vandalos in Galliam primùm, deinde in Hispaniam commigrauisse Gregorius in libro II memoriæ tradit. Minor frater Gunderici fuit Geisericus claudus, Godigiscli Regis ex ancilla filius, cuius incursionibus vastatas Gallias & Hispanias, ac iam pæne amissas Alarico Regi Gothorum sedes quæritanti Honorium Aug. paullo ante prœlium Pollentinum, hoc est Arcadio V & Honorio V CCCCII.
Coss. condonauisse ait Iordanes: cùm eo anno nondum solicitatis à Stilicone Barbaris Gallia omnis, & Hispania sub imperio Honorij ac ditione fuerit: & Geisericus anno IV post Honorij mortem, post prœlium Pollentinum XXV, sicut Hydatius scribit, Gunderico successerit. Eumdem Iordanem deceptum credo, cùm ait Vandalos Gratiani principatu in Galliam incursionem fecisse.

Igitur Alani Respendiale duce; Vandali Gunderici auspiciis; Sueui Hermerico, seu Ermenrico Rege; Burgundiones ductu Gundicarij Renum transiere, finésque Galliæ facilè sunt ingressi: propterea quòd citeriorem ripam fluminis Stilico præsidiis antè nudauerat. Quamobrem apud Claudianum in libro II de laudibus Stiliconis.

Grates Gallus agit: quòd limite tutus inermi,
Et metuens hostile nihil, noua culmina totis
Ædificet ripis: & sæuum gentibus amnem
Tibridis in morem domibus prauelet amœnis.

Idémque auctor est Stiliconem bello Gothico legionum, quæ eius limitis tuendi causâ ex more gentibus Germaniæ oppositæ erant, operâ vsum esse.

Agmina quinetiam flauis obiecta Sicambris,
Quæque domant Cattos, immansuetósque Cheruscos,
Huc omnes vertere minas: tutúmque remotis

Excubiis Renum solo terrore relinquunt.
Vllane posteritas credet? Germania quondam
Illa ferox populis, quæ vix instantibus olim
Principibus totâ poterat cum mole teneri,
Tam sese placidam præbet Stiliconis habenis:
Vt nec, præsidiis nudato limite, tentet
Expositum calcare solum; nec transeat amnem,
Incustoditam metuens attingere ripam.

De tempore huius Barbarorum expeditionis inter Auctores non conuenit. irrupisse Alanos, Sueuos, & Vandalos in Galliam tradit Honorij Aug. æqualis Paullus Orosius ante biennium, quàm Roma caperetur: (Roma
CCCCX. autem Flauio Varane Consule ab Alarico capta est) Prosper quoque in Chronico XIII imperij Honorij anno,
CCCCVIII. hoc est (vt Marcellinus Illyricianus scribit) Basso & Philippo Coss. sed apud Senatorem, & Zosimum, atque in Fastis, qui etiã sub Tironis Prosperi nomine feruntur,
CCCCVI. Arcadio VI & Probo Coss. pridie Kalendas Ianuarias eosdem Barbaros Galliam ingressos inuenio. de quibus Fastis, Chronicóque hoc sentio, alterutrum opus Prosperi non esse: cùm minimè verisimile sit vnũ eumdémque Auctorem non solùm de eisdem rebus bis scripsisse, sed etiam cùm in aliis; tum maximè in notatione temporum à se ipsum discrepare potuisse. Idem Prosper in præfatione librorum de Prouidentia Galliam & Aquitaniam à Vandalis & Gothis per annos X depopulatam dicit, & castella rupibus, opida montibus præaltis, vrbes magnis fluminibus impositas Barbarorum dolis aut virtuti pa-
CCCCXV. tuisse. Honorij autem X & Theodosij VI Consulatus, quo anno Ataulfus Gothorum Rex Gallia excessit, & in Hispania interemtus est; post Arcadij VI & Probi Consulatum, quo Vandali in Gallias eruperunt, nonus est annus:
CCCCXVI. & insequenti anno Theodosio VII & Palladio Coss. Valia Ataulfi successor pacem cum Honorio fecit.

Quantis copiis inundauerint Gallias Alani, Sueui, Vandali, & Burgundiones, plurimarũ gentium Barbararum velut amnium accessu adaucti; quot vrbes ceperint, diripuerint, diruerint; Sophronius Eusebius Hieronymus, illius ętatis locuples Auctor in epistola ad Gerontiã de Mo-

nogamia docet his verbis. *Innumerabiles & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. quidquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Reno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Eruli, Saxones, Burgundiones, Alemani, & ô lugenda Respublica! hostes Pannonij vastarunt. Etenim Assur venit cum illis. Magontiacum nobilis quondam ciuitas capta, atque subuersa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longâ obsidione deleti. Remorum vrbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremíque hominum Morini; Tornacum, Nemetæ, Argentoratus translatæ in Germaniam. Aquitania, Nouémque populorum, Lugdunensis, & Narbonensis prouinciæ, præter paucas vrbes, populata sunt cuncta: quas & ipsas foris gladius, intus vastat fames. Non possum absque lacrimis Tolosæ facere mentionem, quæ vt hucusque non rueret, sancti Episcopi Exsuperij merita præstiterunt. Ipsæ Hispaniæ, iam iámque perituræ, quotidie contremiscunt, recordantes irruptionis Cimbricæ: & quidquid alij semel passi sunt, illæ semper timore patiuntur. Olim à mari Pontico vsque ad Alpes Iulias quæ erant nostra, non nostra sunt: & per annos XXX fracto Danubij limite in mediis Imperij Romani regionibus pugnatur. quod non culpâ Principum, qui religiosissimi sunt; sed scelere Semibarbari accidit proditoris, qui nostris contra nos opibus armauit inimicos.* Præterea Augustam Veromanduorum à Vandalis, Alanis & Hunnis euersam Fortunatus ait: ab hísque oppugnatum Laudunum capi potuisse negat Auctor libri de vita Salabergæ. Sedunum quoque, Andematunnum Lingonum, & Vesontionem vrbes à Vandalis expugnatas esse auctores sunt Vsuardus, ac Sigebertus: Desideriúmque Episcopum Lingonicæ Ecclesiæ cum Vincentio Archidiacono; multísque opidanorum iugulatum; Antidium Vesontionensem Episcopum occisum esse. Ex quibus intelligitur verum esse, quod Saluianus Ecclesiæ Massiliensis Presbyter in libro VI atque VII de Prouidentia Dei scribit, Vandalos, ceterósque Barbaros per prouinciam Germaniam cognomine primam, deinde per Belgicam, & Aquitaniam iter fecisse: hísque regionibus igne &

ferro vaſtatis ſingula Galliarum membra lacerauiſſe: & Mogontiacenſium atque Baſilienſium ciuitates ab eiſdem excifas eſſe, atque deletas: nec falsò Proſperum in Chronico prodere *Alanos, & Vandalos partem Galliæ Saxonum incurſione vaſtatam deuaſtauiſſe.* Alemanos autem Hieronymus ſuprà vocat, quos Hiſtorici Sueuos, gentem Alamannis ac Rætis finitimam, fuiſſe dicunt. *Hoſtes* quoque *Pannonios*, Hunnos appellat, qui victo & interfecto Valente Auguſto Pannoniam annis L te-
CCCC-XXVII nuerunt, ex eáque Hierio & Ardabure Coſſ. (vt Iordanes & Marcellinus ſcribunt) ab Romanis, adiutoribus Gothis, ſunt pulſi. Nec de aliis quàm Hunnis Hieronymum loqui indicio ſunt ſequentia verba: *Aſſur venit cum illis.* quippe veteres Hunnorum fines non longè aberant à flumine Tigri, & monte Niphate: quorum alterum à Septemtrione, alterum ab Occidente habebat Aſſyria, ab Aſſure Noë abnepote cognominata. vnde apud Claudianum in libro primo in Eutropium dicuntur Hunni initio principatus Arcadij, *rupto Niphate*, Armeniam, Cappadociam, Ciliciam, & Syriam incurſione deuaſtauiſſe. & Theophylactus Simocatta in libro IV Hiſtoriæ prodit Coſdroem poſteriorem Regem Perſarum, cùm Regno expulſus & profugus Tigrim tranſiiſſet, velut in confinio gentis poſitum dubitauiſſe; vtrúmne ad Hunnos, qui Turci appellabantur, an ad Romanos ſeſe conferret. Ceterùm quas vrbes Galliæ *tranſlatas in Germaniam* ait Hieronymus, in ditionem nationum Germanarum redactas vult intelligi:& *Semibarbarum proditorem*, Stiliconem Vandalo patre natum nuncupat, qui cùm detecta coniuratio eſſet, X Kalendas Septembres; aut vt Olympiodorus ſcribit, IX. Ka-
CCCC-VIII lendas Decembres Rauennæ Baſſo & Philippo Coſſ. dato ſigno cum conſciis ab exercitu eſt interfectus. Eucherius eius filius Romam in Eccleſiam confugit, ac paullo pòſt occiſus eſt. & iiſdem Coſſ. Arcadius Aug. moriens ſucceſſorem Imperij Orientis filium Theodoſium, annorum ſeptem puerum reliquit. Sed non poſſum non mirari, quòd Hieronymus in ea epiſtola dicat Hiſpanos, viros valde aut memores, aut doctos, ſua ætate

irru-

irruptionem Cimbricam recordatos esse: quorum ne atauorum quidem ataui Cimbros in Hispania videre potuerunt. Cimbri enim, antequam sese Italiæ superfunderent, Pyrenæum saltum transgressi, depopulatis agris, multísque opidis excisis, abs Celtiberis finibus Hispaniæ sunt expulsi. à quo tempore ad irruptionem Vandalicam & Sueuicam anni sunt ferè IↃXX. Noluit, credo, Hieronymo cedere Iordanes. nam vt ille affirmat Hispanos cladis ante multa sæcula à Cimbris maioribus suis illatæ meminisse: ita hic in libro rerum Gothicarum ait Ilium, Gallieni principatu, post CIↃCCCCXLVI circiter annos quàm à Græcis captum fuerat, *vix à bello Agamemnonio aliquantulùm respirasse:* quæ vrbs & post illud excidium restituta diutissimè stetit; & iterum à Caio Flauio Fimbria incensa resurrexit ac floruit, donec dominante Gallieno ab Gothis direpta atque deleta est.

Dum ea, quæ antè diximus, in Gallia geruntur; & à Gothis vexatur Italia: ne qua Occidentis prouincia Barbaris, aut Tyrannis vacaret, insulæ quoque res nouauerunt. quippe exercitus Britannicus Marco primùm, inde Gratiano municipe insulæ altero post alterum Imperatoribus factis, & intra VI menses interfectis; Constantinum gregarium militem nudi nominis ominísque causâ Augustum salutauit. mirandum vt non sit in epistola Hieronymi Presbyteri ad Ctesiphontem Britanniam *prouinciam fertilem Tyrannorum* vocari, quæ (ne de Carausio, & Allecto loquar) & Clodium Albinum, & Clementem Maximum, & Constantinum Galliis immiserit. De tempore defectionis exercitus Britannici, Constantinísque non conuenit. Olympiodorus apud Photium ante septimum Honorij Consulatum, hoc est Arcadio VI & Probo Coss. Prosper in Fastis, & Zosimus in CCCCVI.
lib. V, Honorio VII & Theodosio II Coss. sub finem anni CCCCVII.
Constantinum in Britannia Tyrannum exortum aiunt. Paullus Orosius Alanis, Sueuis, Vandalis, & Burgundionibus *per Gallias bacchantibus;* id est Consulatu Bassi & CCCC.
Philippi eum Imperatorem appellatum dicit. Similiter VIII.
Hermias Sozomenus in Historiæ Ecclesiasticæ libro IX

prodit eodem tempore, quo Arcadius deceſſit, (Baſſo autem & Philippo Coſſ. deceſſit) Conſtantinum Galliam occupauiſſe, & Arelate Imperij ſedem ſtatuiſſe: eóque Honorium ab Stilicone deterritum eſſe, ne Conſtantinopolim ad res Orientis ordinandas proficiſceretur. Quibus ego ambobus eo libentiùs aſſentio, quòd cùm moris eſſet Principibus Romanis auſpicia imperij à Conſulatu capere; Conſtantinus anno inſequenti Kalendis Ianuariis Conſulatum iniit: ſicuti docet inſcriptio Græca à Iacobo Sirmundo viro eminentis ingenij edita, in qua Honorij VIII Coſ. collega non Theodoſius, ſed Conſtantinus nominatur. Hic vt primùm creatus eſt Imperator, Iuſtino, & Neobigaſte Franco, quibus maximè confidebat, Ducibus lectis; exercitum Bononiam tranſmiſit: & Galliam, ac Aquitaniam in ditionem ſuam redegit, *vbi ſæpe à Barbaris incertis fœderibus illuſus eſt*: Conſtantémque filium natu maiorem, ex Monacho Cæſarem factum, cum Barbaris quibuſdam fœderatis cognomine Honoriacis, aduerſus Didymum & Verinianum fratres propinquos Honorij in Hiſpaniam miſit: qui ambobus in Luſitania prœlio victis, captis, & interemtis omnem prouinciam obtinuit; & *remotâ ruſticanorum vtili ac fidâ cuſtodiâ*, Honoriacis Pyrenæos ſaltus clauſtra Hiſpaniæ temerè commiſit; ac cùm re bene geſta ad patrem reuertiſſet, Auguſtus eſt appellatus. Tum Conſtantinus Honorio bellum inferre conſtituit, & per Alpes Cottias traductis ſuis copiis ad opidum Ligurum Libarnam venit: iámque Padum tranſire paranti de cæde Ellebici Magiſtri militum Honorij nuntiatum eſt: quem hominem vt puto Francum alij Allobicum, alij Alabicum vocant: & quòd ſuſpectus erat Conſtantini partibus fauere, ab exercitu interfectum eſſe tradunt. Igitur Conſtantinus retro quà venerat Galliam repetiit, & Arelate ſe contulit: eodémque tum & Conſtans (vti ait Sozomenus) ex Hiſpania profugus rediit: quoniam Honoriaci laxatis cuſtodiis, patefactíſque Pyrenæi clauſtris Alanos, Sueuos, & Vandalos per Galliam effuſos in Hiſpaniam immiſerant, eíſque ſe iunxerant. Renatus Profuturus Frigeridus apud Gregorium ſcribit Conſtan-

tem à Constantino patre accitum ex Hispania, vt ambo de summis rebus consilium caperent; vxorem, & instrumentum aulæ Cæsaraugustæ deposuisse: ac Hispaniensi exercitu Gerontij nequam improbíque hominis fidei commisso, ad patrem festinauisse: & interiectis diebus plurimis, cùm nihil ab Honorio metuendum videretur, monente patre in Hispaniam reuerti statuisse: præmissísque agminibus, superuenisse qui nuntiarent Gerontium defecisse, & Maximum, vnum è clientibus suis, Imperatorem appellandum curauisse, relictóque eo Tarracone, auxiliis Barbarorum, quibuscum pacem pepigerit, instructum contra Constantinum Constantémque præparari. quo nuntio non mediocriter omnes esse perturbatos, *& Edobeco ad Germanas gentes præmisso; Constantem, & Decimium Rusticum, ex Magistro Officiorum Præfectum Prætorij, petiisse Gallias, cum Francis, & Alamannis, omníque militum manu ad Constantinum iam iámque redituros.* Ita Hermias Sozomenus quoque Historiæ libro IX, & Nicephorus Callistus libro XIV tradunt defectione Gerontij cognitâ Edobicum Ducem, quem Zosimus Edobincum natione Francum appellat, ab Constantino trans Renum in Germaniam missum ad auxilia Francorum, & Alamannorum accersenda: Imperatori Constanti Viennæ, finitimarúmque vrbium curam mandatam esse. Sed ferendum non est Zosimi mendacium, qui ne quam Stiliconis sui memoriæ inurat notam, libro VI prodit à Gerontio infenso Constantino, quòd alium quàm se Ducem cum Constante filio in Hispaniam misisset, Barbaros Transrenanos accersitos in Galliam transiisse.

Iam Gerontius Constantem apud Viennam interfecerat, & Arelate, quò se Constantinus contulerat, magno impetu oppugnabat: quum Honorius Augustus expertus, quantas clades Respublica Magistris militum Barbaris, nimirum Stiliconi, Ellebicóque subiecta accepisset: Constantium Naisitanum, virum bello & fide egregium exercitui præposuit, atque in Galliam ad Tyrannos opprimendos misit: ad quem confestim plurimi Gerontianorum transiere. Itaque Gerontius cum paucis

in Hispaniam fugit, contemtúsque ab exercitu Hispaniensi, & noctu circumsessus domi suæ, aduersarios amplius trecentos telis confodit: deficientibúsque iaculis, & seruis clam fugâ elapsis, postridie manè vbi ignem ædibus subiectum vidit, desperatâ salute primùm Alano cuidam fidelissimo seruo, qui solus ab eo non discesserat, deinde & Nûnechiæ carissimæ coniugi, viriliter mortem precanti caput amputauit: postremò pugione seipse transfixit. Maximus, quem Olympiodorus famulum Gerontij, Sozomenus familiarem eius vocat; exutus purpura, desertúsque à militibus Gallicanis inter Barbaros, qui per Hispanias effusi erant, exsul inopem vitam tolerauit. Huic ablatis insignibus imperatoriis veniam & incolumitatem concessam ait Prosper in Fastis: quòd *modestia humilitásque hominis affectati Imperij inuidiam*
CCCC. XXI. *non merebatur.* Eumdem Maximum Agricola & Eustathio Coss. iterum Hispaniarum imperium per vim obtinuisse; & proximo anno vnà cum Iouino Iouianóve claro Duce, quo adiutore Imperator refectus erat, bello captum, atque ad Honorium tricesimum imperij sui annum ludicris certaminibus celebrantem Rauennam perductum, ostentatúmque populo, ac demum interfectum esse Prosper, & Marcellinus in Chronico, & Paullus Diaconus in libro XIV memoriæ tradunt.

Non erat Constantini hoste mutatò commutata fortuna. quippe is post Gerontij fugam à Constantio Magistro militiæ nihilo segniùs Arelate obsidebatur: & comperto Edobicum, à quo antea fuso fugatóque circa Valentiam Saro fuerat obsidione liberatus, breui cum magnis auxiliis affore; oppugnationem strenuè sustinebat. quâ re cognita tantus Honorij copiarum duces timor inuasit, vt in Italiam reuertendum esse censerent. Interim Constantius ab exploratoribus certior factus Edobicum adesse, necessariò damnato priore consilio flumen Rhodanum transit, atque appropinquanti obuiam proficiscitur; & Vlfilam Gothum Præfectum equitum haud procul considere occultum iubet. Igitur cùm Constantiniani insidiarum locum prætergressi, ac iam cum peditibus Honorianis, quibus Constantius præerat,

prœlium commissuri essent: dato signo subitò sese equites à tergo necopinantibus ostenderunt, & sublato clamore incautos adorti in fugam coniecerunt. itaque multi cæsi sunt: compluribus suppliciter positis armis veniam precantibus vita concessa. Edobicus equo admisso in villam Ecdicij cuiusdam perfugit, quem magnis suis beneficiis affectum, fidum sibi amicum esse arbitrabatur. At ille cum fortuna mutatus noctu dormienti caput abscidit, tulitque ad Constantium: qui non tam lætus aduersarij cæde, quàm Ecdicij perfidiam auersatus homini quidem gratias agere Remp. dixit, sed remanere apud se volenti denuntiauit, vt extemplò castris excederet. Sic Ecdicius occisi hospitis & amici præmium pro honore ac donis, quæ sperauerat, ignominiam tulit. Victores Honoriani ad obsidendos opidanos cùm reuertissent, Constantinus Edobici morte & clade suorum cognitâ, purpuram ac cetera insignia imperatoria abiicit, ingressúsque Ecclesiam Presbyter ordinatur. tum milites eius, & Arelatenses acceptâ fide portas aperuere, atque omnes diligenter sunt conseruati. Constantinus cum Iuliano filio natu minore, quem Nobilissimum appellandum curauerat, antequam Rauennam ad Honorium perduceretur, in itinere interficitur. Hic exitus Constantini fuit, vt Hermias Sozomenus, & Nicephorus Callistus produnt. Sozomeno non videtur assentiri Frigeridus vetustus & grauis auctor. quippe is apud Gregoriũ scribit ineunte quarto obsessionis Constantini mense repentè ex vlteriore Gallia venisse, qui nuntiarent Iouinum Imperatorem factum esse, & *cum Burgundionibus, Alamannis, Francis, Alanis, omníque exercitu obsidentibus imminere.* ita Arelatensibus celeriter ad deditionem conditionum æquitate compulsis, Constantinum viuum traditum, confestímque ductum in Italiam, & à Principe missis obuiam militibus supra Mincium flumen capite truncatum esse. Ex quo colligi potest, quàm falsò Iordanes, & Nicephorus Callistus parum sibi ipse constans in fine libri XIV tradat Constantinum tyrannum à Vesigothis in Gallia interfectum esse: cùm Tiro Prosper Aquitanus, & Hydatius in Fastis, ac Mar-

cccccxi. cellinus in Chronico eum Theodosio Aug. IV Cos. periisse, capútque eius fixum in conto XIV. Kal. Octob. ad Honorium latum esse affirment: Gothi autem, qui & Vesigothi, ac Hypogotthi appellantur, & quos Claudianus ac Sidonius trinitam & pellitam gentem vocant; insequenti anno Honorio IX & Theodosio V Coss. (sicuti ait Prosper) Ataulfo Rege Galliam ingressi sint.

Ante annum, quàm Constantinus interimeretur, Va-
ccccx. rane Cos. Imperator Honorius Gaisonem, natione Francum, Comitem sacrarum largitionum; deinde & Magistrum Officiorum habuit: quem postea Honorio IX &
ccccxii. Theodosio V Coss. Magistrum militum fuisse in libro VII, ac libro IX Codicis Theodosiani inuenio.

ccccx. Eodem anno Vesigothi, cùm ab filiis Theodosij, cui se Athanarico Rege mortuo sponte commiserant, defecissent; relictâ Pannoniâ, vbi per annos amplius XXX consederant, ductu Alarici Romam cepere ac diripuere.

ccccxii. Honorio IX & Theodosio V Coss. Ataulfus, quem Gothi post Alarici affinis eius mortem Regem consalutauerant, onustus Italiæ ac vrbis Romæ spoliis in Galliam transgreditur: atque inter Alpes & Pyrenæum omnibus depopulatis, & Iouino ac Sebastiano tyrannis oppressis; repulsus à Massilia per Bonifatium, Burdigalam post datam opidanis fidem diripit ac incendit: Vasatas obsidet: Narbonem Martium, caput prouinciæ cogno-
ccccxiv. minis capit: ibíque Kal. Ian. Constantio, & Constante Coss. Placidiam Theodosij Aug. & Gallæ filiam, Honorij sororem, quæ Romæ excepta fuerat, multis blanditiis ac verbis tandem expugnatâ eius pertinaciâ vxorem ducit: & Attali ac Phœbadij panegyricis & epithalamiis nuptiæ sunt celebratæ. sed ex Placidia natus infans, nomine Theodosius paullo pòst obiit. Tum Ataulfus pacem cum Honorio facit, interdictísque sibi nauibus & commerciis gentium exterarum, Galliâ excedere coactus Narbonem relinquit, & Hispanias petit, ac demum Barcinone, apud quam vrbem opes & imbellem manum deposuerat, cum sex filiis ex priore vxore sublatis à suis interficitur. Sed non possum non mirari, quòd Nicephorus Callistus secum ipse pugnans, ac in libro

XIII dictorum immemor, in libro XIV prodat ab Honorio Aug. Romanis ob seditiones ac defectionem irato Alaricum, quem Magistrum militiæ Gallicanæ fecerat, fidúmque sibi esse arbitrabatur, ad vindicandam suam iniuriam Romæ immissum. illum Vrbe dolo capta atque direpta Gallam Placidiam Honorij sororem ibidem rapuisse, & apud Constantium Comitem amicum suum deposuisse: qui cum puella ad Imperatorem venerit, móxque accepto ab eo exercitu Alaricum acie vicerit, nec multo pòst fidei virtutísque præmium Placidiam in matrimonium acceperit.

Iordanes Rauennatium Episcopus in libro de Origine Gothorum scribit aduentu in Galliam Ataulfi perterritas gentes, quæ dudum Gallias infestabant, cùm Francos, tum Burgundiones suis se finibus continere cœpisse: Vandalos autem, & Alanos ex Gallia, quam non multo antè occupauerant, fugientes in Hispaniam commigrauisse: ita Gallias Ataulfo patuisse. Quam falsam laudem Iordanes Gothus Ataulfo populari suo nòn affinxisset, si apud Prosperum & Hydatium legisset Alanos, Sueuos, & Vandalos triennio antequam Ataulfus fines Galliæ ingrederetur, Honorio VIII & Theodosio III Coss. in Hispaniam transscendisse. CCCCIX. Burgundiones quidem metu Gothorum in suas sedes non reuertisse indicant Tiro Prosper, & Cassiodorus Senator in Fastis, qui eosdem insequenti anno Lucio Consule, post sexennium quàm Renum transierant, *partem Galliæ propinquam Reno,* hoc est partem superioris seu primæ Germaniæ ripæ fluminis appositam obtinuisse tradunt. quod est principium Regni Burgundionum à Gundicario in Gallia conditi. CCCCXIII. Similiter Franci aduentu Ataulfi ab incursionibus faciendis adeò non sunt deterriti, vt eo ipso anno, quo Iouinum & Iouinianarum partium adiutores Honoriani iugulauerant, post Consulatũ Honorij IX & Theodosij V, siue Lucio Consule, Augustam Treuirorum direptam incenderint. Lucij huius collega in Consulatu Heraclianus Comes Africæ fuit, qui cùm impulsus Imperij cupiditate Consul in Italiam exercitum traiecisset, apud Ocriculum ad XLVII lapidem ab Vrbe fusus à Ma-

rino Comite fugit in Africam: hostísque iudicatus vnà cum consciis coniurationis, & iussu Honorij Carthagine in æde Memoriæ capite truncatus est, noménque eius ex Fastis erasum.

Anno proximo post Constantini Tyranni cædem (libentiùs enim Prospero, ac Hydatio, quàm Frigerido
CCCCXII assentior) Honorio IX & Theodosio V Coss. Iouinus nobilissimus Gallorum, à Sozomeno & Nicephoro Iouianus dictus, Imperatoris nomen assumsit, Sebastianúmque fratrem in consortionem Imperij recepit: qui paullo pòst vnà cùm Sallustio quodam interfectus cùm esset, Iouinus fugiens Valentiam se contulit: & ab Ataulfo Rege Gothorum, quem Dardanus vir strenuus ab eius amicitia ac societate auerterat, expugnato opido ca-
CCCC-XIII. ptus, Honorianísque traditus, & Lucio Consule occisus est. Hydatius ambos fratres oppressos ab Honorianis, & Narbone interemtos dicit. Iouinum hunc Olympiodorus Thebæus apud Photium scribit Imperij insignia corripuisse adiutoribus Goare Alanorum Regulo, qui abruptus à Respendiale in Gallia morabatur, & Guntiario Phylarcho Burgundionum: (ita Gundicarium Regem appellat) mox Sebastianum fratrem potestatis consortio sibi æquatum Imperatorem appellauisse, inuito Ataulfo: qui iratus pacem cum Honorio fecerit, & ad eum Sebastiani ac Iouini, alterius à se interfecti; alterius Valentiæ capti, & Dardani Præfecti Galliarum manu occisi; capita miserit, quæ præfixa hastilibus, & Rauennæ pro portis ostentata sunt.

Eodem tempore (vti ait Frigeridus) *Decimius Rusticus Præfectus Tyrannorũ, Agræcius ex Primicerio Notariorũ Iouini, multique nobiles apud Aruernos capti à Ducibus Honorianis, & crudeliter interemti sunt: ciuitásque Treuirorum à Francis,* qui Constantinum, & Iouinũ auxiliis iuuerant, *direpta incensáque est secundâ irruptione. nec multo pòst Castinus Domesticorum Comes, expeditione in Francos susceptâ, in Gallias mittitur.* cuius expeditionis Frãcicę tali duce non multo meliorem euentum fuisse quàm postea Vandalicæ existimo. Falsò enim Sigonius & Pontanus victos ab Castino Francos & ex Gallia expulsos dicunt,

Fre-

Fredegarium quemdam, ineptum hominem ac verè Scholasticum secuti, qui vti Frigeridum; sic & Orosium à Gregorio citatum de Castino loqui arbitratus, vtriusq; Auctoris verba ita in Epitomen suam transtulit, vt Castinum *Francos protriuisse, Renum transisse, Gallias peruagatum esse, ac vsque ad Pyrenaos montes peruenisse* scriberet: & Frigeridum non intelligens, Iouiniano (sic Iouinum vocat) Imperatore facto, Constantinum in Italiam fugisse, ac missis ab eo percussoribus capite truncatum; multos nobiles iussu eiusdem apud Aruernos opidũ captos; & ab Ducibus Honorianis interfectos esse tradidit.

Ceterùm cùm Profuturus Frigeridus ciuitatem Treuirorum tum à Francis secunda irruptione direptam & incensam esse prodat: apparet aliquot antè annis principatu Honorij Francos primùm in eamdem vrbem irrupisse. Vnde Sigibertus in Chronico tradit Francos, sæpe in Galliam transeuntes, anno Honorij Principis XVI diripuisse prima irruptione; secundâ etiam incendisse vrbem Treuirorum. quam vrbem Galliæ summam & opulentissimam post septem circiter annos à Barbaris, id est à Francis tertiò expugnatam, exustam, & euersam; opidanos alios captos; alios interfectos; nonnullos ambustos; reliquos spoliatos ac nudatos esse in libro VI de Gubernatione Dei indicat Saluianus: indignatúrque paucos nobiles, qui tribus cõtinuis patriæ excidiis superérant, quasi pro solatio ludos Circenses ab Imperatoribus, hoc est ab Honorio & Constantio petiisse, nec impetrauisse. idem adiicit Augustam Treuirorũ postea quarto excidio concidisse, & aliam non longè positam, ac paris ferè opulentiæ magnitudinísque vrbem; id est (vt arbitror) Agrippinam, eodem tempore captam ac direptam esse: ideóque tùm, cùm hæc scriberet, vtrobique ludos ex more celebrari desiisse: quòd illa posterior vrbs hostibus plena esset; Augusta Treuirorum quater euersa, & deleta fuisset. Scripsit autem Saluianus post Litorianam cladem, captámque à Vandalis Carthaginem: vt appareat circa XVII imperij Valentiniani annum, Chlodione regnante, ab Francis coloniam Augustam Treuirorum quartùm expugnatam, & Colo- CCCCXLI.

niam Agrippinam Vbiorum occupatam esse. Ceterùm notandum est, quod Saluianus eodem in libro tradit, Romæ tum ac Rauennæ, quæ sedes Imperatoribus Occidentis erant, ac *in paucis* præterea *vrbibus Romanis* ludos Circenses & scenicos fieri consueuisse: in reliquis vrbibus vel ob ærarij fiscíque inopiam, vel quòd sub ditione Barbarorum esse cœperant, edi desiisse.

ccccxv. Honorij X, & Theodosij sextus Consulatus morte Thermantiæ Aug. Stiliconis filiæ, coniugísque Honorij; cæde Ataulfi Regis Gothorum, cui Sigericus frater Sari, ac post VII diem Valia successit; & Prisci Attali captiuitate insignis fuit: de quo Attalo pauca dicenda sunt. Hic, natione Ion, Symmachi libri VII epistolâ LIV ac CXIII celebratus, cùm à Romanis iussu Alarici ex Præfecto Vr-

ccccix. bis factus esset Imperator Honorio VIII & Theodosio III Coss. Alaricum Præsenti militiæ, Ataulfum Domesticis equitibus præposuit: Tertullũ Consulem fecit: iudicésque, hoc est rectores militum & prouinciarum, in primis Constantem quemdam in Africam misit: & comite Alarico ad opprimendũ Honorium Rauennam ire contendit: eiúsque legationi cõsortionem ipsi Imperij deferenti respondit, Honorio nisi priuato, relegatóque in insulam, & manibus ac pedibus truncato vitam se non concessurum. sed Alaricus à Saro Magistro militum Honorij acie victus, & à Rauenna repulsus est. Interim Heraclianus, interfecto Constante, custodias in litoribus Africæ disponit, ac frumentum Romam inuehi vetat. qua re cognitâ Attalus in Vrbem redit, & consilium Alarici suadentis, vt quingentos Gothos aduersus Heraclianum mitteret, damnat; ratus Africam Barbaris tutò committi non posse. Igitur ab Alarico irato, atque Honorij promissis solicitato ante Vrbem insignia Imperij deponere iubetur: Romani, quoscumque ad dignitates promoue-

ccccx. rat, discinguntur: Tertullus Varanis collega Consulatu, Marcianus Præfecturâ Vrbanâ se abdicat. quidam extra vrbem Ariminum; sunt, qui ad LX à Rauenna stadium Attalum cedere Imperio coactum dicunt. Attalus ipse priuatus apud Alaricum nihilominùs cum filio remanet, & Ataulfum eius successorem sequitur in Gallias, quo ad-

iutore iterum Imperatoris nomen assumit Constantio & Constante Coss. & proximo anno ab Ataulfo pace cum Honorio initâ in Hispaniam transeunte desertus ac proditus; dum Africam petit, in mari capitur: & Constantio Patricio viuus à Gothis traditur. quem Honorius in XI Consulatu Romæ triumphans ante currum egit, & præcisâ manu, aut (vti ait Philostorgius) duobus tantùm digitis amputatis, infelicem Liparâ insulâ clausit. Quidam dicunt Fl. Priscum Attalum postridie eius diei, quo purpuratus cum stipatoribus processerat; iussu Alarici Gothis serui habitu ministrâsse. Quamobrem Orosius scribit Attalum ab Alarico intra breuissimum temporis spatium *Imperatorem factum, infectum, refectum, ac defectum;* hoc est bis purpurâ indutum, bis exutum esse. CCCC. XIV. CCCC. XV. CCCC. XVII.

Prosper & Hydatius scribunt, XXIV imperij Honorij anno, Monaxio & Plinta Coss. Constantium Patricium Valiæ Gothorũ Regi, quocum pacem fecerat, reuocato ex Hispania, ob egregias victorias de Alanis & Vandalis, redditámque Placidiam; condonauisse terras à Garumna flumine ad Oceanũ pertinentes: hoc est Nouempopulos, & prouinciam Aquitaniam cognomine secundam, ac clarissimam Galliæ Narbonensis vrbem Tolosam Tectosagum: quæ apud Rutilium V.C. in libro I Itinerarij ante annum Vrbis CIↃCLXIX, seu ante Honorium XI & Constantium II Consules ab Ataulfo, vt opinor, capta esse dicitur, & per annos LXXXVIII Regum Gothorum regia fuit. Dixi Consulatum Monaxij & Plintæ XXIV Honorij Aug. annum ab Hydatio putari: quòd Prosper, & Hydatius in Chronicis, aliíque multi Consulatum Olybrij & Probini, cuius initio Theodosius maior obiit, non Honorij, sed Theodosij annis adnumerant. CCCC. XIX. CCCC. XVII. CCCXCV.

Valiæ, qui triennio tantùm regnauit, & Monaxio ac Plinta Coss. decessit, plus XII annos tribuit Iordanes. huic successit Theodoricus maior, qui ab aliis Theodores, ac Theudoris; ab aliis Theudoridus, & Theodoredus dicitur. CCCC. XIX.

Theodosio IX & Constantio III Coss. Honorius Fl. Constantio Patricio, cui ob res gestas ante triennium Placidiam sororem suã recusantem iunxerat, æquam socie- CCCC. XX.

tatem Imperij, ita vt Diui fratres; Seueri filij; & Maximus atque Balbinus fecerant, pro indiuiso obtinendi inuitus magis quàm sponte detulit. cuius imagines ad se missas Theodosius minor fastidiit ac reiecit, nouitatem hominis causatus. sicut postea eamdem ob causam imaginem Marciani à Pulcheria Aug. in consortium dignitatis recepti vix tandem, vicesimo mense quàm Im-
CCCC. LII. perator salutatus erat, Herculano & Sporacio Coss. Valentinianus ex more in vrbe Roma proponi permisit. Constantius irritatus contumeliâ, cùm agitaret Theo-
CCCC. XXI. dosio bellum inferre, Agricolâ & Eustathio Coss. imperij mense VII lateris dolore oppressus decessit: ex Galla Placidia liberis genitis Honoriâ, ac Placido Valentiniano, quem Honorius Nobilissimum appellauit. Eum Ra-
CCCC. XIX. uennæ ab Honorio Monaxio & Plinta Coss. Imperatorem factum, ibidem proximo anno in tertio Consulatu obiisse falsò affirmat Hydatius: cùm in Codicis Theodosiani libro II & III Imperatorum Honorij Theodosij & Constantij leges duas ad Palladium Præfectum Prætorij missas, alteram VI Idus Mart. alteram V Kalendas Aug. datas Rauennæ Eustathio & Agricola Coss. inueniam.

Admonet me Rauennæ mentio, quamobrem Honorius eam Imperij sedem, regiámque delegerit, causam requirere. Augustus Cæsar, & omnes ab Augusto Imperatores Romæ in Palatio habitauerunt: cuius ex montis nomine cùm regio X Vrbis, tùm domus Cæsarum appellationem traxit. Roma autem non solùm (vti ait in libro V Liuius) regionum Italiæ, sed etiam totius Imperij Romani media habebatur. Vnde Antoninum Pium præter ceteros in Vrbe sedisse auctor est Iulius Capitolinus, vt medius ex omnibus prouinciis nuntios audire celeriter posset. Postea Diocletianus Iouius, cùm Maximianum Herculium in consortionem potestatis recepisset, & Fl. Valerium Constantium, ac Galerium Maximianum Cæsares nuncupauisset, Imperium Romanum ita diuisit, vt Herculio Augusto Italiam, & Africam; Gallias, Hispanias & Britanniam Constantio; Galerio Illyricum ac Thraciam committeret, ceteras prouincias ipse retineret. tum Iouius quidem Nicomediam; Con-

stantius Augustam Treuirorum; Galerius Sirmium, vrbem Pannoniæ Quadis & Sarmatis interfluente Danubio oppositam; sedes habere cœpere. at Maximianus Herculius Mediolanum Iusubrium se contulit; quod opidum ab vrbe Roma millia passuum IↃXXX abest, atque hunc domicilio locum elegit, vnde Italiam ab incursionibus finitimorum Alamannorum securam præstaret; & quotiescumque res cogeret, per Alpes Graias aut Peninas in prouinciam Germaniam; per Venetiam, saltúmque Iulium in Illyricum maturè contenderet. Mediolanum verò non vni Herculio, à quo muris, thermis, aliísque operibus exornatum est; sed insequentibus Principibus, dum in Italia hiemarent, annos ampliùs centum sedem fuisse argumento sunt historiæ eorum temporum, legésque plurimæ Mediolani datæ: ex quibus etiam intelligitur Honorium initio principatus Mediolani fuisse: deinde alternauisse, ac modò Mediolani, modò Rauennæ mansisse: demum circa Lucij Consulatum posthabito Mediolano, quam ob id *quondam Regiam vrbem* Iordanes appellat, domicilium Imperij Rauennam transtulisse. quare Claudianus in libro de VI Consulatu Honorij Aug. Romam sese ab Imperatoribus pridem desertam querentem fingit his versibus: CCCCXIII.

Quem, precor, ad finem laribus seiuncta potestas
Exsulat, Imperiúmque suis à sedibus errat?
Cur mea, quæ cunctis tribuere, Palatia, nomen,
Neglectò squalent senio? nec creditur orbis
Illic posse regi? medium non deserit vmquam
Cæli Phœbus iter, radiis tamen omnia lustrat.
Segniùs an veteres Istrum, Renúmque tenebant,
Qui nostram coluere domum?

Causa Mediolanum relinquendi eadem Honorio fuit, quæ Herculio causa fuerat deligendi; nimirum propinquitas Barbarorum. quippe id opidum expositum ad pericula repentinarum incursionum obsidionísque; contrà Rauenna, vrbs nobilissima prouinciæ Flaminiæ, quanto remotior à Germania & rebelli Gallia, tanto tutior homini desidi ac timido videbatur. quæ (vt ait Iordanes) in sinu Imperij Romani, Hadriæque sita ab Orien-

te mari alluitur, ab Occidente paludibus cingitur, à Septemtrione & à Meridie Padum habet eò duabus fossis perductum: vnde Honorius (quod Alarico Rauennæ appropinquante facere voluisse dicitur) Epirum petere, si res cogeret, & ad Theodosium fratris filium perfugere potuit. quem hominem, vt ex ortu tot Tyrannorum, & ex tot gentium incursionibus intelligitur, & à suis & à Barbaris ob desidiam contemtum, omni Gallia ac Hispania propemodùm amissa, in Italia latuisse de salute magis quàm de Imperio solicitum, nec vmquam Alpes transire ausum esse nemo non mirabitur: qui animaduerterit Fl. Valerium Constantium, & insequentes Imperatores, aut Imperatoribus absentibus Cæsares raro Galliâ excessisse; in repellendis continuis Francorum & Alamannorum bellis occupatos: atque Augustam Treuirorum, vtriusque gentis finibus ferè mediam interpositam, annos ampliùs centum eorum regiam fuisse. quam ob id Marcellinus *clarum Principum domicilium; solium,* hoc est Imperatorum sedem, & *Augustam vrbem* Ausonius appellat. vnde Gregorius Maximum, quòd ibi plerumque morabatur, *Imperatorem Treuiricum* vocat. Honorij exemplum Valentinianus, deinde Odoacer, Regésque Gothorum secuti, Rauennam, *vrbem Regiam* ob id à Senatore & Iordane dictam, Regni sedem habuere. Sed tempus est iam à Romanis ad Francos nostros, & ex Italia in Germaniam transire.

Faramundum, quem & Varamundum & Faramodum appellant; sexto & vicesimo imperij Honorij anno defectione Solis insigni, in Francia regnauisse, & IV principatus Valentiniani, vndecimum regni sui annum non excessisse ait Prosper in Chronico. Vbi adnotare conuenit Prosperum Honorio post patris mortem XXXIII annos assignare, qui XXIX tantùm annos imperauit: ita ut detracto superuacaneo illo triennio aut Faramundum non plùs octo annos regnauisse; aut si XI annos impleuit, Imperatoris Honorij anno XXIII, Honorio XI & Constantio II Coss. Regni potiri cœpisse putandum sit. Præterea animaduerto inter Marcomeris Sunnonísque mortem, & initium Faramundi annos minimùm

Margin notes: CCCC-XX (beside "dum appellant; sexto…"); CCCC-XVII (beside "pleuit, Imperatoris…").

XVII interfluxiſſe: intra quod tempus vt qui in Francia Regnum obtinuerint incertum eſt: ita Godigiſclum Regem Vandalorum à Francis pulſum acie & interfectum; Conſtantinum, & Iouinum tyrannos copiis adiutos; atque coloniam Auguſtam Treuirorum bis captam, direptam, ac incenſam eſſe conſtat. Vetus quidam Hiſtoricus, Theoderici Regis & Caroli Ducis Francorum æqualis, ſcribit mortuo Sunnone, Marcomerem Principem gentis, quem tùm adhuc vixiſſe exiſtimat, Francis perſuaſiſſe, vt Faramundum filium ſuum Crinitum Regem crearent. Aimoinus, Rorico, Auctor libri de vita Caroli Magni, Ado, & Iuo de Faramundo conſentiunt, Marcomeris viri illuſtris filium, & primum (vt falsò arbitrantur) Regem Francorum fuiſſe: qui nihilo veriùs in vetuſto Chronico Sunnonis filius, primus Franciæ Rex Capillatus vocatur: ac in Stemmate Regum noſtrorum duos filios, alterum nomine Clenum omnibus ignotum, alterum Chludium, hoc eſt Chlodionem ſuſtuliſſe dicitur. Sigibertus oblitus ſui; qui Priamum in Francia regnauiſſe affirmauerat, poſt Sunnonis & Marcomeris Ducum interitum, Francos ad Faramundum Marcomeris filium Regnum detuliſſe anno CCCCXIX tradit: regnâſſe autem Faramundum annis XI: quo tempore quatuor primores gentis, vſu rerum ac virtute præſtantes, ex omnibus omnium conſenſu delectos; ter actis conuentibus, quos mallos appellabant, in vicis Germaniæ Salichamio, Bodichamio, & Widichamio legem Salicam à Salichamio vocatam cōdidiſſe: Quatuoruiros fuiſſe Wiſigaſtem, Salagaſtem, Boſogaſtem, & Widogaſtem: quos Iuo, prætermiſſo vno, Wiſogaſtem, Arbogaſtem, à quibuſdam Boſogaſtem dictum, & Salegaſtem vocat; Ado Sigiberto & Iuone vetuſtior, & Auctor Hiſtoriæ Francicæ antè citatus Wiſouaſtem, Wiſogaſtem, Arogaſtem, (hoc eſt Widogaſtem & Arbogaſtem) & Salegaſtem deprauatis nominibus nuncupant. Mihi quidem ſimilitudo nominū cùm latorum legis, tum locorum, in quibus condita dicitur, ſuſpecta ſemper fuit: neque exiſtimaui, cùm Burgundiones, Veſigothi, Oſtrogothi, & Langobardi non priùs

leges ſcriptas habuerint, quàm hi in Gallia, illi in Italia conſediſſent, legem Salicam in Germania Francis fuiſſe deſcriptam: quæ vtique Faramundo regnante Germanicis conſcribi literis, & à ſubſequentibus Regibus poſt occupatam Galliam linguâ Latinâ verti debuit. at huius conuerſionis nemo mentionem facit. Quare vt Gundobadus Burgundionibus, Veſigothis Theodoricus poſterior, aut vt aliqui arbitrantur, Euricus, Oſtrogothis Theodericus, Rotharius Langobardis, Regnis iam diuturnitate confirmatis, iura Latinè deſcripſere: ſic Chlodoueus Regnum primò, deinde & legem Salicam, quam in prooemio legis correxiſſe tantùm dicitur, videtur condidiſſe: cuius filius Theodoricus legũ Francorum cognomine Ripariorum, Alamannorum, ac Baioariorũ auctor fuit. Ceterùm Gregorius, ex quo nos primorum Franciæ Regum res geſtas diſcere oportebat, non modò Faramundi acta; ſed etiam nomen ipſum prætermiſit: Chlodionem quoque, Merouеum, ac Childericum ferè indictos reliquit. nec illi deerant libri, ex quibus multa excerperet: ſed vir bonus Principes Chriſtianæ religionis expertes ſilendos arbitrabatur. Hoc ſolùm affirmare
CCCC-XVII. poſſumus, ſi Honorio XI & Conſtantio II Coſſ. regnare Faramundus occœpit, principatu eius ac forſitan etiam ductu Francos in Galliam eruptionem feciſſe, & Auguſtam Treuirorum (ſicuti antè dictum eſt) tertiùm captam diripuiſſe ac incendiſſe. præterea ex Proſperi Faſtis Chronicóque colligimus Faramundum partem Galliæ Reno proximam poſſeſſionis causâ occupauiſſe, quam primo regni anno Chlodio eius filius amiſerit.

CCCC-XXII. Honorio XIII & Theodoſio X Coſſ. cùm Vandali & Alani, paullo antè ex Callæcia in Bæticam inſtante Aſterio Comite Hiſpaniæ tranſgreſſi, finitimas prouincias incurſionibus vaſtarent: Caſtinus primarius Senator, ex Comite Domeſticorum Magiſter militiæ factus, aduerſus eos cum magno exercitu & auxiliis Gothorum mittitur. *qui Bonifatium virum belli artibus præclarum inepto & iniurioſo imperio ab expeditionis ſuæ ſocietate auertit. Nam ille* (vt loquitur Proſper in Faſtis) *periculoſum ſibi atque indignum ratus eum ſequi; quem diſcordem ſuperbien-*

bientémque expertus esset; celeriter Portum Vrbis petiit,
atque inde in Africam transiit, omnémque prouinciam
occupauit. ídque Reip. multorum malorum initium; ea
Africæ causa cladis exitiabilis fuit. At Castinus, qui se-
ipse tanto collega priuauerat, ne in societatem certæ ex-
ploratæque, vt putabat, victoriæ quemquam reciperet,
vecordiæ pœnas dedit. Cùm enim Vandalos obsideret,
adeo vt inopia pressi deditionem facere iam pararent;
fiduciâ virium ferox, hostiúmque arrogánter contem-
nens, temerè prœlium commisit: & auxiliariorum suo-
rum fraude deceptus victúsque, ignominiosâ fugâ Tar-
raconem petiuit. Viginti ferè millia militum Roma-
norum cæsa Prosper est auctor in Chronico, qui falsò
anno octauo post Honorij Aug. obitum hanc cladem CCCC.
Romanis illatam dicit. Notãdum autem est, id quod Sal- XXXI.
uianus in libro VII de Gubernatione Dei scribit, Vanda-
los timore perturbatos librum diuinæ legis apertum ve-
nientibus Romanis opposuisse: credo vt eo commento
Christianos se esse, & ab Christianis sine causa oppugnari
indicarent. Sic igitur Vandali (vt ait Saluianus) *post expe-
rimenta belli diu parati intellexerunt sibi Romana Reip. vires
etiam cum Barbarorum auxiliis pares esse non posse.* Nec
multo pòst Castinus ex Magistro militum & ex Consule
non solùm priuatus sed etiam exsul factus, quòd Ioanni
Imperium occupanti fauisse dicebatur; ex Italia in Afri-
cam ad Bonifatium inimicum suum perfugere coactus
est, & genibus aduolui, patrocinióque ac fidei se permit-
tere eius, quem tamquam militem & Barbarum antè de-
spexerat. Hic est Bonifatius, qui Placidiæ ab Honorio
fratre suo vnà cum liberis expulsæ solus fidem seruauit,
aurúmque subministrauit; & Africâ strenuè contra Ioan-
nis copias defensâ fecit, vt Imperium tandem cum Va-
lentiniano filio reciperet. Idem paullo pòst Hierio & CCCC.
Ardabure Coss. cùm in Africa potentiâ gloriáque auge- XXVII.
retur, falsò clam defectionis accusatus ab Aëtio, dolo-
sísque eiusdem literis deterritus, in Italiam venire euo-
catus à Placidia recusauit. Quamobrem arbitrio Felicis
Magistri militum, vt ait Prosper, vel potiùs Aëtij, Ma-
uortio primùm ac Galbione Ducibus; deinde ambobus

interemtis, ductu Sigisuulti Comitis bellum ei illatum est, cuius repellendi causâ Bonifatius data acceptáque fide Vandalos, qui vti nauibus nesciebant, ex Hispania in Africam transportauit.

Galla Placidia post Constantij Aug. viri sui mortem, de qua dictum est, Rauennæ remanebat, magni animi fœmina, ambitiosa, & imperij auida. Ea cum Honorio primùm adeò coniunctè vixit, vt nimia familiaritas, crebritásque osculorum locum incesti amoris suspicioni daret: mox Helpidiâ nutrice Placidiæ & Leontio eiusdem Procuratore id agentibus, magnum inter ambos odium intercessit: donec post multas rixas, ac seditiones inter Honorianos Gothósque Placidiæ comites Rauennæ ortas, à fratre soror expulsa vnà cum liberis Honoria & Flauio Valentiniano nauibus Constantinopolim petiit: & à Theodosio Arcadij fratris sui filio honoratissi-
CCCC-XXIII. mè accepta est Mariniano & Asclepiodoto Coss. quo ipso anno XVIII Kalendas Septemb. morbo, quem hydropa vocant, Honorius Aug. interiit, XXXIX ætatis annum nondum transgressus: filius, frater, patruus, & auunculus Imperatorum: vir ita secors & ignauus, nulli vt vmquam prœlio interesse ausus sit. si tamen virum appellare eum licet, cuius vxores Maria & Thermantia Stiliconis filiæ altera post alteram virgines & intactæ obiisse dicũtur. siue quòd naturâ frigidus in venere, & inefficax fuit: siue quòd (vti ait Philostorgius) medicamentum sterilitatis à Stilicone datum biberat. Imperauit autem Honorius cum patre annos duos, dies VII; cum Arcadio fratre annos XIII, menses tres, dies XIV; cum Theodosio fratris filio annos XV, menses III, dies XV. vt appareat Prosperum & Hydatium, tricennalibus spectaculis ab Honorio editis deceptos, in Chronicis suis errare, quorum alter Theodosio XVII imperij annos, Honorio post eius obitum XXX; alter huic XVII, illi XXXII annos assignat: cùm ab ortu Principis Theodosij ad mortem Honorij anni sint quinque & quadraginta non pleni.

Mortuo Honorio Ioannes, qui primus Notariorum fuerat, non prohibente magis quàm adiuuante Castino

Magiſtro militum, Occidentis Imperium nullo ſibi iure debitum occupauit. & Exſuperantius Pictauus, Præfectus Prætorij Galliarum, is qui Armoricos Præſes prouinciæ Lugdunenſis III rexerat, Arelati ſeditione orta à militibus interemtus eſt: (atque Pæonius auctor cædis, Ioannis partibus aduerſus, paullo antè ad opprimendum Marcellum quemdam Imperiũ affectantem ſignifer iuuentutis, faſces ac inſignia Præfecturę corripuit.)
At Theodoſius Aug. de Ioannis exortu certior factus nomen & inſigne Cæſareum per Helionem Patricium miſſum Valentiniano amitino dedit Caſtino & Victore CCCC. XXIV.
Coſſ. quod Olympiodorus, Philoſtorgius, & qui pleraque de eius libris exſcripſit, Nicephorus Calliſtus Theſſalonicæ; Hydatius Conſtantinopoli factum ait. Eodem anno Gallam Placidiam iuſſu Theodoſij Auguſtam ſalutatam eſſe Olympiodorus apud Photium ſcriptum reliquit & Marcellinus: cui ego ab Honorio, qui illius ergô Conſtantium Imperatorem, Valentinianum Nobiliſſimum appellauit, hoc nomen vnà cum Imperio delatum exiſtimo. alioqui Proſper in Faſtis Placidiam tum, cùm ab Honorio fratre ſuo eiecta ad Theodoſium confugit, Auguſtam non vocaret. Theodoſius cum Placidia Aug. & Valentiniano Cæſare Ardaburem, & Aſparem Ardaburis filium Duces in Italiam miſit. Et Ardabures quidem poſt captam Salonam aduerſo vento in manus hoſtium delatus eſt, & exceptus. At Aſpar Præfectus equitum meliore fortuna vſus primò Aquileiam caput Venetiæ; pòſt Rauennam; ibíque facto leui prœlio Ioannem ipſum imperij menſe duodeuiceſimo à ſuis proditum cepit: cui Aquileiam perducto dextram præcidi, capútque amputari Placidia Aug. iuſſit Theodoſio
XI & Valentiniano Cæſare Coſſ. Fl. Aëtio venia, & Comitis dignitas data eſt: quòd Hunnis, quos mercede CCCC. XXV.
conductos ad LX millia die tertio poſt Ioannis mortem in Italiam adduxerat, quóſque Aſpar poſt commiſſum atrox prœlium iterum aggredi non audebat, perſuaſiſſet, vt accepta fide atque pecunia, obſidibúſque traditis domum reuerterentur. Caſtinus Senator Conſularis, & Magiſter militiæ in exſilium miſſus: & Felix in eius lo-

cum substitutus. Bonifatius (sic enim Græci meliùs, quàm Latini Auctores Bonifacium, vocant) Africam, quam strenuè contra Ioannis copias defenderat, obtinere iussus, & ex Tribuno Comes Domesticorum & Africæ factus. Ita oppresso Tyranno, & recepto feliciter Imperio Placidus Valentinianus puerulus sextum annum agens VIII Idus Aprilis; aut (vt ait Socrates) ad X Kalendas Nouembres VII ætatis suæ anno, decreto Theodosij, ac consensu totius Italiæ Augustus appellatur:& Helion Magister Officiorum, atque Patricius Romæ (sicuti Olympiodorus, Prosper, ac Hydatius scribunt) diadema capiti eius imponit, quem falsò Marcellinus & Iordanes Rauennæ factum Imperatorem dicunt. Ex his apparet errare Nicephorum, qui Placidiam pro amita sororem Theodosij appellet, & à Ioanne Tyranno ante Honorij obitum eiectam esse in libro XIV tradat.

Eo tempore imperium Orbis Romani, quem vix tum viri fortissimi prudentissimíque à Barbaris tueri potuissent, penes feminas erat. quippe in partibus Orientis Flauius Theodosius quatuor & viginti annos natus, solo nomine auum; inertiâ patrem Arcadium referens, Pulcheriæ Augustæ sororis maioris natu & eunuchorũ consiliis regebatur. in Occidente autem Placidia Aug. Placidi Valentiniani filij sui Imperiíque tutelam à Theodosio sibi commissam gerebat. Hic est Theodosius, qui dum Reip. membra lacerabantur à Barbaris, parentem suum imitatus, domi Sanctorum corporum reliquias colligebat:& amisso propemodum Illyrico, vt ei prouinciarum suarum numerus constaret, nouas prouincias non armis, sed vnius in duas aut plures diuisione faciebat; quasi hacce ratione clades Imperij tegi, aut iactura reparari posset.

CCCC-XXVIII. Anno V post Honorij mortem regnauit in Francia Chlodio; vt ait Prosper in Chronico, & annos viginti Regnũm obtinuit. Clodium vocat eum Prosper & Sigebertus; Sidonius Cloionem, multi Chlodionem ac Chlogionem appellant. eumdem Scriptor Historiæ Francicæ Caroli Ducis æqualis, Aimoinus, Rorico,

Auctor libri de vita Caroli Magni, aliíque plurimi Faramundo patri successisse tradunt, & Chlodionem Crinitum nuncupant. similiter in vno & altero Stemmate Regum nostrorum Chlodio Faramundi filius & successor fuisse, & (sicut etiam suprà citatus Historicus, Adóque memorant) XX annos regnauisse dicitur. Addit vterque tum Francos in finibus Toringiæ considentes crinitis Regibus parere cœpisse. Quo magis miror à Fredegario Chlodionem appellari filium Theudemeris Francorum Regis, Richimere patre nati, ab Romanis (vti ait) ductu Castini prœlio fusi atque occisi. quem Theudemerem vel Theodomerem, *filium Richimeris quondam*, seu potiùs Consulis vocat Gregorius, ac cum Ascila matre sua interfectum, & Chlodionis æqualem fuisse ex Consularibus Fastis videtur indicare. à morte autem Richomeris Consularis ad initium Chlodionis anni sunt XXXIV; ita vt Theodomeres, si eo patre genitus fuit, certò ante Chlodionem Franciæ imperium obtinuerit. Hic est Teudomeres, vt existimo, cuius & nomen & vultum in nummo aureo publicauit Paullus Petauius Vir Clarissimus. Iuo in Chronico Didionem quemdam Faramundi filium, omnibus nostris auctoribus ignotum, Faramundo & Chlodioni medium interponit. cùm Sigebertus Iuonis æqualis nullam eius mentionem faciat, Chlodionémque Capillatum post Faramundi patris obitum rerum potiri occœpisse anno CCCCXXX, ac in Francia annos duodeuiginti regnâsse prodat, atque ex illo tempore Francorum imperium penes comatos Reges esse cœpisse. Ego (pace Gregorij, Adonis, Sigeberti, Iuonísque dixerim) nequaquam crediderim tum primùm Reges Franciæ cæsariem promisisse. quippe Claudianus (vt de ceteris taceam) in libro I de laudibus Stiliconis Marcomerem Chlodionis auum, ac Sunnonem eiusdem maiorem patruum *Reges crinigero vertice flauentes*, hoc est flauos & crinitos appellat: & Eumenius in laudatione Constantij Cæsaris, Francorum, qui pro Allecto Tyranno mercede pugnauerunt, *corpora Barbara & prolixo crine rutilantia* vocat.

Tiro Prosper in Fastis, & qui multa de eo libro ex-

CCCC. XXVIII. scripsit Cassiodorus Senator tradunt Felice & Tauro Coss. *partem Galliarum proximam Reno, quam Franci possidendam occupauerant, multis cæsis Aetij* Valentiniani *Comitis armis receptam esse.* Felicis autem & Tauri Consulatus à morte Honorij Aug. quintus, & regni Chlodionis primus est annus: vt in Chronico, quod Prosperi esse dicitur, inuenio. quare si initium Chlodionis Regis, & prima Aëtij aduersus Francos expeditio in vnum eumdémque annum inciderunt, existimandum est partem prouinciæ Germaniæ inferioris Reno propiorem à Faramundo perpetuæ possessionis causâ occupatam;
CCCC. XXVIII. Consulatu Tauri & Felicis, quo anno Chlodio Faramundi filius principatum iniit, Aëtij ductu magnâ cæde Francorum factâ, reliquis è Galliæ finibus pulsis, ab Imp. Valentiniano receptam esse. Erunt forsitan, qui credent de eodem bello Hydatium loqui, qui biennio seriùs, ni-
CCCC. XXX. mirum anno VII post Honorij mortem, imperij Valentiniani VI, Aëtiũ Ducem expeditionem in Francos fecisse,
CCCC. XXXI. eósque anno insequenti, hoc est Basso & Antiocho Coss. prœlio superauisse, pacémque cum victis iniisse memoriæ tradidit. Antiochum hunc ex eunucho & Præposito sacri cubiculi Præfectum & Consulem factum falsò scribit Baronius: si verum est, quod ait Marcellinus in Chronico, Eutropium omnium spadonum primum & vltimum Consulem fuisse. Poscere videtur hic locus, vt de Flauio Aëtio pauca dicamus.

Aëtio Durostorum opidũ in Mœsiæ cognomine secundæ, & Scythiæ confiniis positum patria fuit: pater Gaudentius, domi primoris loci, Magister equitum, qui in Gallia seditione ortâ à militibus interemtus est; mater Italica, nobilis ac locuples femina, mendosè apud Gregorium Itala appellata: quam Ioannes Chrysostomus Constantinopolitanus Episcopus, ad eam scribens, Romanam fuisse indicat, hortatúrque vt per se ac per suos Orientis Ecclesias perturbatas atque distractas in concordiam reducere conetur. Aëtius ipse à puero Prætorianus, Domesticúsve Protector, tribus annis apud Alaricum Gothorum Regem; deinde apud Hunnos, quibuscum amicitiam coniunxit, obses fuit: postea

CarpilionisComitis Domesticorum filiam, quam tamen Sidonius Gotham ac stirpis regiæ fuisse indicat, in marrimonium duxit, & Palatij Ioannis curam egit. falsò vt Paullus Langobardus, Constantinus Porphyrogennetus, & Nicephorus Callistus in libro XIV Bonifatium & Aëtium Duces ab Imper. Theodosio Fl. Valentiniano petenti missos esse tradant. quamuis ambo in Thracia Theodosij prouincia nati essent. Tum Aëtius Hunnis, quos in Italiam opem Ioanni laturos adduxerat, cùm persuasisset vt domum redirent, Comes creatur: cæsis Gothis, & Anaolfo Optimate eorum capto, Arelate obsidione liberat: atque Bonifatio Patricio, quem ob inuidiam Africâ pellere conabatur, falsò defectionis accusato bellum inferendum curat: cuius repellendi causâ Bonifatius Hierio & Ardabure Coss. Geisericum Regem trans Gaditanum fretum accitum cum Vandalorum & Alanorum millibus LXXX in Africam immisit. CCCC. XXVII.
At Aëtius Magister militum factus Felicem Patricium virum Consularem, cui in Magisterio militiæ successerat, cum Padusia vxore sibi insidiantem occupat, ac Rauennæ interimit: Iuthungos vincit: Noricos, qui rebellauerant, domat: Francos è Galliæ finibus pellit: ac Bonifatium Magistrum militiæ in ipsius locum suffectum, & acceptâ à Placidia fide Romam reuersum bello aggreditur, ac vulnerat: pulsúsque ad Rugilam Regem Hunnorum perfugit, & Barbarorum auxiliis fretus, Bonifatio iam ex vulnere mortuo, in Italiam; nec multo pòst Sebastiano Bonifatij genero fuso fugatóque, in gratiam cum Valentiniano & Placidia redit: neque Magisterium militum solùm, sed etiam Patriciam dignitatem assequitur: Gothos à Narbone Martio per Litorium repellit, bellúmque cum eis triennio Hunnis adiutoribus gerit: quorum Barbarorum auxiliariorum Regulus Gaufericus Cossionem Vasatium diu frustra obsedit, Gallísque magis oneri, quàm terrori hostibus fuit. pòst Aëtius oppressis Bacaudis, in tractu Valentino deserto Alanos, quibus Sangibanus præerat; in Sapaudia Burgundionum pæne excisorum reliquias collocauit: & Carpilionem filium suum legatum ad Attilam Regem Hunnorum misit,

eumdémque pace ruptâ transgressum in Galliam atroci prœlio superauit. denium suspectus Imperium affectare
CCCC-LIV. Aëtio & Studio Coss. ab Valentiniano Aug. interfectus est. Hîc notare conuenit Aëtium ter Consulem, & annis circiter XXV Magistrum militum, hunc de quo loquimur, & cuius de virtutibus Renatus Frigeridus in Historiæ libro XII apud Gregorium retulit, eum esse non videri, qui Studij collega fuit, semélque Consulatum iniit. alioqui in Fastis non Aëtium & Studium Coss. sed Aëtium IV & Studium Consules scriptos inueniremus. Rebus gestis Aëtij strictim perscriptis, ad Chlodionem reuertendum est.

Gregorius in libro II scribit multos memoriæ tradere Francos, digressos finibus Pannoniæ, primùm circa ripas Reni incoluisse: deinde transito Reno in Toringiam immigrauisse, ibíque Reges crinitos ex nobilitate delectos, qui pagis aut ciuitatibus præessent, creauisse: ac Chlodionem Regem Francorum virum fortissimum ac nobilissimum in castro quodam Toringiæ nomine Dispargo sedisse. eodémque tempore partem Galliæ à Reno ad Ligerim, id est ad meridiem versùs sub ditione Romanorum fuisse; vltra Ligerim Gothos, trans Rhodanum Burgundiones coluisse. Chlodionem verò, vt præmissi exploratores perspectis regionibus tuta omnia renuntiauissent; fusis fugatísque Romanis, opidum Camaracum cepisse: eóque in opido paullisper constitisse: inde vsque ad Suminam flumen omnia occupauisse. Quibus de rebus vt dicam quod sentio; non dubito, quin Auctores, qui Francos ortos Pannoniis prodidere, quos Gregorius & Historici Gregorio recentiores secuti sunt; similitudine nominum decepti Francos à Brencis Breucísve gente Pannoniæ originem ducere crediderint. Sed cùm ex Pannonia in Toringiam proficiscentibus Menus vel Mænus sit transeundus: Gregorium Renum nobis pro Meno ingessisse miror, tantúmque vel eius errorem, vel librarij mendum ab nemine animaduersum correctúmque esse. Quòd si Chlodio præter ceteros in Toringorum finibus consedit; Toringiam omnem, aut saltem partem eius Cattis confinem dudum sub imperio Francorum

corum fuiſſe, vel à Chlodione ipſo armis occupatam Francis poſtea in Galliam tranſgreſſis defeciſſe putandum eſt. Quare Aimoinus ac Sigebertus ſcribunt Chlodionem finitimis Toringis genti Germaniæ bellum intuliſſe, depopulatíſque eorum finibus caſtellum nomine Diſpargum cepiſſe, atque ibi aliquamdiu conſediſſe. Nicolaus Vignerius, multíque alij cùm animaduerterent Francos profectos Pannoniâ ſuperato Reno non in Toringiam, ſed in Galliam migrare oportuiſſe; apud Gregorium Toringiam & Toringos in Tungriam Tungróſque mutauere. ita dum errorem vitare volunt, in errorem inciderunt. nam Tungri etiamtum ſub Romanorum ditione fuerunt: ſi verum eſt, quod Gregorius dicit, antequam Chlodio in Galliam erumperet, Romanos à Reno ad Ligerim Galliam Belgicam Lugdunenſémque tenuiſſe: & Seruatium Tungrorum Epiſcopum cognominem ei, qui Synodo Agrippinenſi principatu Conſtantis interfuit, multis cum lacrimis Deum obſecrâſſe, vt ab gente ſibi commiſſa omníque Gallia Hunnos Chriſtianæ religionis expertes auerteret. quem Hunnorum aduentum in Gallias Seruatius tantopere deprecari ac timere non debuit, ſi iam Franci non minùs Hunnis Chriſtianam ſectam exoſi, idolorúmque cultores agrum Tungrorum occupauerant. Sunt, qui Diſpargum ſupradictum, nunc eſſe Duiſburgum falsò arbitrentur. quippe Diſpargum Gregorius, veteréſque omnes Hiſtorici caſtrum Toringorum vocant; recentiores noſtri Auctores caſtellum Tungrorum appellari malunt. at Duiſburgus neutrius gentis finibus adſcribi poteſt: eſt enim opidum Germaniæ ad ripas Reni poſitum, quod flumen vti Franci tùm accolebant, ſic Toringia numquam attigit. Tungros quoque ortos à Germanis Plinius Secundus, Caius Cornelius Tacitus, & Claudius Ptolemæus in Gallia; non in Germania ponunt. vt appareat eam gentem ne florente quidem Romanorum potentiâ, nedum Valentiniani principatu vllos agros atque opida trans Renum habuiſſe. Ceterùm quod ait Gregorius ante occupatum à Chlodione Camaracum Gallicas gentes, quæ à Reno ad Ligerim per-

tinent, ſub ditione Romanorum fuiſſe; vltra Ligerim Gothos imperitauiſſe; Burgundiones trans Rhodanum incoluiſſe: non perinde intelligi oportet, quaſi tum Romani omnes Transligeritanas, ac Transrhodanicas regiones Barbaris condonauiſſent, aut amiſiſſent. Aquitaniam enim cognomine primam, & partem maiorem prouinciæ Narbonenſis, & præter Sapaudiam Burgundionibus datam quod agri inter Rhodanum Alpéſque erat, Imper. Valentinianus tenebat. Immo ne tum quidem, cùm Chlodionis ductu Franci in Gallia conſederunt, videntur Burgundiones trans Rhodanum ſedes
CCCC-XLIII. habuiſſe. ſiquidem anno XX poſt Honorij Aug. obitum (vti ait Proſper in Chronico) Aëtius Sapaudiam eis cum incolis diuidendam dedit: tranſiiſſe autem in Gallias Chlodionem annó XIV poſt Honorij mortem Marianus Scotus tradit.

Et ita quidem Gregorius, vt antè dictum eſt, de Chlodionis expeditione ſcribit. at Hiſtoricus, qui poſteriore Theodorico regnante floruit, ex Toringia regione Germaniæ præmiſſis ad Camaracum exploratoribus, Chlodionem cum magnis copiis Renum tranſiſſe dicit, multíſque Romanis cæſis ac fugatis, Carbonariam ſiluam intrâſſe; Turnacum, deinde Camaracum cepiſſe; ibíque interfectis Romanis, hoc eſt Gallis, aliquantiſper ſubſtitiſſe; & vſque ad Suminam flumen, quod alij Somenam, alij Sumnam appellant, atque ab Camaraco circiter millia paſſuum XXIV abeſſe aiunt, omnia loca armis occupauiſſe. Ex quo intelligitur Chlodionem, cùm relicto Diſpargo Renum tranſierit, (vti & Rorico, Sigebertus, ac Iuo tradunt) non ex Tungria, prouinciáve inferiore Germania, ſed ex Toringia, & magna vel Tranſrenana Germania in Galliam Belgicam erupiſſe. Adiicit Rorico Samarobriuâ Ambianorum opido ad Suminam poſito potitum hunc eſſe, eámque regiam elegiſſe, atque exinde à nemine interpellatum iure belli quietè tenuiſſe. cui Auctori haud ſcio an magis aſſentiri nos oporteat, quàm Adoni ſcribenti Chlodionem ſaltum Carbonarium, quæ Arduennæ pars eſt inter Moſam, & Scaldem; obtinuiſſe: Camaracúmque, quod à

Reno CXXX millia passuum abest; non Samarobriuam regni sedem statuisse. In libro autem, quem Hincmarus de vita Remigij composuit, inuenio Francos Turnaco & Camaraco opidis expugnatis, & hinc vsque ad Suminam parte prouinciæ Belgicæ occupatâ, ibi diu sub Chlodione & Merouco Regibus consedisse. Sed nemo è nostris Auctoribus supradicti Regis victorias licentiùs amplificauit, quàm Marianus Scotus. quippe in libro Chronicorum II prodit post Christum natum CCCCXXXVIII, Theodosij Principis post Honorij mortem XIV anno, hoc est Aëtio II & Sigisuulto Coss. quo anno Aëtius in bello Gothico repellendo, & in defectione Bacaudarum coërcenda erat occupatus: Chlodionem Batauos, Menapios, Tungros, Turnacenses, Taruennenses, Morinos, Atrebates, Camaracenses, Ambianos, Bellouacos, & quidquid inter Sequanam ac Ligerim erat, Francico Regno adiecisse. quod Sigebertus septennio seriùs, nimirum anno CCCCXLV post Christi natalem actum esse tradit.

Apparet ergo Chlodionem Regem Francici in Gallia Imperij auctorem ac conditorem fuisse: eúmque cum magno exercitu ex Germania transgressum in Galliam castella aliquot ad Renum, (aliter enim interiora regionis tenere vix potuit) superatóque Mosâ siluam Carbonariam, & Turnacum ac Camaracum opida Scaldi flumini apposita; inde omnia vsque ad Suminam perpetuæ possessionis causâ occupauisse. cùm nec ab Romanis postea ex hisce opidis expulsus dicatur; nec vrbem aliquam captam Regni sedem statuere eius sit, qui prædam sibi solùm, non imperium quærat, & finibus hostium depopulatis domum redire festinet: à quo consilio tantùm abfuit Chlodio, vt Atrebates quoque ditionis suæ facere voluerit. Certè in eos exercitum duxit, nullis, sicut antè, speculatoribus præmissis, & ad vicum Elenam fluménque peruenit, more Germaniæ mulierum agmen trahens. ibi dum quidam clarus inter Francos virginem nationis eiusdem matrimonio sibi adiungit, saltantiúmque vocibus collis ripæ proximus resonat, Aëtius inopinantes improuisò aggreditur: angustiis lo-

corum inclusos fundit, fugátque: nouam nuptam capit: plaustrísque compluribus potitur. Locum, vbi res gesta est, Elenam vicum Apollinaris Sidonius appellat: quem Ioannes Sauaro nunc esse Hesdinium vetus Quantiæ flumini impositum falsò existimat. cùm Elena vicus in primis Atrebatium finibus, quà Camaracenses attingunt; hoc est forsitan Lensium ad Deulam, Lenense castrum Balderico in Historiæ lib. II dictum: Hesdinium autem vetus (si tùm tamen iam erat) non in Atrebatibus, licet nunc eis attribuatur, sed in Morinis ad Oceanum versùs castellum fuerit. Hoc furto belli magis quàm prœlio circa Elenam fusi ac repressi sunt Franci paullo post Cæsarodunum Turonum per Iulium Maiorianum à Gothorum metu vindicatum, siue post
CCCC-XXXVII. Aëtij II & Sigisuulti Consulatum. vt scribit Apollinaris Sidonius, apud quem vxor Aëtij, non minùs inuidens Maioriani iuuenis gloriæ, quàm pro Gaudentio communi filio solicita, & huius magnitudinem illius incrementis quandoque obstaturam rata sic virum alloquitur.

Cùm bella timentes
Defendit Turonos, aberas. pòst tempore paruo
Pugnastis pariter, Francus quà Cloio patentes
Atrebatum terras peruaserat. Hîc coëuntes
Claudebant angusta vias, arcúque subactum
Vicum Elenam, fluménque simul sub tramite longo
Artus suppositis trabibus transmiserat agger.
Illic te posito, pugnabat ponte sub ipso
Maiorianus eques. fors ripa colle propinquo
Barbaricus resonabat hymen; Scythicísque choreis
Nubebat flauo similis noua nupta marito.
Hos ergo, vt perhibent, strauit. crepitabat ad ictus
Caßis, & oppositis hastarum verbera thorax
Arcebat squamis, donec conuersa fugatus
Hostis terga dedit. plaustris rutilare videres
Barbarici vaga festa tori, coniectáque paßim
Fercula, captiuásque dapes, cirróque madente
Ferre coronatos redolentia serta lebetas.
Ilicet increscit Mauors, thalamíque refringit

Plus ardens Bellona faces. rapit essedа victor,
Nubentémque nurum. non sic Pholoëtica monstra,
Atque Pelethronios Lapithas Semeleius Euan
Miscuit: Hæmonias dum flammant orgia matres,
Et Venerem Martémque cient; ac prima cruentos
Consumunt ad bella cibos; Bacchóque rotato
Pocula tela putant: cùm crudescente tumultu
Polluit Emathium sanguis Centauricus Othrym.
Nec plus nubigenûm celebrentur iurgia fratrum.
Hic quoque monstra domat, rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta iacet; nudatáque ceruix
Setarum per damna nitet; tum lumine glauco
Albet aquosa acies; ac vultibus vndique rasis,
Pro barba tenues perarantur pectine cristæ.
Strictiùs assuta vestes procera coërcent
Membra virûm. patet his altato tegmine poples:
Latus & angustam suspendit balteus aluum.
Excussisse citas vastum per inane bipennes,
Et plaga præscisse locum, clypeósque rotare
Ludus, & intortas præcedere saltibus hastas;
Inque hostem venisse priùs. puerilibus annis
Est belli maturus amor. si fortè premantur
Seu numero, seu sorte loci; mors obruit illos,
Non timor: inuicti perstant, animóque supersunt
Iam prope post animam. tales te teste fugauit
Et laudante viros.

Ex quo apparet Francos, quos ridiculè ob proceritatem eximiam Sidonius monstra appellat, tantâ magnitudine, ac pernicitate corporum, tantâ in armis exercitatione, atque arte cum viribus coniunctâ, tantâ fortitudine in periculis, tantâ à paruulis bellandi cupiditate fuisse, vt ab hoste etiam inuito laudarentur. Sic Libanius in oratione de laudibus Constantij atque Constantis Augg. fratrum ait Francos multitudine innumerabiles, haud paullo tamen quàm pro multitudine validiores non mare magis quàm continentem timere: & frigus Septemtrionale cæli temperie gratius; otium, calamitatem maximam; quietem, languorem ducere: contrà summam sibi felicitatem in bello positam existimare: ac si quis

dextram perdiderit, debilem reliquâ manu pugnare: virtutíque apud eos, quam temeritatem ac dementiam Libanius vocat, & honorem haberi, & sua præmia legibus esse proposita. Quod autem ait Sidonius Francos post mortem animo pæne superesse: idem Florus dicit de Romanis à Pyrrho Rege victis; relictas in eorum vultibus minas, *& in ipsa morte iram vixisse.*

CCCC-XXVIII. CCCC-XXXI. Ceterùm vti Felice & Tauro Coss. aut Consulatu Bassi & Antiochi accepta apud Renum clades Chlodionem minimè deterruit, ne in Galliam iterum transiret: ita Elenensis pugna eidem haud obstitit, quominùs regionem, quam armis occupauerat, obtineret. videtúrque Aëtius post hoc leue prœlium pacem cum Francis fecisse, atque Chlodioni liberam possessionem saltus Carbonarij, & Turnaci, ac Camaraci tradidisse. quod facilè credet, qui animaduerterit Aëtium reliquiis Alanorum, qui Goare duce principatu Honorij in Gallia consederant, agrum Valentinum condonauisse, & Burgundionibus pæne funditùs euersis non solùm pacem, sed etiam Sapaudiam dedisse. Certè Saluianus, qui tum iuuenis scribebat, in libro V de Gubernatione Dei postquam multùm questus est de iniquitate potentiorum humiliores possessionibus per iniuriam expellentium, déque acerbissimis tributis & exactione capitum; affirmat Francos, Hunnos, Vandalos, & Gothos esse horum scelerum immunes, atque apud Barbaros meliore conditione Romanos vti. ex quo intelligitur vt tum Hunni Pannonias, Gothi Aquitaniam, Vandali Africam prouincias Imperij Rom. possiderent; sic & Francos partem Belgicæ Galliæ tenuisse.

CCCC-XXIX. Anno VI post Honorij Aug. mortem, hoc est Florentio & Dionysio Coss. Iuthungi Danubij accolæ, non vt ait Dexippus Scythiæ, sed Alamanniæ gens; Rætiam depopulari soliti, arma corripuere: & Norici ac Vindelici prouinciales ab Imperio Romano defecere. siue seorsum bellum parauerant: siue potiùs Norici ac Vindelici cum finitimis Iuthungis vires iunxerant. quos omnes Aëtius supradictis Coss. vicit, & insequenti anno (vt ait Hydatius in Chronico) Noricos rebellantes domuit, ac

Vindelicos ſubegit. Hoc eſt, quod Proſper in Chronico tradit poſt annum ſeptimum quàm Honorius deceſſerat, Aëtium Iuthungorum gentem delere conatum eſſe. Eam expeditionem aduerſus Iuthungos, & Noricos ac Vindelicos ſuſceptam eſſe ab Aëtio Auitum ſecum habente, antequam Burgundionibus bellum inferret, ſcribit Apollinaris Sidonius in Panegyrico Auito Aug. ſocero dicto.

Aëtium interea, Scythico qui ſæpe duello eſt
Edoctus, ſequeris: qui quamquam celſus in armis
Nil ſine te geſſit, cùm plurima tu ſine illo.
Nam poſt Iuthungos & Norica bella, ſubacto
Victor Vindelico Belgam, Burgundio quem trux
Preſſerat, abſoluit iunctus tibi.

Iordanes eiuſdem de Iuthungis Aëtij victoriæ mentionem facit in libro de origine & actis Gothorum, cùm ait Aëtium *ſuperbiam Suauorum immenſis cædibus ſeruire Romano Imperio coegiſſe.* Neque enim dubito, quin Suauorum, hoc eſt Sueuorum nomine Iuthungos appellauerit Iordanes, quòd alteri alteris proximi, & vtrique Rætis confines erant. Certè Aëtius Sueuis in Germania habitantibus bellum intuliſſe non dicitur: Sueuos autem idem in Callæcia ſedem habentes adeò Imperio Romano ſeruire non coegit, vt contrà, ipſo Magiſtro militum, Rechila Rex Hermerici Sueuorum Regis filius Andeuotum Romanum Ducem prœlio ſuperatum caſtris exuerit; Emeritam, Myrtilim, ac Hiſpalim vrbes claras occupauerit; & Vito Magiſtro militiæ cum ſuis Gothíſque auxiliaribus fuſo Bæticam. & Carthaginenſem prouinciam impunè vaſtauerit. Sed quoniam incidit Sueuorum mentio, notare conuenit Sueuos, cùm qui in Germania remanſerant, tum qui in Callæcia ſedem ceperant; atque etiam Sauienſes, Sauiæ ſeu prouinciæ ad flumen Sauum incolas, à Iordane Suauos; & tam horum quàm illorum regionem communi nomine Suauiam appellari: ſimiliter Procopium in libro I rerum Gothicarum *Suauos mediterraneos non Francis parentes, ſed alios;* hoc eſt non in Germania habitantes, Alamanníſque finitimos; ſed Saui accolas, Dal-

matiæ & Pannoniæ confines, Siſcienſibus & Carnis medios interponere. Ex quibus Procopij verbis etiam intelligitur ætate eius, ſeu Iuſtiniani principatu Sueuos, quos Suauos vocat, vnà cum finitimis Alamannis Theodeberto tum in Francia Orientali regnanti paruiſſe. Hac nominum ſimilitudine deceptus Iordanes prouinciales Sauienſes, Sueuóſque gentem Germaniæ confudit, cùm Hunnimundum vel Chunimundum, quem Eugepius in libro de vita Seuerini Alamannorum crebrò tum Noricum vaſtantium Regem fuiſſe indicat; regnaſſe in *Suauia Dalmatia Pannoniaque vicina*, hoc eſt in Sauia ſcribit: & nihilominùs regionem illam Suauorum, apud quos Hunnimundus regnabat, ab Oriente Baiobaros; ab Occidente Francos; à Meridie Burgundiones; à Septemtrione Toringos habere; Alamanníſque fœderatis confinem, hoc eſt Sueuiam Tranſrenanam fuiſſe prodit. Simili idem errore Telephum, quem in Myſia Aſiatica regnaſſe conſtat, Myſiæ ſeu Mœſiæ Europææ, Gothorúmque ibi ſedes habentium Regem ait fuiſſe.

Dum Franci in Gallia ductu Chlodionis ſedem capeſſunt: Theodoricus maior Rex Gothorum rupto fœdere Narbonem Martium obſedit. ex altera parte Gundicarius Burgundionũ Rex, Cundicharius à Senatore dictus, non contentus agro prouinciæ Germaniæ primæ, quem ante annos XXIII occupauerat, finitimos Belgas prouinciæ Belgicæ primæ incolas armis ſub imperium ſuum
CCCC-XXXV. ſubiungere conatus eſt: quem Aëtius Theodoſio XV & Valentiniano IV Coſſ. repreſſit ac fudit, atque anno in-
CCCC-XXXVI. ſequenti Iſidoro & Senatore Coſſ. altero prœlio victis & cæſis millibus hominum XX ſic fregit, vt non iam de proferendis finibus, ſed de ſua ſuorúmque ſalute cogitaret. itaque per legatos pacem ab Aëtio ſuppliciter petiit, atque eo faciliùs impetrauit, quòd iam Romani Gothico bello cœperant impediri. Nec diutina ea Burgundionibus, aut fida pax fuit. Hunni quippe, hi credo, quorum auxilia ex Dacia Tranſdanubiana Romani accerſiuerant, quibúſque tùm adiutoribus bellum cum Gothis in Gallia gerebant, ſi non immiſſu, ſaltem permiſſu Aëtij Gun-

Gundicarium feſſum adorti interfecerunt, vnáque propè omne nomen ac ſtirpem Burgundionum deleuerunt: vt Tiro Proſper in Faſtis, Hydatius, & Caſſiodorus Senator in Chronicis prodidere. Hancce Burgundionibus ab Vptaro Rege illatam calamitatem; eiuſdémque ac Hunnorum cæde bellum eſſe finitum indicant Socrates Scholaſticus in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro VII, Sigebertus in Chronico, & Nicephorus Calliſtus in libro XIV, ſcribúntque Burgundiones, (quæ gens Barbara, circa Renum colens, vitam quietam atque otioſam ſequeretur, fabrilémque artem, quâ ſe tueretur, ferè omnis exerceret) cùm continuis Hunnorum incurſionibus vexarentur; depopulatâ regione, multíſque ſuorum acie fuſis & cæſis, humani conſilij auxiliíque inopes communi conſenſu religionibus maiorum renuntiauiſſe, & in Chriſto ſpe victoriæ poſitâ ab Epiſcopo cuiuſdam vrbis Galliæ, vt Chriſtianis ſacris ipſos initiaret, petiiſſe: mox rite edoctos quæ credenda ac facienda erant; atque ſeptem dierum ieiunium ſeruare iuſſos, octauo demum die Baptiſma conſecutos, præpoſitóque eis Epiſcopo domum dimiſſos eſſe: tum ingenti fiduciâ accenſos ad hoſtes contendiſſe: nec ſpe ſua fruſtratos eſſe. Vptaro quippe Hunnorum Rege, qui mendosè à Sigeberto Suptar appellatur, noctu ſatietate rupto; cùm ducis morte turbatos improuisò inuaſiſſent, à Burgundionum millibus III millia Hunnorum dena interfecta eſſe. ex illo tempore Burgundiones ardenti amore, & ſumma cum cura ac diligentia Chriſtianam religionem coluiſſe. Hæc autem geſta eſſe Proclo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ curam agente, cuius ille Epiſcopus factus eſt Aſpare & Ariobindo Coſſ. ante annum quàm Aëtius Bur- CCCC-XXXIV.
gundionibus bellum inferret. Quamquam Paullus Oroſius, qui Honorio & Theodoſio minore Principibus, Valiâ Rege Gothorum in Hiſpania cum Alanis Vandalíſque bellante Hiſtoriam ſcripſit, Burgundiones iam tùm Chriſtianos fuiſſe in libro VII memoriæ tradidit his verbis. *Eorum eſſe prævalidam & pernicioſam manum Galliæ hodiéque teſtes ſunt, in quibus præſumtâ poſſeſſione conſiſtunt. quamuis prouidentiâ Dei omnes Chriſtiani mo-*

dò facti, catholicâ fide, nostrísque Clericis, quibus obedirent, receptis; blandè, mansuetè, innocentérque viuant non quasi cum subiectis Gallis, sed velut cum fratribus Christianis. Nemo alius autem, vti opinor, Burgundiones, in primis armata millia III initiauit & tinxit, quàm Seuerus Treuirorum Episcopus magnæ sanctitatis vir: quem Constantius in libro II de vita Germani tradit, antequam in Britanniam ad resurgentis hæresis Pelagianæ incendium exstinguendum vnà cum Germano proficisceretur, *Gentibus primæ Germaniæ,* hoc est Burgundionibus in ea prouincia considentibus *verbum Dei prædicauisse.* Seuerum hunc Treuiricæ Ecclesiæ ordinatum Episcopum, discipulum Lupi Tricassini Episcopi fuisse in libro de vita Lupi inuenio, & *primæ Germaniæ Gentibus prædicasse,* ob ídque inter Apostolos sedem suam habere meruisse. Gentes autem eo tempore à Romanis vocabantur nationes Barbaræ sui iuris, nec Imperio Rom. subiectæ; vt Franci, & Burgundiones, præter quos paucissimi tum in omni Gallia idola coluerunt. Et Burgundiones quidem postea Vesigothorum, credo, contagione corrupti Arianam sectam sequi maluerunt. quo magis miror eos apud Gregorium ante aduentum in Gallias Chlodionis, quo tempore vix dum Christiani erant facti, Arianos fuisse dici. Viuebat tum Sidonius, qui Burgundiones ob proceritatem septipedes ac Gigantes appellat, & animis ac corporibus rigidos & incultos fuisse ait, atque promissam comam butyro perfudisse, & pridianis epulis graues manè allia ac cepas assumere, trichordísque citharis canere consueuisse. Ceterùm *vniuersam pæne gentem Burgundionum cum Rege per Aëtium bello deletam* ideo forsitan Prosper in Chronico prodit, quòd Aëtius in Gundicarium, quocum pacem fecerat, clam Hunnos immiserit. errátque Paullus Langobardus, qui in libro V Appendicis ad Eutropij Historiam adiunctæ auctor est Attilæ Galliæ fines ingresso Gundicarium Burgundionum Regem armatum occurrisse, ac primo impetu obtritum esse. Post Gundicarij parentis sui mortem apud Burgundiones regnauere Gundiucus, vitio exemplarium à Iordane Gnudiucus, à Roricone Gundeueus di-

ctus, ac Chilpericus, quem Apollinaris Sidonius in libro epistolarum V, *Chilpericum Magistrum militum*, & modò *Tetrarcham*, modò *Regem*; Iordanes Hilpericum appellat: & quem Gregorius in libro de vita Lupicini vrbem Geneuam Regni sedem statuisse scribit. Hi fratres collectis paternæ cladis reliquiis, anno XX post Honorij CCCC-XLIII. Aug. obitum, Maximo II & Paterio Coss. Sapaudiam, regionem inter Rhodanum ac Alpes iacentem beneficio Imperatoris Valentiniani, Aëtiique Patricij possedere: atque subactis paullatim per occasionem finitimis Regni terminos promouere. Nunc quoniam de bello Burgundionum diximus, superest vt de bello Gothico, quod eodem tempore ortum est, pauca dicamus.

Valia vel Vallia Rex Gothorum, qui & Vesigothi vocantur, redditâ Placidiâ & pace factâ cum Honorio, in eius gratiam bellum Barbaris Hispaniensibus intulerat: ac pæne funditus euersis Alanis in Lusitania considentibus, & Vandalis Silingis in Bætica ad internecionem cæsis; promissi memor aliquot Hispaniæ prouincias Imperio Romano restituerat: ob idque Aquitaniam secundam, Nouempopulos, & quasdam vrbes confinium prouinciarum, in primis Tolosam, datas ab Honorio sedes acceperat. Successit Valiæ Theodoricus, Olympiodoro Theuderichus, Theudo Gregorio dictus; qui Castino Magistro militum Honorij in Vandalos expeditionem suscipienti magna misit auxilia: & quem Theodosio XI & Valentiniano Cæs. Coss. quo anno Placidia Aug. & CCCC-XXV. Valentinianus Cæsar aduersus Ioannem bellum gerebant, ex occasione pacem rupisse, & *Arelatum nobile opidum Galliarum multa vi oppugnauisse, donec imminente Aëtio non impunitus abscederet*, ait Prosper in Fastis. quamquam Prosper in Chronico biennio serius, nimirum anno IV post Honorij Aug. obitum Arelatum ab CCCC. Aëtio Gothica obsidione liberatum dicit. Hydatius XXVII. autem anno VI post Honorij mortem circa Arelatum CCCC-XXIX. quamdam Gothorum manum ab Aëtio cæsam, & Anaolfum Optimatem eorum captum esse memoriæ tradidit. Et tum quidem solutâ obsidione Arelati, Theodoricus fœdus cum Valentiniano Aug. pepigit, obsi-

désque à nobilitate Galliæ accepit, in his Theodorum Auiti, eius qui postea imperauit, propinquum: & cùm in recipiendo Magisterio militum, quod à Bonifacio victus amiserat, Hunnorum operâ Aëtius vteretur, rogatus à Placidia auxilia contra eum misit. Sed idem postea non contentus Regno Aquitanico, anno duodecimo
CCCC. XXXV. post Honorij mortem, vt ait Hydatius in Chronico; vel
CCCC XXXVI. insequenti anno Isidoro & Senatore Coss. sicuti refert Prosper in Fastis, pacem rupit: & pleraque municipia Romanæ ditionis vicina sedibus suis occupauit: Narbonémque Martium, cui ob vicinitatem maximè erat infestus, diuturna obsidione fatigauit. quam vrbem Gothis cum Rege in fugam versis Prosper eodem anno; insequenti Hydatius à Litorio Comite summis obsessio-
CCCC. XXXVII. nis & inopiæ periculis liberatam dicunt. Aëtio II & Sigisuulto Coss. Romani Hunnos, qui equitatu multum poterant, operâ Aëtij mercede conduxere, & aduersus Gothos, qui tanto apparatu territi pacem missis ad Valentinianũ Episcopis frustra petiuerant, bellum gessere. Accidisse tum credo, quod Gregorius Ecclesiæ Turonicæ Episcopus in libro I de Gloria Martyrum scribit, vt ab Hunnis, quorum Ducem claro nomine Regem Barbarorum Chunorum Gausericum appellat; diu multúmque obsideretur Cossio Vasatium, vrbs in Nouempopulis sita Gothicæ ditionis: quæ Episcopi sui viri sancti precibus votísque defensa est, pauore hostibus iniecto: ita ut Gausericus nescio quibus monstris & speciebus perterritus obsidionem soluerit, & fugienti similis vnà cum
CCCC. XXXVIII. suis inde abierit. Theodosio XVI & Fausto Coss. aduersus Gothos in Gallia quædam feliciter gesta sunt; & ductu Aëtij Magistri militum octo millia Barbarorum cæsa.

CCCC. XXXIX. Tandem Theodosio XVII & Festo Coss. post quartum annum quàm cœptum erat, bellum finitum est. Litorius, qui potestate secundus ab Aëtio Hunnis auxiliaribus præerat, caput Regni Gothici Tolosam obsidebat, vir magnis in eo bello, ac recens aduersus Armoricos rebellantes rebus gestis illustris. Is dum Aëtij Patricij gloriam superare cupit, dúmque fallacibus Haruspicum

reſponſis confidit, qui ipſum Toloſam intraturum dicebant, ſi acie dimicauiſſet, prœlium cum Gothis imprudenter commiſit. quo tempore Theodoricus Rex tametſi Arianus, priuſquàm manu pugnaret precatione pugnauiſſe, & vſque ad diem prœlij ſtratus cilicio ſuppliciter Deum orauiſſe dicitur. Fecit igitur exitum Litorius, qualem inconſiderati ac temerarij Duces facere conſueuerunt. amiſsâ cùm ſuorum pæne omni tum Hunnorum auxiliariorum manu, ipſe vulneratus venit in Gothorum poteſtatem: *& vrbem hoſtium, quam eodem die victorem ſe intraturum crediderat*, retortis poſt tergum brachiis, vinctis manibus *captiuus intrauit*. vt in libro VII de Gubernatione Dei loquitur Saluianus, qui & eum *longo tempore & diuturna in ergaſtulo Barbarorum tabe conſumtum ait*, quem tamen Hydatius poſt paucos dies quàm captus fuerat interfectum dicit. Cùm itaque auxiliarem manum Hunnorum ab Gothis cæſam auctor ſit Hydatius, & cùm Litorium Iſidorus in Chronico exercitum amiſiſſe ſcribat: apparet falsò Proſperum in Faſtis tradere, tantam à Litorio hoſtibus cladem illatam fuiſſe, vt niſi temerè pugnans captus eſſet, dubitandum foret Gothis Romaníſne victoria adſcriberetur: Gothóſque poſt dubij Martis luctuoſum experimentum *humiliùs quàm vmquam antea pacem popoſciſſe*, quæ & eodem anno facta ſit. Nec veriùs Iordanes in libro de origine actíſque Gothorum ſcribit diu vtrimque inſtructa acie *cùm vtrique fortes, & neuter infirmior eſſet, datis dextris in priſtinam concordiam rediiſſe* Romanos & Gothos, fœdúſque ac fidam pacem iniiſſe. Quippe vt omittam moris nõ eſſe victoribus pacem à victis petere; auctor eſt Apollinaris Sidonius in Carmine VII, ſeu in Panegyrico Auito Aug. ſocero dicto, cùm Aëtius Litoriana clade & ipſe fractus nec pecunia nec precibus hoſtem ſuperbum ac inſolentem placare, multo minùs pacare armis poſſet; Auitum Præfectum Prętorio Galliarũ eius rogatu ad Theodoricum Regem Gothorum litteras ſcripſiſſe, ídque egiſſe, vt victor Barbarus, qui vſque ad flumen Rhodanum Regni ſui terminos proferre & poterat & volebat, mutatus mitigatúſque fœdus cum Romanis

iungeret. Versus Sidonij operæpretium est subiicere.

Nil prece, nil pretio, nil milite fractus agebat
Aëtius. capto terrarum damna patebant
Litorio: in Rhodanum proprios producere fines
Theudoridæ fixum: nec erat pugnare necesse
Sed migrare Getis. rabidam trux asperat iram
Victor: quod sensit Scythicum pro mœnibus hostem
Imputat: & nihil est grauius (si forsitan vmquam
Vincere contingat) trepido. Postquam vndique nullum
Præsidium, Ducibúsque tuis nil, Roma, relictum est,
Fœdus Auite nouas, sæuum tua pagina Regem
Lecta domat. iußisse sat est te, quod rogat orbis.
Credent hoc vmquam gentes populíque futuri?
Littera Romani cassat quod Barbare vincis.

Vbi notandum est, quod ait Sidonius, nihil esse grauius timido, si fortè vmquam vicerit; Gothos naturâ timidos esse, sed victoriâ feroces & intolerabiles fieri solere indicans: idem Saluianum Presbyterum in libro VII de eodem bello loquentem dicere: nimirum *cùm Gothi metuerent, spem illos in Deo; Romanos in Hunnis posuisse: illísque datam esse in summo timore palmam, Romanis in summa elatione confusionem.* Ita Gregorius Turonicus Episcopus in libro II Historiæ scribit Alaricum Regem Gothorum, supradicti Theodorici nepotem, *metuentem ne propter Syagrium iram Francorum incurreret, (vt Gothis pauere mos est)* vinctum eum legatis Chlodouei tradidisse. idémque eodem in libro tradit, in Vogladensibus campis *secundum consuetudinem Gothis terga vertentibus;* Chlodoueum Francorum Regem victoriam tulisse. Hoc ideo notaui, vt Hispani, qui tantopere Gothis maioribus gloriantur, sciant hos esse eosdem Gothos, ex quibus in bello pauere, & timidè, vel (vt ipsi loquuntur) cautè ac prudenter se gerere, & terga vertere, & parua victoria tamquam re noua & insperata insolescere didicerint.

Non multo postquam bellum Gothicum finitum erat, Britanniæ pars ad Meridiem spectans, quæ iam inde à Claudio Cæsare Drusi filio in prouinciam redacta Romanis parebat, ab Anglis occupata est. Quomodo res

gesta sit, scire conuenit. Clemens Maximus primùm, deinde anno pòst XXVI Constantinus in Britannia à mi- cccc-ix.
litibus Imperatores facti, transmisso in Galliam exercitu Britannico & multa iuuentute numquam domum rediturâ, vacuam vicinis Barbaris insulam reliquere. quamobrem Prosper in Chronico scribit anno Honorij Principis quintodecimo, transgresso in Galliam Constantino cccc-ix.
Tyranno, præ imbecillitate Romanorum vires Britanniæ penitus esse attenuatas. & Zosimus Comes in lib. VI tradit postquam Cōstantinus in Galliam suas copias traduxit, Britanniam nudatam militaribus præsidiis Barbaris patuisse, neque postea eam insulam Romanorum fuisse. Igitur Britanni, cùm continuis Pictorum atque Scotorum incursionibus vexarentur, aduersus eos auxilia ab Aëtio Magistro militiæ petiere: quibus negatis (nam Aëtius finitimorum Barbarorum hoc est Vesigothorum bello in Gallia detinebatur) Vertigernum Anglos ~~glorum Regem~~ mercede accersiuere. Anglos gentem vetustam magis quàm claram Tacitus & Ptolemæus inter Sueuos in Germania ponunt, & ad mediam partem fluminis Albis pertinuisse dicunt. Hi ^ peruecti in Britanniam Pictos & Scotos represserunt, deinde vt honestam aliquam belli causam perfidiæ prætenderent, questi parcè sibi ac malignè depensum stipendium, in Britannos ipsos arma verterunt, ac pæne totam ab Oriente ad Occidentem insulam igni ferróque vastatam subegerunt. Hanc Britannis illatam cladem anno XVIII cccc-xli.
post Honorij obitum ait Prosper in Chronico: Beda & Marianus Scotus secundo imperij Marciani anno, hoc est Herculano & Sporacio Coss. ~~Miror autem qui An-~~ cccc-lii.
~~gli fuerint, à Prospero Saxones dici,~~ *Britanniásque in ditionem Saxonum redactas esse* scribi, tametsi enim eum Anglorum fines Saxones attingerent, & quidam ex ea gente Vertigernum in Britanniam sequi potuerint: tamen verisimile non est Britannos ab infestissimis hostibus ~~populatoribúsque insulæ auxilium expetiuisse.~~ Saxones quidem, eo ipso anno quo Germanus Autissiodurensis Episcopus in Britanniam profectus est, nimirum Florentio & Dionysio Coss. ante aduentum in in- cccc-xxix.

^ ex Peninsula Cimbrica, ubi una sedes habebant cum Saxonibus et Jutis,

ſulam Anglorum annis XII, regionem eius aliquam Pictis confinem obtinuiſſe videtur indicare Conſtantius de vita Germani, Britonibus, hoc eſt Britannis Romanæ ditionis, bellum ab Saxonibus & Pictis iunctis viribus illatum deſcribens. Sic igitur Britanniæ prouincias V, quæ Romanis Principibus paruerant, Angli occupauere: reliqua Picti, Scotíque incolebant. & cùm antea, vt Proſper docet, pars Britanniæ Imperio Romano ſubiecta, *Romana inſula*; pars à Pictis & Scotis habitata, *Barbara inſula* appellaretur: omnis Britannia Barbara inſula facta eſt.

CCCC-XLVIII Anno V ac viceſimo poſt Honorij mortem (vt ait Proſper in Chronico) hoc eſt Poſtumiano & Zenone Coſſ. Chlodione defuncto regnare in Francia cœpit Meroueus, quem alius Merouecum, alius Merouicum, alius Mereucum appellat. Hunc ex Chlodionis ſtirpe fuiſſe Gregorius ait quoſdam prodidiſſe: Aimoinus in libro I eiuſdem affinem tantùm vocat. Vetera Stemmata IV edidit Andreas Duchenius, vir rerum noſtrarum ac antiquitatum peritiſſimus, quorum vno & altero, nullâ Faramundi atque Chlodionis mentione factâ, origo Regum Franciæ ad Meroueum refertur: vt appareat eum Chlodionis filium habitum non eſſe. in tertio Stemmate Meroueum Regem, Chlodionis quidem ſucceſſorem, ſed Merouco quodam patre natum; in quarto verò Chlodebaudum Chlodione genitum inuenio: qui forſitan in libro II de vita Genulfi Chlodomeres nuncupatur, & Chlodioni ac Merouco Regibus medius interponitur. è contrario Fredegarius in Epitome, & qui vitas Sigeberti minoris ac Caroli Magni literis mandauere Monachi Meroueum Chlodionis filium fuiſſe dicunt. Addit Fredegarius vxorem Chlodionis æſtate cum viro in litore meridiantem lauandi causâ in mare deſcendiſſe, atque à bellua Minotauro ſimili, hoc eſt à marino homine vi compreſſam Meroueum peperiſſe: ne Alexandrum Magnum, Scipionem maiorem, & Auguſtum Cæſarem, Galeriúmque Maximianum dracone patre gloriatos miremur. Fredegarium ſequitur Sigebertus, ac Meroueum Chlodionis filium annos X regnâſſe ſcribit,
ab

ab eo fortiſſimo Rege Francos Merouingos eſſe cognominatos. vti & Rorico, & Hincmarus de vita Remigij, & Auctor libri de vita Sigeberti poſterioris prodidere. cùm Auctor quidam Hiſtoriæ Francicæ, tempore Gregorio proximus, Fredegarius Scholaſticus in Epitome, Eginardus, ac ceteri rerum noſtrarum ſcriptores Francorum Reges tantùm, viróſque generis regij à Merouco dictos Merouingos veriùs affirment: quos quidam Merouinchos, Merouincóſque; aliqui Meroueos appellant; & cæſariem barbámque immiſiſſe aiunt. Eoſdem in ſpina pilos ſetarum ſuillarum ſimiles naturalem ſtirpis notam habuiſſe; ob ídque Criſtatos, hoc eſt Τριχοραχάτους, ſeu hirtâ ſpinâ inſignes vocatos eſſe tradunt Landulfus Sagax in Hiſtoriæ Miſcellæ libro XXII, & Georgius Cedrenus de vita Leonis Iſauri, ambo Theophanem, quem Anaſtaſius tranſtulit, ſecuti, atque ſuſpecti, alter Græculus Franco nomini infenſus; alter (niſi fallor) Langobardus, in gratiam poſterorum Caroli Magni Merouingos deridens. Priſcus Panopolites de Regibus, qui eâ tempeſtate apud Francos regnauerunt, ita omiſſis ſingulorum nominibus ſcribit, vt rem ex dubia incertiorem faciat. quippe auctor eſt poſt Theodoſij iunioris interitum Attilam Occidentis partes petere ſtatuiſſe, vbi res ipſi foret non tantùm cum Italis, vt Honoriam Valentiniani Aug. ſororem, miſſo clàm per eunuchum anulo nuptias ſuas pactam, vxorem duceret: verùm etiam cum Gothis, vt Geiſerico Vandalorum Regi gratum faceret; atque cum Francis. belli autem Francis inferendi occaſionem Attilę obtuliſſe Regis eorum mortem, & de Regno inter eius filios ortam contentionem: ex quibus alter maior natu auxilia ab Attila accerſere decreuerat; alter Aëtium ſibi adiungere parabat. Minorem ait ſe Priſcus Romæ vidiſſe, quò à patre legatus venerat, imberbum adoleſcentem, flauâ comâ per humeros effuſâ conſpicuum: quem Aëtius honoris causâ per arma ſibi filium adoptauerit, & Imperator Valentinianus ac idem Aëtius iunctâ ſocietate atque amicitiâ proficiſcentem plurimis donis ſint proſecuti. Deceſſit verò Theodoſius minor Valentiniano

CCCCL. VII & Gennadio Auieno Coss. qui regni Merouei tertius est annus: itaut duos Regis Francorum, hoc est forsitan Chlodionis filios de Regno aliquot annos contendisse Priscus Sophista indicare videatur. At Meroueum Chlodioni successisse, siue eius filius natu minor; siue nepos; siue tantùm affinis fuerit, nullâ belli ciuilis mentione illatâ, nostri Auctores constanter tradunt: eumdémque Rorico tradit in opido Ambianorum Samarobriua, quam Chlodio regiam elegisset, Regem salutatum; virtutis prudentiæque ergô tantæ Francis venerationi fuisse, vt tamquam communis pater ab omnibus coleretur. Ceterùm non est quòd quis existimet Meroueum, ac multo magis Chlodionem nihil in Gallia tenuisse: quoniam vtrumque, vti Faramundum, *in Francia regnauisse* tradit Prosper in Chronico. quippe Chlodio & Meroueus, quòd paucos in Gallia, plurimos in Germania Transrenana pagos atque regiones, nimirum veterem Franciam obtinuere, in Francia regnâsse optimè dici potuerunt.

CCCCLI. Valentiniano VII & Auieno Coss. Flauius Theodosius minor, Arcadij filius, Theodosij maioris nepos, octiesdecies Consul, quoties ante eum nemo, Constantinopoli obiit quinquagesimo ætatis anno, relictâ Eudoxiâ vnicâ filiâ, quæ Valentiniano Aug. nupta erat. Hic nouem mensium infans ab Arcadio patre ad Hebdomon Augustus, non (vt ait Marcellinus) Cæsar creatus, imperauit cum patre & Honorio patruo annos VII, post parentis obitum cum Honorio annos XV, quo mortuo annis XXVII Imperium Orientis tenuit; Valentiniano amitino Augusto appellato, Occidentíque præposito. Theodosium hunc, amisso pæne omni Illyrico, & decrescente Imperio, prouinciarum quæ ipsi supererant ac Præsidum numerum auxisse suprà diximus: quod & antea patrem eius Arcadium Aug. fecisse, impulsu Eutropij eunuchi prouinciarum præfecturas auro vendentis, apud Claudianum in libro II in Eutropium queritur Oriens his versibus.

Aula choris epulísque vacat, nec perdita curat,
Dum superest aliquid. ne quid tamen orbe reciso.

Venditor amittat, prouincia quæque superstes
Diuiditur, geminúmque duplex passura tribunal
Cogitur alterius pretium sarcire peremtæ.
Sic mihi restituunt populos. hac arte reperta
Rectorum numerum terris pereuntibus augent.

Quare Innocentius, qui imperante Arcadio, & initio principatus Theodosij Ecclesiæ Romanę Episcopus fuit, in epistola ad Alexandrum Antiochensium Episcopum missa sciscitanti ei, *vtrum diuisis Imperiali iudicio prouinciis, vt duæ Metropoles fiant; sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari:* respondet Ecclesiam Dei commutari ac diuisiones perpeti non oportere. at nihilominùs Concilij Calchedonensis decreta docent Imperatorum exemplum imitatos esse postea quosdam Orientales Episcopos, qui Principis permissu vnam prouinciam in duas diuidebant, vt nouæ prouinciæ Metropolitani appellarentur. Vt autem appareat quales Hispani Imperio Romano Principes genuerint, fuit Theodosius clemens quidem, pius, patiens; sed non minùs patre & patruo ignauus & deses: numquam enim armatum exercitum vidit, nisi fortè cùm militibus ex aliqua expeditione reuertentibus obuiam extra portam Vrbis ex more egrediebatur: leuis idem, simplex, Monachi demum quàm Imperatoris similior, qui quotidie manè inter sorores suas psalmos canere solebat, & magis quartâ & sextâ feriâ ieiunia seruare quàm prouincias didicerat, meliùs libros legere quàm milites norat. Præterea exemplo Arcadij Barbaris, præsertim Hunnis, obnoxius fuit, & feminis ac eunuchis ita addictus, vt quemadmodum pater eius suasu Eutropij eunuchi Abundantium Consularem; impulsu Eudoxiæ vxoris Ioannem sanctissimum Constantinopolis Episcopum relegauerat, ipse in gratiam Dioscori & Eutychetis Hæreticorum Flauianum optimum ac piissimum eiusdem Augustæ vrbis Episcopum Chrysaphij spadonis impulsu in exsilium mitteret: adeo zelotypus, vt in vrbe Cæsarea Cappadociæ Paullinum Magistrum Officiorum falsò suspectum in Eudocia vxore sua iugulandum curaret, & ob eamdem causam (sicut puto) Seuerum Presbyterum ac

Ioannem Diaconum Hierosolymis ei ministrantes occidi iuberet. Sed quia Eudociæ incidit mentio, quam biennio post factas nuptias, & post genitam Eudoxiam
CCCC-XXIII. Mariniano & Asclepiodoto Coss. IV Nonas Ianuar. Augustam demum appellatam esse Chronicon Alexandrinum docet, dabit mihi veniam Lector, si eum morem obscurum & paucis notum illustrauero.

Animaduerto igitur à multis Imperatoribus coniuges nonnisi post expertam fecunditatem Augustas dictas coronatásque esse. Sic Caius Cæsar Miloniam Cæsoniam enixam vxorio nomine dignatus est, vti ait Suetonius Tranquillus. Sic Nero Claudius Cæsar Aug. (sicut tradit Cornelius Tacitus) natam sibi ex Poppæa filiã appellauit Augustam, dato & Sabinæ Poppææ eodem cognomine. & Flauius Domitianus Domitiam Longinam vxorem, ex qua in secundo suo Consulatu filiũ tulerat, altero anno consalutauit Augustam. Sic Eudoxiam, quæ Arcadio
CCC-XCV. Aug. nupserat Olybrio & Probino Coss. V Kalendas Maias, & duas filias iam pepererat; Stilicone & Aureliano
CCCC. Coss. V Idus Ianuar. grauidam Augustæ nomine honoratam esse supradictus Auctor Chronici Alexandrini prodit, cùm antea tantũ Nobilissima vel Nobilissima femina vocaretur. Sicut ex duobus nummis æreis, quos à Fittone Anglo Presbytero acceptos nuper publicauit magno vir ingenio Ioãnes Tristanus, in vno quidẽ Constantini Maximi vxor, credo antequam pareret, *Fausta N F*, hoc est Fausta Nobilissima femina; in altero eius filia, Iuliani Cæsaris coniux similiter *Helena N F* inscribitur. Denique in Historia Miscella inuenio Iustinianum Aug. cognomine Rhinotmetum, post receptum Imperium, Theodoram vxorem suam vnà cum filio Tiberio, quem ex ea tulerat, coronauisse, & Augusti nominis participem fecisse: & Mariam coniugem Leonis Isauri Aug. cùm Constantinum enixa esset, VIII Kalend. Ianuarias in Triclinio Augustam salutatam, coronatámque esse: atque Constantinum hunc ipsum, qui cognominatus est Copronymus, Eudociæ vxori suæ in Tribunali vndeuiginti accubitorum coronam & nomen Augustæ imposuisse, filiósque ex ea genitos Christophorum & Nice-

phorum Cæſares creauiſſe, Nicetam natu minimum nomine ad Cæſaris dignitatem proximè accedente Νωβελίσσιμον vel Επιφανέστατον, hoc eſt Nobiliſſimum appellauiſſe, & his chlamydes ac Cæſarianas galeas; illi chlamydem ſimiliter & coronam auream impoſuiſſe.

Antequam Theodoſiũ Aug. deceſſiſſe palam fieret, Pulcheria Aug. eius ſoror, ne Imperium amitteret, anus nubere conſtituit. confeſtim igitur Marcianum accerſit, atque ei, quem ipſa ex omnibus Senatoribus tanto faſtigio digniſſimum delegiſſet, Imperium promittit hac conditione, ſi ſe vxorem ducere & poteſtatis conſortem bona fide habere vellet. Erat Marcianus grauis & prudens ſenex, patre milite natus in agro Thraciæ Philippopolitano; primùm gregarius miles; deinde Imperatoris Domeſticus Protector, Aſparem Magiſtrum militiæ in bellum Vandalicum ſecutus; vnde à Procopio Domeſticus Aſparis vocatur: poſtea ad Tribunatum, Senatoriámque dignitatem peruenerat. qui inſperatâ fortunâ lætus ſe imperata facere paratum eſſe dixit, & ſeruandæ dignitatis virginitatíſque fidem dedit Pulcheriæ. Itaque Pulcheria Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Senatúmque, ac primores populi in ſuburbanum conuenire iubet, & ad ſeptimum ab vrbe Auguſta milliarium, quem locum ob id Græci Εβδομον, Latini Septimum appellant, in Tribunali Marcianum VIII Kalendas Septembres de ſententia omnium Imperatorem creat. Tum primùm miniſterio ſacerdotali in precatione agenda, & in coronando Imperatore vſos eſſe Romanos animaduerto. Sempérque poſtea Conſtantinopolitani Epiſcopi electionibus Imperatorum interfuerunt, ſæpe vt ſollemnem precationem tantummodò facerent, nonnumquam vt electos Principes etiam coronarent. Vti enim ſemper ante Marcianum, ſic non rarò poſt eius principatum Imperatores Romani ſuiſmet ipſi manibus diadema ſucceſſoribus ſuis impoſuere, purpurámque circumdedere. Marcianus poſtquam Auguſtus nuncupatus eſt, promiſſi memor ſtatim Pulcheriam A. virginem Deo deuotam, quæ tum quinquageſimum ſecundum annum agebat, imaginariis nuptiis du-


xit vxorem. Quæ cùm ita ſint, miror Marcianum in epiſtola ad Leonem Romanum Epiſcopum data Conſtantinopoli Conſulatu Valentiniani perpetui Auguſti de ortu ſuo ſic ſcripſiſſe, vt nulla Pulcheriæ auctoris ſuæ mentione factâ, *ſe ad maximum imperium veniſſe Dei prouidentia, & electione Senatus excellentiſſimi, cunctaque militia* diceret: quòd forſitan Imperatorem ſe à muliere factum fateri erubeſcebat. Fuit autem Marcianus vir Catholicus, & pius, atque admodum beneficus, quietus, & felix, qui cum Perſis Orientem vaſtantibus, & cum Vandalis omnia infeſtantibus maria pacem fecit; Attilæ minas compeſcuit; Nubáſque & Blemmyas, gentes Æthiopiæ, in Ægyptum tranſgreſſos per Florum Alexandriæ Procuratorem repreſſit. Sed intelligo me propoſiti metas exceſſiſſe, qui tamdiu in Orientis rebus immoratus ſim. in Occidentis tractus reuertendum eſt.

Paullo poſt Theodoſij Aug. mortem ſupradictis Va-
CCCCL. lentiniano VII & Auieno Coſſ. non (vt ait Hydatius) inſequenti anno Galla Placidia Aug. Theodoſij prioris ex Galla Gratiani & Valentiniani minoris ſorore conſanguinea filia, Valentiniani maioris neptis, ſoror quoque, amita, vxor, & mater Imperatorum Romæ V Kalendas Decembres obiit: virilis animi, optimi ingenij, magnarúmque virtutum femina, & regendo Imperio haud paullo magis quàm Valentinianus filius idonea. Ac mihi quidem Theodoſij maioris poſterorum virtutes & vitia perpendenti ſemper viſum eſt ambos eius filios Arcadium & Honorium, ambóſque nepotes Theodoſium iuniorem & Placidum Valentinianum, imbelles, timidos, ignauos, deſides, fuſo quàm iaculo torquendo aptiores, feminis ac eunuchis ſubiectos, Imperio denique indignos, ac malo publico natos fuiſſe: vt ex ſupradictis ſatis intelligitur. contrà eiuſdem Theodoſij filiam Gallam Placidiam, ac neptes Pulcheriam & Honoriam, proneptémque Eudoxiam, veluti ſexum cum maribus mutauiſſent, magno animo præditas, audaces, impigras, exſomnes, prudentes, Imperatorum ipſorum dominas magis quàm poteſtatis conſortes, & vt imperarent quiduis facere ac pati paratas fuiſſe. Quis enim Gallæ Placi-


diæ regium animum non miretur, quæ Ataulfum Vesigothorum Regem, à quo captiua cogi poterat, tamdiu procum aspernata est, nec nisi multis blanditiis & rationibus potuit expugnari? cui postea viduæ ac postliminio reuersæ, vt Constantio Magistro militum & Patricio secundum Consulatum ineunti nuberet, vix ab Honorio fratre persuasum est: quæ virum, quamdiu priuatus fuit, vt imparem spreuit, nec fratrem obtundere desiit, antequàm eumdem Imperatorem; ipsam Augustam; & communem amborum filium Nobilissimum appellauisset: quæ demum post Constantij mortem, mótis Rauennæ seditionibus Honorio Aug. fratri suo insidiata est: neque priùs quieuit, quàm eo mortuo per Theodosium Arcadij fratris filium reducta in Italiam, ac (vt loquitur Prosper) *tandem illata optato Regno*, Valentinianum filium Imperatorem, & omne Imperium Occidentis sibi subiectum vidit. Præterea tametsi res non successit, quis prudentiam Placidiæ non laudet Bonifatium euocatum ex Africa suspecto Duci æmulum opponentis, ac primò ipsum, mox Sebastianum eius generũ substituentis in locum Aëtij Magistri militum, cuius potentia nimia & grauis Reip. erat. Iam verò Pulcheriam Arcadij Aug. filiam, Theodosij neptem nemo abundè mirari potest, quæ virguncula vixdum quintumdecimum transgressa annum, cùm Flaccillam maiorem natu sororem haberet, Augusta appellari voluit; & Imperium, Theodosiúmque fratrem biennio tantummodò minorem tamquam infantem rexit; & ne imperare disceret, sub manu eum sua eunuchorúmque semper tenuit; parémque se Reip. gubernandæ esse credidit. Ea cùm ita integritatem pudicitiæ Deo deuouisset, vt consecrata velatáque nec esset nec esse vellet; sororibus suis vt similiter virginitatem seruarent persuasit, ne earum viros potentiæ socios aut æmulos pateretur: & Athenaida Leontij cuiusdam Atheniensis Philosophi filiam baptizatam appellatámque Eudociam fratri nuptum dedit, vt ipsa puellam formâ quidem, ingenio, & Poëticæ studio eminentem, sed genere obscuram pro collato beneficio obsequentiorem haberet. Eadem postremò post fratris obitũ virgo non solùm

quinquagesimum secundum iam annum agens, sed etiam deuota Deo, ne ex Augusta priuata fieret, nupsit, senémque & ignobilem in consortionem potestatis recepit, vt eo morigero omnibus in rebus vteretur. Quid de Honoria dicam Gallæ Placidiæ filia, Theodosij maioris nepte, quæ dimidiam partem Imperij Romani tamquam sibi à Constantio Aug. patre suo relictam, debitámque à Valentiniano fratre repetiit, eámque Attilæ armis occupare conata est, neque dummodò imperaret Barbarum virum fastidiit? Denique Eudoxia Aug. Theodosij minoris filia, vt viri sui mortem vlcisceretur, & facinus in Maximum auctorem vindicaret, Geisericum Vandalorum Regem in Vrbem recipere quàm Valentiniani interfectorem in torum suum maluit. Sed de his plura dixi fortasse quàm debui, præstat res Gallicas Francicásque persequi.

Paucis pòst annis, quàm Meroueus apud Francos regnare cœperat, Attila Hunnorum Rex cum magnis copiis Gallias ingressus est. De tempore huiusce expeditionis est inter scriptores controuersia. Tiro Prosper, Priscus Panopolites Sophista, seu Rhetor, Hydatius, & Cassiodorus Senator in Chronicis, quibus libens assen-
CCCC-LI. serim; Marciano Aug. & Adelphio Coss. Attilam in Gallia victum aiunt. contrà Auctor Appendicis Chronico Victoris Tununensis Episcopi adiunctæ, Herimannus, & Nicephorus Callistus in Historiæ Ecclesiasticæ libro XIV. ante Imper. Theodosij obitum Asturio & Pro-
CCCC-XLIX. togene Coss. in campis Catalaunicis pugnatum esse dicunt. Sed quoniam ad Attilam venimus longè maximum clarissimúmque omnium ætatis suæ Regum, de tanti viri maioribus pauca præfari conuenit.



HA-



HADRIANI VALESII

RERVM FRANCICARVM LIBER QVARTVS.



VNNI, qui & Huni, Scythica gens, ferè ignoti priſcis Auctoribus (nemo enim præter Dionyſium Characenum & Plinium eorum mentionem fecit) inter Pontum & ſinum Caſpium ſedes habuere, ac Septemtrionalia montis Caucaſi tenuere: à quibus Abares, Turci, Hungaríque ſunt orti. Chunos Auſonius, Claudianus, Proſper, Sidonius, ceteríque recentiores eos appellant: cùm tamen Ptolemæus in Europa inter Baſtarnas & Roxolanos Chunos ponat. Horum iuuentus multitudine innumerabilis Flauij Valentis principatu patriâ deceſſit: paludem Mæotin tranſiit tentatam antea nemini: Alanorum Tanaitarum multos interfecit; reliquos, vt ait Ammianus, pacto ſocietatis & amicitiæ ſibi adiunxit; vel ſi Iordani credere malumus, eos crebris certaminibus fatigatos ſubegit. inde Gothis, & Gipedibus partim multâ cæde ſubactis, partim expulſis: vſque ad Danubium imperium protulit. Quo fit, vt Procopium mirer in belli Gothici libro IV

tradere, cùm hanc paludem Hunni transierunt, iam tum Vandalos in Africa, Vesigothos in Hispania consedisse. Emigrantium finibus suis Hunnorum Rex erat Ba lamir, Iordani ac Sigeberto Balamber dictus, qui Winitharium Regem partis Gothorum acie victum occidit. Proximi post Balamirum simul regnauere Mundiucus, Attilæ pater, quem malè Nicephorus Numidium, aliqui Mundzucum appellant; & Huldes, is quem Zosimus in libro
CCCCI. V tradit Vincentio & Frauito Coss. capite Gainæ Gothi Magistri militum rebellis ad Imper. Arcadium misso munera accepisse, & pacem cum eo atque amicitiam iunxisse. Eumdem Hermias Sozomenus in libro IX & Nicephorus Callistus in XIII libro produnt initio principatus Theodosij rupto fœdere cum magnis copiis Danubium transîsse, & Castra Martis Mœsiæ opidum cepisse: vnde dum excursiones in Thraciam facit, à propinquis suis, & à plerisque ducibus ac militibus ad Romanos transeuntibus desertus amissâ magnâ multitudine Scirorum, qui agmen claudebant, trans flumen refugerit. Non desunt, qui hunc esse Huldin putant Hunnorum auxiliariorum ducem, cuius egregiâ operâ bello Radagaisi vsus est Honorius Augustus. Apud Olympiodorum Charatonem quemdam *Regum Hunnorum primum* dictum inuenio, quem, ob cædem Donati cuiusdam Subreguli iureiurando circumuenti ac iugulati à Romanis, irâ incensum donis placauerit Theodosius Aug. circa quartum imperij sui annum. Post hos regnum in Hunnis obtinuere Mundiuci fratres Octar & Roas, à Prisco Iordanéque ita dicti. quorum alterius nomen tantummodò nouimus: alterum Prosper ac Sigebertus Rugilam; Socrates in libro VII Rugam; Theodoritus in libro V ac Nicephorus in libro XIV Roilam appellant. Hic, vt suprà diximus, Ioanni Tyranno auxilia contra Valentinianũ misit: & Aëtium, ab Sebastiano Bonifatij genero expulsum ex Italia, reducendum curauit: ac quemadmodum Prosper in Chronico & Priscus tradunt, pace cum Theodosio pridem; cum Valentiniano recens initâ, domi morbo interiit anno XI ab Honorij
CCCC-XXXIV. morte, Aspare & Ariobindo Coss. Quamquam idem

apud Socratem, & Theodoritum, ac Nicephorum dicitur, cùm transito Danubio in Thraciam incursionem fecisset, populabundúsque regionem Constantinopoli excidium minitaretur, maximum exercitum amisisse partim pestilentiâ laceratum, partim tempestate & igneis turbinibus oppressum: ipse in primis fulmine ictus cecidisse.

Roæ patruo Attila & Bleda fratres successere, qui non contenti tributum duplicauisse, ac IↃCC auri libras Romanis Orientalibus imposuisse, cùm antea Octari & Roæ in annos singulos tantùm CCCL penderentur; CCCC.
Cyro Consule iunctis viribus in Illyricum erupere: XLI.
Naisum, Singidunum, Sirmium, plurimáque alia opida funditùs diruere: iterum insequenti anno Dioscoro CCCC.
& Eudoxio Coss. Illyricum, & Thracias sæuâ popula- XLII.
tione vastauere: vsque ad Athyram flumen, quod à Constantinopoli millia passuum XXIV abest, omnia castella, atque omnes vrbes cùm maritimas tùm mediterraneas præter Hadrianopolim & Heracliam cepere: tantúmque Theodosio Aug. terroris iniecere, vt exercitum aduersus Geisericum missum reuocauerit, ac nihilo minùs datis auri librarum millibus sex, & libris mille annuorum munerum (ita Romani appellabant) nomine promissis, pacem discessúmque eorum per legatos redimere coactus sit. deinde, vt est infida Regni consortio; Attila, Græcis Attelas dictus, Bledam fratrem insidiis circumuentum interficit, atque Regnũ eius suo adiungit: confirmatóque imperio Reges & populos suæ ditionis secum ducens Callepio & Ardabure Coss. omnes ferè, CCCC.
quæ in Europa iacebant, ditionis Theodosij prouincias XLVII.
depopulatur: vrbes castelláque expugnat ac excidit: Arnegisclum Magistrum militiæ in Dacia Ripensi circa flumen Vtum obuium prœlio vincit, atque occidit: peragratáque Macedoniâ atque Thessaliâ vsque ad Thermopylarum angustias peruenit. quemadmodum Marcellinus in Chronico memoriæ prodidit. quamquam Iordanes & Græcus quidam Fastorum Auctor, qui mendosè Anargiscum eum Ducem vocat, apud Marcianopolim pugnatum esse, occupatúmque id opidum dicunt.

His Coss. anno XXIV post Honorij Aug. mortem non minùs LXX ciuitates ab Hunnis direptas atque vastatas, cùm nullam Valentinianus Theodosio socero opem ferret, Prosper in Chronico tradit. Præterea Priscus scribit ab Attila depopulatum agrum Mœsiæ cognomine primæ, & Daciæ Ripensis rectâ Istri regione à finibus Pannoniæ superioris ad Nouas opidum Mœsiæ secundæ pertinuisse, & in longitudinem millia passuum circiter CCLXXX; quà recedebat à ripa, V dierum iter expedito patuisse, ac aliquamdiu Attilâ coli eũ vetante vacauisse: Attilámque, quem & Regalem Scytham vocat, à Theodosio Aug. atque à Senatu Magistrum militum Romanorum esse appellatum, vt non ei tributa pendere, quæ tum auri pondo duûm millium centenûm erant, sed tamquam Duci stipendia soluere viderentur. tenuisse autem Attilam non solùm omnem Scythiam, & quasdam in Oceano insulas; sed etiam ex legibus pacis cum Aëtio initæ prouinciam Sauiam, & (sicut Eugepius quoque de vita Seuerini, Iordanésque ac Gregorius docent) vtramque Pannoniam. ex quibus Iordanes secum ipse pugnans ait Ostrogothis post Attilæ mortem domo eiectis ac profugis ab Imper. Marciano Pannoniam condonatam. idémque præter Scythiam & Sarmatiam Europæam tradit Daciam antiquam illam vltra Danubium iacentem, & *Regna Germanica*, hoc est Quados, Marcomanos, reliquásque gentes Germaniæ, Sarmatis & Danubio proximas, sub ditione Attilæ fuisse.

Hic tot tantarúmque nationum ac Regum Rex, Regis etiam pater, (Ellacem enim maiorem filium Acatziris genti Ponticæ Regem præposuerat) cùm Theodosium opésque Orientis exactione grauium tributorum, crebris incursionibus, & legationibus exhausisset, arma in Occidentis partes vertere constituit. Materiam belli præbuit Honoria soror Valentiniani Augusti maior natu, patruo magno auunculóque cognominis, tres tum & triginta circiter annos nata: quam aliquot antè annis ex Eugenio Procuratore suo grauidam cùm frater Palatio expulisset, &, vt ait Iordanes, clausam seruari iussisset, (nam falsò Theodosio Principi missam Marcelli-

nus dicit) Eugeniúmque mandâsset interfici : puella vltionis ac licentiæ peccandi cupida, nec minùs dolore quàm libidine accensa clàm Attilam per fidum eunuchum inuitauerat, vti in Italiam transiret, eíque nuptias pollicita erat. Quamobrem Attila legatos ad Valentinianum misit, qui Honoriam vt traderet peterent, & anulum datæ fidei pignus dubitanti monstrarent, diceréntque nullam puellæ iniuriam fieri, quam sibi ipse vxorem despondisset. itaque Valentinianum dimidia parte Imperij, quam ab Constantio Augusto hereditario iure Honoriæ filiæ relictam inuasisset, sorori sibiq; cedere æquum esse. nî fecisset, eius vlciscendæ causâ se in Italiam venturum. Legatis Valentinianus respondit Honoriam Attilæ nubere non posse, propterea quòd iam alij nupsisset: (videtur tum Honoria viro collocata fuisse, ne ab Attila ampliùs peteretur) nihílque ad eam pertinere Imperium Romanum, quod virorum, non feminarum esse consueuisset. Iterum legati cum eisdem mandatis ad Valentinianum missi eadem ad Attilam responsa retulere. Iordanes duarum aliarum legationum mentionem facit, alterius ad Valentinianum Aug. alterius ad Theodoricum Vesigothorum Regem ab Attila missarum, vt faciliùs vtrosque imparatos & distractos opprimeret: aítque Attilam ad Imperatorem scripsisse nequaquam sibi cum eo, quocum factam pacem sincerâ fide custodiret, & cui Galliæ ac Hispaniæ prouincias dudum amissas armis restituere pararet; sed cum Theodorico communi vtrorumque hoste esse certamen: contrà Theodoricum per litteras hortatum esse, vt inter eum ac Valentinianum initam societatem dirimeret, memórque belli atrocis paullo antè ipsi à Romanis illati Aëtium securum, & Gallias aggrederetur: se in Italiam eodem tempore erupturum. Attilam autem aduersus Theodoricum multis muneribus concitauerat, & velut currenti calcar addiderat Geisericus Rex Vandalorum, qui Theodorici filiam Hunerico filio suo nuptam, ob suspicionem comparati ab ea veneni naribus auribúsque amputatis deforme ac miserandum spectaculum Tolosam remiserat, & ne pater puellæ in-

iuriam vlcisceretur, non immeritò timebat.

Igitur Attila quammaximis poterat coactis copiis profectus Pannoniâ, per agrum Quadorum & Marcomanorum ditionis suæ populorum, ac per Toringos, quorum multos sibi voluntarios adiunxit; tetendit in Cattos, & Bructeros: hi Franciæ pagi erant. Vbi quid rerum egerit, & de Regno contendentibus fratribus, Regis Francorum mortui filiis, an maiori, à quo (vt ait Priscus) erat accersitus, contra minorem auxilium tulerit, veterum Auctorum negligentia scire nos prohibet. tantùm Childericum Merouei filium ab Hunnis vnà cum matre captum esse, & Wiomadi cuiusdam Franci operâ profugisse Fredegarius tradit. Vtcumque Attila se in Francia gessit, certè non paucos & ex ea regione sibi socios adsciuit: inde ad flumen Renum peruenit, atque monoxylis lintribus, quas in Hercynia silua ex singulis arboribus cauari, ac in plaustra imponi ad eum vsum paratas iusserat, exercitum traiecit. Sequebantur Attilam (vt Sidonius in Carmine VII, & Paullus in Historiæ Miscellæ libro XV produnt) subiectæ ei nationes, Hunni, Gipedes, & Ostrogothi, hi Ardarico; illi Valameri Regibus Hunnorum tributariis parentes: Alani; Bastarnæ, Turcilingi, Sciri, Eruli, Rugi, Bellonoti à Valerio Flacco in Argonauticôn libro VI Ballonoti dicti: Sarmatæ; Burgundiones, Sarmatica gens, Gothis Alanísque confinis; Quadi; Marcomani; Sauienses, quos Suauos appellant: & inter voluntarios Toringi; Franci accolæ fluminis Vicri, & qui Francis annumerabantur, Bructeri. Omnium numerus (si Iordani & Sigeberto creditur) quingentorum millium, aut etiam multo pauciorum magis quàm, vt ait Paullus, septingentorum fuit.

Cum tanta multitudine vbi Renum transiit Attila, fingit se belli Vesigothis inferendi causâ in Galliam venisse; fidémque pacis cum Imperatore Valentiniano factæ seruare, nec priusquàm Aquitaniam intrauerit, ferrũ stringere sibi in animo esse. ita vrbes Galliæ partim dolo & simulatione pacis; partim vi capit. Diuodurum Mediomatricorum opidum Hunnorum sæuitiam aut primum, aut in primis expertum est: opidani, cùm Pascham per-

uigilio celebrarent, trucidati: Presbyteri ante altaria interfecti: vrbs direpta, ac exceptâ Ecclesiâ Stephani Martyris tota incensa: Augusta Treuirorum diruta, magnâ inde prædâ priùs egestâ: Aduaca Tungrorum funditùs euersa, agríque populati: Durocortorum Remorum, post annos XLIII quàm ab Alanis & Vandalis captum fuerat, iterum excisum, ac Nicasius Antistes (vti Sigebertus scribit) cum Eutropia sorore plurimísque aliis cæsus: quem plerique Honorio Principe à Vandalis necatum dicunt. Augustobonæ Tricassium opido pepercit Attila Lupi Episcopi precibus motus, & cæde paucorum, quos vir sanctissimus pro ciuibus vitam precatum miserat, reliqui seruati sunt: quod Attilâ domum redeunte quidam factum esse putant. Autissiodurum à Barbaris incendiis vastatum, atque ibi Fraternus eo ipso die, quo Sacerdos factus erat, iugulatus: quem tamen apud Vsuardum Confessorem appellari video. Denique regiones inter flumen Renum ac Ligerim pleræque vexatæ & perditæ: in omnibus pæne vicis, castellis, opidis omnia barbaræ feritatis, auaritiæ, libidinis exempla edita: donec Attila ad Aurelianos peruenit, & castra ante vrbem posuit, cuius expugnatione apertâ sibi Aquitaniâ, Theodorici Regis fines ingressurus, ac priùs Vesigothis quàm Romanis bellum illaturus videbatur. Præsenserat hanc tempestatem Annianus Aurelianensis Episcopus, summæ vir prudentiæ, ac sanctitatis singularis, & Arelate ad Aëtium venerat auxilium postulatum, dimissúsque cum pollicitatione opis bonum animum habere opidanos; muros, portas, & propugnacula reficere; turres tormentis ac telis complere; omnia demum ad defensionem vrbis parare iusserat. Et Aureliani quidem, quamquam murus vndique arietibus pulsabatur, oppugnationem strenuè sustinendo totam nubem belli detinebant. Aëtius autem promissi memor, dimissis quoquouersùs legationibus, copias cogere, & obsessis succurrere maturabat. Venerat ille ex Italia in Galliam cum paucis militibus, iam Attilâ Galliam Belgicam ingresso, ratus Theodoricum secum vires & castra iuncturum: quem vt comperit in Regno suo subsistere, aduentúmque

ibi hostium exspectare statuisse, Auitum Aruernum nobilissimum virum ad eum misit. Erat Auitus magnâ apud Vesigothos propter vicinitatem gratiâ, legationémque fauorabilem contemplatio communis periculi faciebat. itaque Theodorico Regi, qui ab Hunnis per Aëtium mercede accersitis bellum sibi illatum recordabatur, facilè persuasum est, vt Reipublicæ, cuius membrum tenebat, opitularetur, & cùm Aëtio celeriter sese coniungeret. quo facto ambo cum omnibus copiis ad Aurelianos proficiscuntur. tum fortè Annianus in castra hostium supplex ierat, & pro opidanorum libertate Attilam deprecatus repulsúsque, postridie VIII Kalendas Iul. ne per vim opidum expugnaretur portas aperiri iusserat. Iámque proceres Hunni intromissi incolas cum suis quemque coniugibus & liberis inter se sortiebantur, ac prædam in plaustra imponebant: cùm Romani atque Vesigothi interueniunt, ac Barbaros inopinantes opprimunt. fit magna cædes: plerique, qui vrbem ingressi erant, interficiuntur: multi in flumen Ligerim compulsi gurgitibus hauriuntur: reliqui fugâ salutem petunt. vt appareat verum esse, quod Sidonius in libri VIII epistolâ XV, & Auctor libri de vita Anniani dicunt vrbem Aurelianorum ab Attila *obsessam, oppugnatam, irruptam, neque tamen direptam* fuisse. Quamquam Gregorius, Acta Anniani superiorum dissimilia secutus, in Historiæ libro II tradit quassato & labante crebris arietibus muro, Aëtium Patricium ac Theodoricum Vesigothorum Regem ad opidum Aurelianorum deimprouiso peruenisse, & Hunnis repulsis atque fugatis opidanos obsidione exemisse. Corrigendus est hoc loco error Sigeberti, qui Cossionem Vasatium ait diu obsessum ab Attila Hunnorum Rege; quem constat non vltra Aurelianos processisse, & solutâ obsidione retro in Galliam Lugdunensem rediisse.

Aëtius Aurelianis tanto periculo liberatis Sangibanum Alanorum Regulum cum valido præsidio præposuit; neque hostes perterritos insequi, & quamquam opportuna esse occasio rei bene gerendæ videbatur, fortunam periclitari voluit: quòd antequàm prœlio conten-

tenderet, variarum gentium auxiliis per legatos accersitis adiungi cupiebat. quippe exspectabat præ ceteris (vt ait Iordanes) copias Francorum, Sarmatarum, Armoricianorum, Liticianorum, Burgundionum, Saxonum, Ripariolorum, Brionum. Francos quidem in auxiliũ Romanis venisse Paullus Langobardus quoque in rerum Romanarum libro V, & Auctor libri de vita Sigeberti Regis Dagoberti filij tradunt, quos (sicuti Gregorius & Sigebertus scribunt) Rex gentis Merouęus adduxit. Sarmatiam autem Europæam non omnem Attilæ fuisse indicant supradicti Sarmatæ, accolæ fluminis Vistulæ, qui Aëtio Magistro militum opem tulerunt, & quemadmodum Saxones; nauibus in Galliam venerunt. Ceterùm non est, quòd quisquam miretur Armoricianos, siue Armoricos ab Iordane inter auxiliarios numerari. cùm Zosimus in libro VI prodat, effusis per Gallias Germanis, omnes Armoricos, & nonnullas alias earum regionum præfecturas atque gentes; quòd nullum in Imperatore Honorio, & Constantino Tyranno ipsis esset præsidium, defecisse: eiectísque ob iniquitatem magistratibus Romanis & tributorum exactoribus Rempublicam suo arbitrio constituisse. Quare principatu Valentiniani Aëtius Magister militum primò Litorium cum Hunnis mercede accersitis; deinde aliquot pòst annis Eocharicum Alanorum Regem in Armoricos rebelles immisit. vt appareat eos, tamquam liberos & iuris sui populos, non iussos; sed rogatos auxilia contra Attilam Aëtio misisse. Idem de Ripariolis dicere conuenit, qui Galli incolentes circa ripam Reni ac fluminis Ruræ, vbi Bonna, Colonia Agrippina, Iuliacum, & Marcodurum sunt; cùm continuis Francorum incursionibus vexarentur, nullúmque in Romanis sibi præsidium positum esse intelligerent, Armoricos imitati ab eorum imperio defecerunt, ac suis legibus vti instituerunt, se suáque à Francis domesticis viribus defensuri: quos posteà nostri Auctores pro Ripariis Ripuarios, ac Ribuarios mendosè vocauerunt. Denique Briones, vt ait Iordanes, antea Romanæ ditionis, tum iuris sui gens; hi sunt, quos Senator & Fortunatus Breones, veteres Geogra-

phi Breunos appellant, atque in Vindelicia ponunt. Quamquam Sidonius in Carmine VII, & Hydatius in Chronico tradunt Noricos & Vindelicos, qui rebella-
CCCC. XXX. uerant, anno VII post Honorij Aug. mortem Theodosio XIII & Valentiniano III Coss. ab Aëtio Magistro militiæ subactos perdomitósque esse. Liticianos apud Iordanem in libro I diximus nobis videri Lætos esse vel Letos, qui cùm alibi, tum in pago Letico ad flumen Letiam, cuius pagi in rebus gestis Philippi Augusti Francorum Regis fit mentio, sedem habuere: tum autem Meroueus Rex terras Leticas in prouincia Belgica secunda vltra flumen Suminam iacentes obtinebat. quamobrem Liticiani, hoc est Leti, tamquam Francis parentes inter auxilia Aëtij à Iordane numerantur. His animaduersis ad ordinem reuertor.

Postquam tot gentium nationúmque auxilia conuenerunt, iam non impar hostibus Aëtius prœlio decertare constituit. Præerat Aurelianis (vt diximus) præsidióque ibi relicto Sangibanus Alanorum Rex. is siue euentum pugnæ Romanis exitiabilem futurum arbitratus; siue clàm per populares solicitatus ab Attila promissis, vrbem se suósque traditurum promisit. quâ re cognitâ præuenerunt inceptum vtriusque Theodoricus ac Aëtius, & munitâ vrbe, eductísque ex eadem Alanis, ad Attilam tum per Galliam Lugdunensem & Belgicam vagantem contenderunt, atque in campis Catalaunicis contra eius castra consederunt. Campi Catalaunici Tetricianâ clade nobiles vltra flumen Matronam iacent, quos Iordanes Priscum secutus Mauriacos vocat, aítque in longitudinem leugas centum; hoc est CL millia passuum, in latitudinem septuaginta patere. Antequam prœlium hîc committeretur, accidit res digna memoriâ. Manus Francorum Aëtianorum Gipedes & numero & virtute pares noctu improuisò obuios habuit. haud aliàs vehementius vtrimque ac pertinacius initum certamen. quippe quasi vir virum legisset, mutuis ictibus omnes ad vnum occubuêre: nec ex omni eo Francorum ac Gipedum numero, qui fuit quindecim millium, quisquam superfuit. Erat in supradictis campis mons, quem qui teneret, loci

opportunitate superior futurus videbatur. Eius montis summum iugum Aëtius ac Thorismodus Theodorici Regis filius cùm celeriter adscendissent, & firmo præsidio occupauissent, Hunnos eôdem subeuntes facilè deiecêre. quo incommodo perturbatos milites suos Attila oratione confirmat, & quamquam deterrentibus Haruspicum responsis circiter horam nonam prœlium committit. Læuo cornu Valamerem; dextro Ardaricum præposuerat: mediam aciem ipse cum Hunnis tenebat. Aëtius autem in sinisteriore cornu; Theodoricus in dexteriore erant: Alanos, ac Sangibanum Regem in medium agmen contulerant, vt vir suspectus inter Romanos ac Vesigothos positus, spe fugæ atque transitionis sublatâ, necessariò pugnare cogeretur. Fit prœlium atrox, multiplex, cruentum, pertinax; Hunnis de gloria, Romanis de libertate pugnantibus. Theodoricus Rex, dum ad cohortandos suos in omnem partem decurrit, ex equo deiectus iumentorum vngulis obteritur: aut, vt quidam dicunt, sagittâ ab Andage Ostrogotho Amalæ stirpis emissâ configitur. Quàm acriter vtrimque pugnatum sit ex eo colligi potest, quòd vix intempesta nox certamen diremit. quippe Vesigothi, nondum Regis morte cognitâ, abrupti ab Alanis mediam Hunnorum aciem inuaserant: magnúmque adisset periculum Attila, nî dux prouidens receptui cani iussisset, & suas copias reduxisset in castra, vbi pro vallo plaustra obiecta, & sagittariorum præsidia ad defendendos aditus disposita erant. Thorismodus natu maximus Theodorici Regis filiorum, ratus ea castra sua esse, cæcâ nocte ad hostium carpenta & stationes accessit, fortitérque dimicans capite vulnerato equo deiectus, atque ab suis ex periculo ereptus est. similiter Aëtius inter medios hostes versatus vagus, & ignarus quæ fortuna Vesigothorum fuisset, tandem sicut & Thorismodus, in castra peruenit. ibi dispositis scutatorum stationibus atque custodiis reliquum noctis egerunt.

Postero die primâ luce fœda strages spectaculo Aëtianis fuit. iacere corpora totis campis vident: amnem exiguum ac ignobilem, qui agros secabat, sanguine intu-

muisse: Attilam quoque castris sese tenere, & armorum sonitu cantúque signorum fiduciam ac eruptionis faciendæ consilium simulare. tum demum vicisse se intellexerunt. Vesigothi Theodoricum Regem inter aceruos corporum conquisitum ac inuentum, sub hostium oculis, comitantibus Thorismodo ac Theodorico filiis, cum insignibus regiis extulerunt & sepeliuerunt, funúsque eius more patrio cantu lugubri & lacrimis celebrauerunt. Iustis Theodorico solutis Thorismodus ibidem Rex à suis salutatur: cúmque vlcisci patris mortem cuperet, Aëtium adit, ac quid faciendum esset exquirit. Is veritus, ne Vesigothi Hunnis occidione occisis, remotóque potentissimi hostis metu, Romano Imperio graues forent; Thorismodo persuadet, vt celeriter Tolosam regrediatur: ne eius fratres, qui domi remanserant, (quatuor autem remanserant Fredericus, Euricus, Rotemerus, & Himmeritus) pecuniam regiam, ac Regnum patrium occupent. idémque (vt ait Gregorius) cum Meroueo Francorum Rege simili agens dolo effecit, vt confestim se in Regnum reciperet. ipse lectis spoliis Arelate; Attila cum cladis reliquiis domum rediit. Thorismodus postea aurea gemmatáque lance quingentûm pondo ab Aëtio donatus est. Attilam Vesigothorum, ceterorúmque discessu cognito insidias veritum diu castris sese cõtinuisse auctor est Iordanes, nec priusquàm diuturnum silentium omnem dubitationem profectionis hostiũ expulisset, extra vallum egredi ausum esse. Apparet ergo fabulosum esse, quod in Hydatij Chronico, quale illud Iosephus Scaliger edidit, inuenimus; Theodoricum Regem apud Aurelianos contra Attilam pugnauisse, & cum ipso Vesigothorum millia CC; Hunnorũ CL millia cecidisse: deinde in Tricassium finibus circa Mauriacum (quod opidum ad ripam Sequanæ positum nunc Meriacum vocatur) Thorismodum cum Attila dimicauisse, & certamine toties nocte diremto ac luce repetito, infinitum numerum Barbarorum occisum esse: Aëtium Patricium instructum Francorum auxiliis Hunnos discedentes vsque ad Toringiam procul insecutum, noctu ignes in castris plurimos fieri iussisse, vt immensæ mul-

titudinis speciem præberent. Nec verius est, quod scribit Damascius in libro de vita Isidori Philosophi, commisso ad vrbem Romam prœlio inter Romanos & Scythas, hoc est Hunnos, quos Attila ducebat, tantam vtrimque cædem esse factam, nemo vt cùm Romanorum tum Barbarorum præter Duces paucósque eorum stipatores ex pugna superfuerit: cúmque pugnantes multis acceptis vulneribus cecidissent, corporibus defatigatos ac iacentes, animis nihilo segniùs stetisse, ac triduo tribúsque noctibus certamen continuasse. Errat similiter Nicephorus Callistus, cùm in Historiæ Ecclesiasticæ libro XIV tradit Theodoricum ac Aëtium improuisò Attilam vltra Danubium castra habentem adortos, multa hominum millia interfecisse: Attilámque, quem Gothum fuisse, & nihilominùs à Gipedibus genus duxisse ait, hasta confossum; Theodoricum ipsum sagitta confixum occubuisse. Hic fuit exitus magni illius prœlij, quo in prœlio grauem vtrimque cladem acceptam, & *neutris cedentibus inæstimabilem stragem factam* Tiro Prosper scribit; Hunnósque eo victos habitos esse, quòd amissâ pugnandi fiduciâ qui supererant celeriter domum redierint. Hydatius millia hominum ferè CCC; Iordanes ac Freculfus CLXV; Paullus Langobardus ac Sigebertus millia armata CLXXX cecidisse dicunt. quo in numero cæsorum ineundo Paullus à Iordane dissentire nemini videri debet. quippe alter XV millia Gipedum ac Francorum excipit: alter hos quoque ceteris in nouissimo prœlio interfectis annumerat. Ex quo intelligitur Attilam non copias Darij aut Xerxis exercitibus numero pares, sed longè pauciora quàm quingenta armatorum millia in Galliam adduxisse. cùm post prœlium nec è castris erumpere obsessus; nec Aëtium Vesigothorum Francorúmque discessu multo infirmiorem factum aggredi; nec Galliarum prouincias peruagari ausus sit: idémque apud Gregorium *cum paucis* domum reuertisse dicatur: cui, si initio belli IↃ millia hominum habuit armata; tametsi apud Ligerim Hunnos non paucos, & in Catalaunicis campis vtrimque millia CCC cecidisse credamus: tamen ex vtroque prœlio plura quàm ducenta

millia Barbarorum superesse oportuit. Præterea ex his quæ suprà diximus, intelligi potest quantis copiis Franci, atque Vesigothi in auxiliũ Romanis venerint. siquidem Aëtio ipsi, cui opem ferebant, suspecti timendíque præ multitudine, & hac re nondum confecto bello tamquam graues socij, metu nouarum rerum Meroueo ac Thorismodo Regibus iniecto, ociùs dimittendi fuerunt.

CCCC. LII. Insequenti anno Herculano & Sporacio vel Sphoracio Coss. Attila, clade in Galliis præter spem accepta furiatus, celeriter reparatis copiis per Pannoniam & Noricum in Italiam contendit, vt cum loco belli fortuna mutaretur. Crederes non Hunnos paullo antè à Romanis; sed ab Hunnis victos esse Romanos. ita alteri fracti; alteri irâ, & vlciscendi ignominiam cupiditate ferociores facti erant. Certè Aëtius, qui manus cogere, & angustas Alpium Iuliarum fauces, vnde subeuntes Barbaros facilè propellere potuisset, valido præsidio occupare debuerat; re improuisa perterritus eo magis quòd ab hoste recens fuso fugatóque nihil tale metuendum existimauerat, relinquendæ Romæ ac Italiæ petendæque Galliæ consilium cepit: atque Imperatori Valentiniano suasit, vt vnà secum ex Vrbe profugeret. quod cùm turpe ac periculosum videretur, vicit pudor timorem, creditúmque est opulentissimarum prouinciarum populatione posse sæuitiam hostium & auaritiam expleri. Igitur Attila Alpes Iulias, quæ Italos ab Noricis diuidunt, vacuas præsidio transgreditur: & per Carnorum regionem, quæ tum Istriæ iuncta Venetia inferior dicebatur, itinere facto ad Aquileiam coloniam peruenit. Erat Aquileia posita ad amnem Natisonem, & ab Hadriatico mari millia passuum XII distabat: vrbs situ & mœnibus ingentis operis munita, armis atque viris valida, magnitudine, commercio, monetæ officina, gynæceo, ac Veneticæ classis statione insignis. Eam vrbem, frustra quondam non à Barbaris modò; verùm etiam ab Imperatoribus Romanis obsessam, Attila diu circumsedit, admotísque muralibus machinis, & omni genere tormentorum acriter oppugnatam, defensámque pertinaciter tandem vi cepit. propugnatores, opidaníque partim interfecti;

partim capti sunt: vrbs direpta, incensa, ac funditus diruta: vix vt vllum eius hodiéque vestigium exstet. mox eodem impetu Concordia excisa: Altinum deletum: Patauium quoque, Vicetia, Verona, Brixia Venetiæ vrbes flammis ferróque vastatæ. Hunni deinde nondum Romanorum opibus expleti, & sanguine satiati in Italiam Transpadanam, quæ tum Liguria appellabatur, perueniunt: Bergomum capiunt: Mediolanum caput Liguriæ, quondam Imperatorum domum éruunt: Ticinum, Regiam vrbem à Paullo Langobardo dictum, quòd ea postea Regibus Langobardorum sedes fuit, ac proxima loca, æquant solo. abest autem Ticinum à mansione Adrante Italiæ Noricíque confinio millia passuum circiter CCCL. Elatum successu Attilam, & iam circumactis suis copiis Romam petere cupientem ab eo consilio deterrere cœperunt principes amicorum, veriti ne quod Alarico Gothorum Regi acciderat, expetentibus pœnas Romæ direptæ Diis patriis, paullo pòst captam Vrbem morbo interiret. Dum ergo incussa superstitio moratur impetum, Réxque dubius de Roma secum in vtramque partem deliberat: idipsum metuens Imper. Valentinianus, cui ad prohibendum vires deerant, communi consilio Senatus populíque Romani Leonem Episcopum Romanæ Ecclesiæ, Gennadium Auienum Consularem Coruinorum genitum familiâ, Abienum quibusdam dictum, & Trygetium præfectura & legatione ad Vandalos functum legatos ad eum misit, qui pacem peterent. Fuit aduentus legatorum non ingratus Attilæ tum in agro Venetorum Ambuleio ad Mincium castra habenti: quòd vt mandata; sic pecuniam Imperatoris, quâ vnâ pelli poterat, ad ipsum deferebant. itaque Barbarus muneribus magis quàm verbis precibúsque placatus (quamquam id Historicos dicere puduit) pacem supplicibus dedit, suósque abstinere cædibus & incendiis iussit, ac per eadem vestigia quà venerat Daciam Transdanubianam repetiit, antequam legatos dimitteret, sæpe minatus grauiorem se Italiæ cladem illaturum, nisi Valentinianus sororem suam Honoriam sibi vxorem, vnáque partem opum regalium ei debitam mitte-

ret. Pacem tum non ſolùm pecuniâ datâ, ſed etiam pacto penſionis ſtipendij redemiſſe Romanos indicat Iordanes, apud quem equites Hunni næniam canentes dicunt Attilam *vtrumque Orbis Romani Imperium captis ciuitatibus terruiſſe*, & ne reliqua diriperet, *placatum precibus annuum vectigal accepiſſe*. Et ita quidem, vt ſuprà diximus, Tiro Proſper, & Iordanes Priſcum auctorem Attilæ æqualem ſecutus de eo bello ſcripſere. Ex quo apparet falsò Hydatium dicere vrgente fame, & ingruentibus morbis, atque militibus, qui ab Marciano Principe miſſi auxilio Italis venerant, ſéque Aëtio Duci adiunxerant, Attilam pacem cum Valentiniano feciſſe, ac ſe in ſuum Regnum, quod ab alio Marciani Auguſti exercitu vaſtari compererat, recepiſſe. Nec meliùs Conſtantinus Porphyrogennetus in præceptis de regendo Imperio ad Romanum filium, Attilam Abarum Regem appellat,
IↃLXIV. qui Hunni Abares anno imperij Iuſtiniani XXXVII, poſt Conſulatum Herculani & Sporacij CXII Romanis primùm noti eſſe cœperunt: eumdémque ait ad vrbem Romam, atque in fines Calabriæ perueniſſe; quem haudquaquam Padum flumen tranſiiſſe conſtat. Notandum tamen eſt, quod Conſtantinus eodem in libro ac loco tradit, Attilâ Italiam depopulante, ſeu potiùs finibus Italiæ appropinquante, cùm pleræque vrbes ac opida ab incolis deſererentur; multos ex Aquileia, Concordia, Iuſtiniana, & ex caſtro Noni, quod mutatio ad Nonum in Itinerario Hieroſolymitano vocatur, (addere potuit ex Altino, Patauio, Opitergio) perfugiſſe, & in incultas inſulas Venetico litori adiacentes, nimirum Riuum altum, Gradum, Romatinum, Liquentiam, Madaucum, vel Meduacum, foſſam Clodiam, & Lauretum ſe recepiſſe, ac ſtructis tuguriis ibi conſediſſe, eámque Venetiæ, vrbis notiſſimæ & maximæ, originem fuiſſe. Sanè Proſper in Chronico prodit, Attilâ petente Italiam, *incolas motu ſolo territos eam præſidio nudauiſſe*, quod de alia re quàm fuga Italorum intelligi non poteſt. Venetiam autem, vel (vt alij vocant) Venetias non tamquam vrbem, ſed tamquam inſulas à nautis & mercatoribus vimineas caſulas per ma-

re

re ſparſas ac plurimas naues habentibus, ſolo piſcatu viuentibus, & ſalinas exercentibus habitatas primus (ſicuti puto) deſcripſit Caſſiodorus Senator in libri XII epiſtola XXIV, qui Auctor anno quinquageſimo poſt exciſam Aquileiam florebat. eiuſdémque opidi poſtea à Paullo Langobardo, & à ſcriptoribus rerum geſtarum Caroli Magni fit mentio.

Sed non poſſum non mirari, quòd Ioſephus Scaliger Iulij Cęſaris filius in Commentario operis Catulli ſcribat Attilam, quem Regem Hungarorum, gentis ante Arnulfi principatum eo nomine nequaquam notæ, malè & impropriè appellat, cùm in Italiam erupiſſet, ab Theoderico Scaligero Gotho Veronenſium finibus prohibitum repulſúmque ad occupandam Aquileiam contendiſſe: Venetóſque repentino Barbarorum aduentu perterritos proximas inſulas in Hadriatico mari ſitas fugâ petiiſſe, quam Venetia vrbs opulentiſſima & munitiſſima originem habeat. Hunc Theodericum à Germanis Auctoribus Veronenſem appellari, & Theoderici Magni Regis Italiæ fratrem patruelem fuiſſe, atque opidi Teriolenſis regioniſque ei appoſitæ, præterea Veronæ ac Sirmionis principatū obtinuiſſe. Quaſi verò Attilam, per Pannoniā (vt ait Proſper) itinere facto Italiam ingreſſum, non priùs ad vrbem Aquileiam venire, quàm in fines Veronenſium proficiſci oportuerit: & qui Italiam ne Aëtio quidem Magiſtro militiæ prohibente populabatur, eum Theodericus iſte neſcio quis vnius aut alterius vrbis viribus pellere potuerit: aut alius tum quàm Valentinianus Aug. vllarum Rætiæ & Italiæ vrbium imperium obtinuerit. Neque Theodericus Scaliger iſte homo ignotus; nec, vt Auentinus putat, Theodericus Triarij filius, qui Zenonis principatu obiit, & numquam in Italiam venit; ſed Theodericus Oſtrogothorum & Italorum Rex à Germanis ſcriptoribus appellatus eſt Veronenſis, quòd Odoacrem apud Veronam atroci prœlio ſuperauiſſet, eámque vrbem ob id non raró ſedem habuiſſet, & thermis, Palatio, ac porticu nouis operibus, aquæductu, muríſque refectis exornauiſſet. Quod autem adiicit Ioſephus Scaliger, Theodericum Scalige-

rum hunc, auctorem originis & nominis Scaligerorum Principum, Theoderici Italiæ Regis fratrem patruelem fuisse, æquè fabulosum est. nam Iordanes scribit Vandalarium, Vuinitharij Regis filium ab Amalo deducentem genus, tres filios sustulisse Valamerem, Theodemerem, & Vuidemerem Ostrogothorum Regulos: è quibus Valamer, (vt Malcho & Damascio placet) ex Erelieua concubina Græcis Eusebia dicta Theodericum, qui postea in Italia regnauit; Theodemundum, ac duas filias tulit: Vuidemer Vuidemerem, patruelem fratrem Theoderici Regis genuit. at de isto Theoderico Scaligero Cassiodorus Senator, & Iordanes, & Malchus, atque etiam reliqui ferè omnes Historici Paullo Æmilio Veronensi vetustiores tacent. Postremò cùm Theodericus Valameris post Attilæ in Italiam aduentum, siue
ↃXXVI. post Consulatum Herculani & Sporacij anno LXXIV, Olybrio Consule decesserit: vt Theodericus Scaliger
CCCC. LII. non plusquam XXX annos Herculano & Sporacio Coss. habuerit, tamen necesse erit inter Theodericorum fratrum patruelium alterius natalem, mortem alterius annos CIV interfluxisse. nec vmquam Paullus Æmilius & Iosephus Scaliger mihi persuadebunt Scaligeros mul-
MCCLX. to ante diuturnum interregnum Friderici Aug. mortem secutum, vel ante Mastinum quemdam emergere; & Veronam regionémque ei adiunctam possidere cœpisse.

Attila, vbi vastatâ Italiâ domum reuersus est, otij impatiens legatos ad Imper. Marcianum & Pulcheriam Aug. misit, stipendiúmque, quod ipsi Theodosius dependere consuesset, sub belli denuntiatione petiit. Iordanes in libro rerum Gothicarum scribit Attilam Gentium dominum memorem acceptæ in Gallia cladis, omisso, aut in aliud tempus reseruato Marciano; partem Alanorum, quæ trans flumen Ligerim considebat, aggredi, & his subactis, bellum Vesigothis inferre constituisse: profectúmque Dacia atque Pannonia prouinciis suis, alio quàm quo antea venerat itinere in Galliam contendisse. Thorismodum autem Vesigothorum Regem, cùm dolum præsensisset, celeriter in auxiliū Alanis venisse, At-

tilámque fines eorum intrantem paratis copiis excepisse, & prœlio fusum ac fugatum in suas sedes reuerti coegisse. ita Hunnos acceptum in campis Catalaunicis incommodū dum expiare volunt, geminauisse, & Alanos periculo esse liberatos: quos tamen ab Thorismodo prœlio domitos esse Gregorius in libro II tradit. Sigebertus Iordanem secutus Attilam à Vesigothis, quos aggrediebatur, victum ait. Ego, pace Iordanis ac Sigeberti dixerim, vix crediderim Hunnos post Catalaunicam cladem in Galliam reuertisse. cùm quòd præter Iordanem ac Sigebertum nullus de eo bello scripsit: tum quòd non mihi videtur Attila intra triennium tribus tantis ac tam longinquis expeditionibus sine causa Regni vires fatigauisse. contrà idem apud Hydatium & Paullum Langobardum post excessum ex Italia atque domum reditionem mox obisse dicitur. certè (vt ait Prosper) insequenti anno Opilione & Vincomalo Coss. decessit: & CCCC-
cùm more patrio, post susceptos ex pluribus vxoribus LIII.
liberos, puellam virginem excellentis formæ nomine Ildico in matrimonium accepisset, & mero ac somno grauatus noctu supinus iacuisset, manè repertus est mortuus, sanguine, qui è naribus fluere ei consueuerat, in fauces lapso. solus Marcellinus Aëtio & Studio Coss. ab CCCC-
noua nupta cultro traiectum dicit. Tum ex gente Hun- LIV.
norum lectissimi equites parte comarum scissa, genísque ferro laniatis circa corpus Attilæ medio in campo intra serica tentoria positum decurrere, cantu lugubri laudes mortui prosequentes. inde confecto silicernio, quam Barbari strauam appellabant, noctu clàm phaleræ gemmis distinctæ, arma cæsis hostibus detracta, & insignia regia cum Attila condita sunt atque defossa. móxque magna de Regno inter eius filios orta contentio est, & aliquot gentium, quæ sub Hunnorum imperio esse consueuerant, in primis Gipedum, Ostrogothorum, Alanorum, Erulorum, Rugórum, atque Scirorum defectiones secutæ bella excitauere, quibus ferocissimi populi attererentur. Fuit autem Attila statura breui; lato pectore; capite grandiore; paruis oculis; simo naso; barba rara; canis sparsus; colore tæter; magnus animo;

verſutus & callidus; bellorum quidem amans, ſed itaut in prœliis mente, non manu rem gereret; conſilio prudentiſſimus; ſupplicibus exorabilis; propitius receptis in fidem; iracundus; impotens, ſucceſſibus elatus; ſuperbiam inceſſu vultúque præferens; huc atque illuc circumferens oculos; cùm externis omnibus præſertim Romanis, tum etiam ſuis maximè terribilis.

CCCC-LIII. Eo ipſo anno, quo Attila obierat, Opilione & Vincomalo Coſſ. menſe Iulio deceſſit Ælia Pulcheria Regina, filia Arcadij Principis, Imperatorum Theodoſiorum alterius neptis; maior natu ſoror alterius; amitina Placidi Valentiniani; vxor Marciani. Thoriſmodus quoque Veſigothorum Rex, quem aliqui Thuriſmundum appellant, à Theodorico ac Friderico fratribus iugulatus eſt, & Theodoricus Regnũ occupauit. quod Auctor Appendicis Victoris Chronico inſertæ Conſtantino
CCCC-LVII. & Rufo Coſſ. factũ eſſe falsò ait. Admonet me hic locus, vt de Alanis, quibus Attilam bellum feciſſe; Thoriſmodum autem auxiliũ tuliſſe Iordanes ſcribit, pauca dicam.

Cùm Hunni Valentis principatu in Scythiam Europæam erupiſſent, Alanóſque ſubegiſſent, aut potiùs pacto ſocietatis ſibi adiunxiſſent: multi ex ea gente, relictis ſedibus ſuis, permiſſu Principum Romanorum (ſi Iordani credere libet) in finibus Pannoniæ conſedere: vnde exciti ab Stilicone Conſulari, Magiſtro militum ac Patricio vnà cum Vandalis in Gallias ſe effudere. Præerant Alanis Goar & Reſpendial Reges: è quibus Goar ad Romanos cum ſuis tranſiit, ac in Gallia remanſit: vbi Iouinum Mogontiaci Imperatorem conſalutandum curauit. reliqui adiunctis Vandalis & Sueuis, ductu Re-
CCCC-IX. ſpendialis Hiſpaniam ingreſſi ſunt Honorio VIII & Theodoſio III Coſſ. & Luſitaniam, ac prouinciam Carthaginenſem obtinuere. vbi à Valia Rege Gothorum per triennium continuum bello preſſi, multos ſuorum, in primis Atacem vel Vtacem Regem, qui Reſpendiali ſucceſſerat, amiſere: itaut qui Vandalis antè ac Sueuis potentiâ præſtabant, fracti prœliis & ad paucos redacti abolito regni nomine ſe Gunderico Regi Vandalorum partíſque Callæciæ in clientelam dicarent, atque Hierio

& Ardabure Coss. aut (vti ait Hydatius) anno V post CCCC-XXVII.
Honorij Aug. obitum Consulatu Felicis & Tauri Geise- CCCC-XXVIII.
ricum fratrem Gunderici ac successorem in Africam sequerentur. vnde Geisericus, & Hunericus, ac eorum successores Vandalorum & Alanorum Reges sunt appellati, eúmque sibi titulum in edictis adscripserunt. Alani, qui in Gallia remanserant, Valentiniani principatu in duas partes videntur esse diuisi, & alteri ad Ligerim, alteri ad Rhodanum in agro Valentino sedem cepisse, hi Eocarico, illi Sangibano Regibus parentes. Certè Constanrius in libro II de vita Germani Eocharicum ferocissimum Alanorum bellicosæ gentis Regem, ac idolorum cultorem vocat, & cum equitibus suis ferratis ad coercendos Armoricos rebelles ab Aëtio missum esse dicit, quem idem (sicut existimo) cum popularibus circa ripam Ligeris collocauit, vt metu finitimorum Barbarorum Armorici in fide continerentur. Hic est Eocaricus, vel Eocricus, quem Tiro Prosper in Fastis
Vitricum pro Iucrico appellat, aítque Theodosio XVII CCCC-XXXIX.
& Festo Coss. *Reipublicæ Romanæ fidelem, & multis documentis bellicis clarum habitum esse.* Igitur Attila, si vmquam in Alanos expeditionem suscepit, eam *partem Alanorum trans flumen Ligerim considentem* à Iordane dictam aggressus est: qui se postea ita Britannis in tractum Armoricum transgressis immiscuere, vt multi Britannorum Reges ac Duces præter ceteros Alani vocati sint, nec vllum hodiéque in ea prouincia notius sit nomen. Alteri Alanorum parti præfuit Sangibanus, quem Sambidam pro Samgiba Prosper in Chronico appellat, scribítque tractum Valentinum desertum ab Aëtio locum do-
micilio accepisse, & anno vndeuicesimo post Honorij CCCC-XLII.
Aug. mortem, Dioscoro & Eudoxio Coss. resistentes possessores agris expulisse, atque ita Alanos id quod cum incolis diuidere iussi erant, totum armis occupauisse. Iidem Alani Gallicani finitimam partem Galliæ postea incursionibus vastauere. quippe Maiorianum Aug. cùm expeditionem in Alanos, qui Gallias infestabant, face-
ret, à suis interfectum auctor est Iordanes. Nec de Ala- CCCC-LXI.
nis plura quæ memorentur occurrunt, nisi quòd scire

conuenit Albanos à Menandro Zonara & plerisque recentioribus Græcis corrupto nomine Alanos vocari.

CCCC-LIV. Aëtio & Studio Coss. anno Marciani Principis IV magnæ Valentinianũ inter & Aëtium Magistrum militum inimicitiæ esse cœperunt, breui vtrique exitio futuræ. Habebat in matrimonio Valentinianus Liciniam Eudoxiam Aug. Theodosij minoris & Eudociæ filiam, ne-
CCCC-XXIV. ptem Arcadij Aug. & Eudoxiæ, Theodosij maioris proneptem, quam Castino & Victore Coss. cùm Cæsar factus esset, iussu Theodosij quimus bimam sibi despondera-
CCCC-XXXVII. rat, & quam Aëtio II & Sigisuulto Coss. Constantinopolim profectus, dato pro munere socero Illyrico, vxorem duxerat. ex ea filias duas susceperat Eudociam & Placidiam, hanc maternæ auiæ; illam paternæ cognominem: è quibus Eudociã Gaudentio Aëtij filio fide vtrimque datâ desponderat. Igitur Aëtius iratior promissa reposcebat, causamque filij animo patrio agebat, petens vt Eudocia adulta iam virgo connubio Gaudentio iungeretur. At Heraclius spado Præpositus cubiculi, subornatus à Maximo Senatore Valentiniano persuasit hac affinitate insidias tegi, nec tam filiam ipsius quàm vitam ac Imperium peti: proinde ne opprimeretur, celeriter aduersarium esse præoccupandum. Erat Heraclius in paucis carus Valentiniano, cuius animum (vt loquitur Prosper) *non sincero famulatu*, hoc est forsitan matrumfamiliâs introductionibus, sibi ita deuinxerat, vt eum facilè ad quæ vellet impelleret: Aëtiúmque suspectum nimia potentia faciebat. itaque solus in Palatium venire iussus Valentiniani manu, & circumstantium gladiis confoditur. amici eius, viri maximis honoribus functi, in primis Boethius Præfectus Prætorij per Protectorem, vel, vt tum dicebant, Spatharium alius post alium introducti sunt atque iugulati: móxque legati ad Reges Barbarorum, qui cædis causam docerent, missi: & Maiorianus, quem sub se militantem Aëtius impulsu coniugis suæ domum remiserat, ab Valentiniano euocatus, vt per eum tutiùs Aëtij milites Palatinis legionibus & auxiliis adiungerentur. Fertur quidam interrogatus à Valentiniano, quid de Aëtij cæde sentiret, respondisse: iu-

re, an iniuriâ cæsus sit ignoro, Imperator: hoc tamen scio sinistrâ te tibi manu dextram præcidisse. Hunc habuit exitum Aëtius Dux, & ter Consul, ac Patricius; *magna* (vt ait Marcellinus) *Occidentalis Reip. salus*, ac singularis spes populi Romani: & vnà cum eo Imperium Occidentis sic concidit, vt per annos CCCXLV iacuerit, nec nisi Francorum manibus atque virtute erigi potuerit. Nam qui Valentiniano successere, Maximus, Auitus, insequentésque VII Principes vsque ad Odoacrem, intra annos XXII mortui omnes, aut expulsi; Reges Italiæ magis quàm Imperatores fuerunt appellaríque debuerunt. vt non absurdè Cassiodorus Senator in Chronico dicat Maiorianum, qui vnus è Valentiniani successoribus fuit, *Italiæ Imperium suscepisse:* ceteris nimirum Occidentis prouinciis ferè omnibus tum amissis: ac ne Italiâ quidem ipsa propter Vandalorum latrocinia pacatâ & securâ. Aëtium autem ait fuisse Frigeridus medio corpore, in quo nec obesitas oneri, nec gracilitas infirmitati esset; virili habitu atque decoro; animo alacrem; membris vegetum; equitem promtissimum; sagittandi, contóque pugnandi peritissimum; quorum alterum ab Hunnis, alterum à Gothis, aut Sarmatis Hunnorum stipendiariis obses didicerat: bello optimum; pacis artibus celebrem; expertem auaritiæ; ne impulsoribus quidem prauis ab instituto suo deerrantem; iniuriarum patientissimum; amantem laboris; minimè periculorum metuentem; famis, sitis, atque vigiliæ tolerantissimum. idémque auctor est ei adolescentulo prædictum, fore vt ad magnam potentiam perueniret. quas laudes etsi Aëtio meritò impertiri Frigeridum existimo: tamen defectio Bonifatij clarissimi ducis, & amissio omnis ferè Africæ; & Hunni bis in Italiam adducti; & per eiusdem gentis auxilia maior Gallis quàm Vesigothis illata calamitas; & destitutio Britannorum opem flagitantium; & veniente in Italiam Attila nudatæ præsidiis, ac velut ex industria apertæ Alpes; & corruptus otio, atque longa pace emollitus miles haud scio an alij debeant imputari. Certè Aëtius virtutes suas immodica ambitione fœdauit, ita Placidiæ &

Valentiniano parens, vt aliis imperare omnibus cuperet. quippe, ne quem haberet parem, Felicem Patricium veluti sibi insidiantem interemit: Bonifatium, cuius inuidebat gloriæ, potentiámque timebat, vt opprimeret, falso crimine inuisum Placidiæ fecit: Sebastianum eius generum, virum peritum belli gerendi, Palatio domóque expulit: denique ad recuperandam dignitatem Barbaros in Italiam immittere, ac bellum nefarium suo Principi inferre sustinuit.

CCCC. LV. Valentiniano VIII & Anthemio Coss. anno Imperatoris Marciani V Aëtij mortem cædes interfectoris consecuta est. Adiunxerat sibi imprudenter Valentinianus atque inter stipatores corporis retinuerat Aëtij ab se occisi amicos & armigeros, Optilam & Traustilam Gipedes, quos alius familiares Aëtij; alius satellites; milites eius alius appellat. Hi opportunitatem speculati egressum extra Vrbem Principem, & vt ait Prosper, ludo gestationis intentum viâ Labicanâ inter Duas Lauros XVII. Kal. April. gladiis iugulauere: simúlque Heraclium Præpositum cubiculi, tanti causam mali, vti erat lateri proximus, interemere. neque in magna circumstantium Protectorum, Aulicorúmque multitudine repertus est quisquam, qui tantum ac tam atrox scelus vlcisceretur. Valentinianum Aug. Romæ in Campo Martio dolo Maximi Patricij circumuentum & occisum auctores sunt Hydatius, Marcellinus, Senator, & Victor Episcopus: è quibus Hydatius Aëtium anno Marciani Principis tertio; Valentinianum quarto iugulatum falsò dicit. Adiicit Gregorius in Campo sedentem eum pro tribunali, concionantémque apud populum ab Optila Buccellario, hoc est milite Aëtij gladio confossum esse. vt malè Zonaras & Nicephorus à Maximo ipso in Palatio interfectum putent. Sic periit Flauius Placidus Valentinianus XXXVI ætatis, XXX imperij annum nondum transgressus, Constantij Aug. & Gallæ Placidiæ filius, Theodosij & Gallæ nepos, Valentiniani maioris pronepos: Princeps plebi quidem ob popularitatem carus: vnde in Codice Theod. semel atque iterum ***amantissimum sui populum Rom. appellat:*** sed fortissimo cuique in-

inuidens; fastidiosus Nobilitatis; nihil ex proauo præter nomen & rectam de Deo sententiam retinens; quantum à paterna auitáque virtute degener, tantum Arcadio & Honorio auunculis suis, Theodosióque consobrino ac socero similis; nullum in vita seruans modum; veneficis deditus; margaritis & gēmis operiri Imperatorium ducens; Barbaris obnoxius & vectigalis; mulierosus, deses; à matre semper dominandi cupida & ab eunuchis more Regū Assyriorum & Persarum domi clausus, vitæque delicatæ & vmbratili ita assuefactus, semel vt modò, neque belli ineundi sed vxoris ducendæ causâ, ex Italia pedem extulerit, numquam castra viderit, eíque Româ Rauennam aut vicissim Rauennâ Romam proficisci maximus labor & instar expeditionis fuerit. sicut Theodosius minor eiusdem amitinus & socer Perinthum aut Cyzicum Propontidis opida aut Calchedonem amœnos secessus petere solebat, reuertentíque ac Constantinopolim intranti, tamquam Hunnorum Persarúmve victori Præfectus Vrbis ac Senatus occurrens coronam auream nonnumquam offerebat. Quare Valentiniani principatu Byzacium, Tripolim, maiorem Numidiæ partem, & prouinciam Proconsularem à Vandalis occupatas; inferiorem Belgicam in Francorum potestatem redactam; Britanniam ab Anglis subactam; Alanis & Burgundionibus datos agros in Gallia; ac possessas ab Attila Pannonias non magis mirari conuenit, quàm Honorio imperante pleramque Hispaniam amissam; Romam à Gothis; à Burgundionibus sedem circa Renum captam; & Aquitaniam eisdem Gothis condonatam esse. apparétque inclytum Occidentis Imperium, atque etiam Orientem quatuor Principum Hispanorum, nimirum amborum Theodosij maioris filiorum ac amborum nepotum ignauiâ cecidisse. quippe Arcadij & Theodosij minoris exemplum secuti posteri Imperatores vsque ad Heraclium, cùm nullis vmquam prœliis interessent, curámque bellorum Ducibus delegarent, desidiâ suâ Rempublicam labefactarunt. Non immeritò igitur Caius Apollinaris Sidonius Placidum Valentinianum *semiuirum amentem* appellat, & in Carmine ad Maiorianum

Aug. ait post Valentiniani fratris Gratiani à Theodosio in Imperium restituti cædem numquam venisse Imperatores in Galliam, vbi maxima moles bellorum erat: contrà Honorio & Valentiniano sub specie maiestatis muliebriter Palatio inclusis & occultis, Orbis Romani prouincias à Barbaris vastatas & occupatas esse tradit his versibus.

Ex quo Theudosius communia iura fugato
Reddidit Auctoris fratri, cui guttura fregit
Pòst in se vertenda manus: mea Gallia rerum
Ignoratur adhuc Dominis, ignaráque seruit.
Ex illo multum periit: quia Principe clausô,
Quidquid erat miseri diuersis partibus Orbis
Vastari sollemne fuit. contemta tot annos
Nobilitas iacuit: pretium Respublica forti
Rettulit inuidiam.

Idémque in Panegyrico Auito Aug. socero dicto scribit pueritiam ac vitia Valentiniani Principis (addo & Honorij) cladium, lacerationis, occasúsque Imperij causam fuisse: talémque Imperatorem propter claritatem familiæ eius, religionémque sacramenti perpessos esse milites Romanos. quo fit, vt Theodosius maior iustissimè felix dici potuerit, si filios superstites non reliquisset.

Quàm nos per varios dudum fortuna labores
Principe sub püero laceris terat aspera rebus;
Fors longum, Dux magne, queri: cùm quippe dolentum
Maxima pars fueris, patriæ dum vulnera luges.
Has nobis inter clades ac funera mundi
Mors vixisse fuit. Sed dum per verba parentum
Ignauas colimus leges, sanctúmque putamus
Rem veterem per damna sequi; portauimus vmbram
Imperij, generis contenti ferre vetusti
Et vitia, & solitam vestiri murice gentem
More magis quàm iure pati.

Interfecto Valentiniano, Petronius Maximus, Palladij
CCCC. XVI. forsitan Theodosij Aug. in VII Consulatu collegæ filius, qui cupiditate Imperij adductus Optilam & Traustilam ad tantũ facinus impulerat, postero die XVI Kal. Apriles

Romæ appellatus est Imperator: homo magnis clientelis, maximísque diuitiis, & qualis à Sidonio in libri II epistolâ XIII describitur; Præfecturis, Patricia dignitate, & duobus Consulatibus insignis; Clementis Maximi Tyranni ex filio nepos falsò à ~~Procopio &~~ Nicephoro dictus. siquidem constat Clementi Maximo vnicum filium nomine Victorem fuisse, eúmque intra infantiæ annos iussu Theodosij paullo post patris mortem in Gallia iugulatum esse. Hic cùm periclitanti Reip. profuturus crederetur, interfectores Valentiniani, quos ad mortem duci oportebat, in cohortem amicorum recepit: & Eudoxiam Aug. virum lugere prohibitam, imperij sui confirmandi causâ, intra paucissimos dies vt sibi nuberet coëgit: Palladium filium, quem ex priore vxore tum defuncta susceperat, Cæsarem creauit, eíque Eudociam, Valentiniani filiam, pactam Gaudentij in matrimonium dedit: ac Auitum Magistrum militum fecit, cuius metu Francos, qui prouinciam Germaniam superiorem, & Belgicam secundam Meroueo duce depopulabantur; transgressos in Galliam Alamannos; & Saxones tractum Armoricanum prædationibus infestantes domum rediisse Apollinaris Sidonius Poëtica fide in Panegyrico Auito socero dicto scribit his versibus.

Vixque tuo impositum capiti diadema, Petroni:
Ilico Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat: cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus, & assuto glaucum mare findere lembo.
Francus Germanum primum, Belgámque secundum
Sternebat: Renúmque ferox Alamanne bibebas
Romanis ripis, & vtroque superbus in agro
Vel ciuis, vel victor eras. Sed perdita cernens
Terrarum spatia Princeps iam Maximus (vnum
Quod fuit in rebus) peditúmque equitúmque Magistrum
Te sibi Auite legit.
Vt primùm ingesti pondus suscepit honoris,
Legas, qui veniam poscant Alamanne furoris:
Saxonis incursus cessat: Cattúmque palustri
Alligat Albis aqua.

Quibus ex versibus cognoscitur non solùm Cattos gen-

tem Franciæ fuiſſe, cùm Sidonius quem ſuprà Francum vocauit, infrà Cattum appellet: (id quod & Sulpicius Alexander docet, *paucos ex Amſiuariis & Cattis Marcomere duce apparuiſſe* Romanis in Franciam tranſgreſſis ſcribens) verùm etiam eoſdem Cattos, qui, vt indicat Sulpicius, Marcomeri Faramundi patri, Chlodionis auo paruerant, Meroueo quoque Chlodionis ſucceſſori paruiſſe.

Non omittendũ eſt, quod Procopius in libro I belli Vandalici, & Ioãnes Antiochenſis in Hiſtoria de Aëtij & Valentiniani Maximíque cæde ſcribunt: Valentinianum minorem, captum amore coniugis Maximi Senatoris luſiſſe cum eo teſſeris, & ab victo, cui tum fortè nihil aliud erat, anulũ accepiſſe, ac velut ob rem aliquam ſeriam demandata alij vice ſua egreſſum cubiculo, quemdam cum anulo miſiſſe, qui accerſiri à Maximo vxorem, & apud Auguſtam cenaturam diceret. illam viſo vocatore, qui viri ſui familiaris eſſet, & oſtenſo ſibi ad faciendam fidem cognitóque eiuſdem anulo in Palatium veniſſe, exceptámque ab eunuchis, vt erat imperatum, & in ~~gynæconitida~~ cubiculum deductam, atque ibi ab Imperatore per vim eſſe ſtupratam. deinde poſt luſum domum aduenienti Maximo ignaro facti occurriſſe mulierem corporis ludibrium deplorantem, & tamquam proditori pudicitiæ ſuæ probra ingeſſiſſe. Maximum autem re cognitâ occidendi Principis conſilium iniiſſe: quod cùm viuo Aëtio Magiſtro militiæ fieri non poſſe intelligeret, primò Valentinianum ad cædem eius velut inſidiantis per ſpadonem impuliſſe: mox ipſummet tanto præſidio nudatum interemiſſe, & Eudoxiam Reginam annorum circa XXXIII, feminam eximiæ pulchritudinis, vxorem duxiſſe, atque amore malè ſanum pro blanditiis beneuolentiæ conciliatricibus mulieri dixiſſe cupidine potiundæ eius Valentinianum à ſe interfectum. enimuerò Eudoxiam cognito auctore viri ſui cædis, cuius cauſa fuiſſe ipſa diceretur, Geiſerico in Africa regnanti ſcripſiſſe, vt Romam confeſtim veniret, ſéque miſeram Maximi improbiſſimi hominis poteſtate liberaret. Ex quibus intelligitur, id quod Nicephorus Calliſtus in libro XV tra-

didit, & Latini Historici de industria omisere, Placidum Valentinianum à Maximo ob corruptam eius vxorem interemtum esse. Ceterùm Geisericus Vandalorum Rex, vt erat vitio gentis suóque auarissimus, ac pecuniæ cupidissimus prædo; oblatam sibi exinsperato tantæ vrbis diripiendæ facultatem gauisus, & maximis Augustæ donis illectus celeriter naues conscendit, & cum copiis, quas ad piratica latrocinia repentináſque expeditiones paratas habere consueuerat, in Italiam venit. cuius aduentu Romam nuntiato Senatus populíque R. pars maior ex Vrbe profugit. Maximus, ob cædem Valentiniani nulli non inuisus, omnibus abeundi sibíque consulendi potestatem fecit, cúmque & ipse fugam capessere trepidus pararet, seditione militum & populi, ac fœderatorum Burgundionum pridie Idus Iunias ab Vrso quodam milite Romano interfectus, & à famulis Reginæ membratim discerptus, tractúsque per vicos, vt Vitellio & Elagabalo contigerat, atque in Tiberim deiectus est, nec Principatum scelere quæsitum plus LXXXVII diebus tenuit.

Tertio die post Maximum occisum, Geisericus Vandalorum & Alanorum Rex, quem alij Gensericum, vel Ginsiricum; alij Gaisericum; Græci Gezerichum, & Gizerichum appellant, Vrbem ab omni præsidio vacuam occupauit. cui Romam aduentanti Leo Episcopus extra portam occurrit, hominémque crudelem & ferum precibus suis in tantum mitigauit, vt (quemadmodum ait Prosper) incendiis, cædibus, ac suppliciis suos abstinere iuberet. quamquam operibus miraculísque Vrbis ignem iniectum Nicephorus dicit. igitur à Vandalis per XIV dies securè ac liberè singula rimantibus, post annos XLV quàm ab Gothis erat capta, Roma direpta est: Capitolium ad partem dimidiam detectum, & tegulæ eius æreæ inauratæ sublatæ: insulæ, domus, Ecclesiæque spoliatæ: & in reditu vrbes Campaniæ Capua ac Nola omni clade belli vastatæ. nec contentus ingenti prædâ Barbarus ac perfidus Pirata Eudoxiam Aug. à qua erat accersitus, ambáſque eius filias Eudociam & Placidiam, Gaudentium filium Aëtij, ac multa captiuorum millia,

vt quisque aliquam ætatis, aut artificij commendationem habebat; Carthaginem abduxit. è quibus Eudociam Hunerico filio natu maximo, à multis Honorico dicto; non (vt ait Hydatius) Gentoni in matrimonium dedit: Placidiam vix tandem Imperatorum Marciani & Leonis, aliorúmque legationibus fatigatus cum Eudoxia matre Constantinopolim remisit, vbi Olybrio Senatori, qui eò Româ perfugerat, conciliante nuptias Leone Aug. nupsit. Neque postea Geisericus Siciliam ac Italiam latrociniis & opidorum expugnationibus direptionibus ac excidiis infestare desiit, hanc quotannis veris initio causam bello prætendens, quòd sibi bona Valentiniani, & Aëtij, quorum liberos ceperat, non darentur. quamobrem cùm Eudociam captiuam Hunerico filio vxorem dedisset, partem bonorum Valentiniani ab Leone Imperatore Orientis velut dotis nomine accepit.

Paullo post Vrbem captam Auitus in Gallia appellatus est Imperator, Ecdicij, eius qui Edobicum hospitem & amicum interfecerat, filius. Hunc ait Sidonius natione Aruernum fuisse, natum Augustonemeti familia nobili, & Præfectis, Patriciis, in primis Philagrio, ac Consuli-
CCCC. XXXV. XVI. bus clara: venandi studio insignem: Burgundico bello sub Aëtio militauisse: mox titulo Præfecturæ Prætoria-
CCCC. XXXIX. næ Gallias rexisse: tum Theodosio XVII & Festo Coss. Theodorico Vesigothorum Regi litteris persuasisse, vt pacem cum Valentiniano Aug. faceret, legatúmque ab
CCCC. LI. eodem impetrauisse, vt cum Romanis aduersus Attilam arma consociaret: deinde à Petronio Maximo Magi-
CCCC. LV. strum militum esse factum, atque Præmisso Messiano aduentus sui nuntio ad Theodoricum minorem bellum parantem legatum venisse, mediúmque inter Regem & Fridericum eius fratrem iunctis cum vtroque manibus Tolosam intrâsse. interea Theodoricum, vt Romam captam, & Maximum occisum cognouit, coacto Seniorum concilio Auito petenti pacem non solùm annuisse, sed etiam auctorem recipiendi Imperij fuisse, & in hæc fidem ei cum fratre dedisse. inde reuerso Vgernum Auito idem suasisse principes Gallorum, excubiásque neco-

pinanti circumdedisse, ac tertio pòst die Arelatum confluxisse Proceres, & milites, ab quibus in tribunali torque militari ex auro & gēmis pro diademate coronatus, & imperatoriis insignibus donatus sit. Quare non dubitat scribere Hydatius Auitum Gallum post Vrbem captam primùm Tolosæ ab Gothis; deinde ab exercitu Gallicano Honoratísque Arelati Augustum esse salutatum. quibus ambobus, ac præsertim Sidonio Auiti genero assentiri præstat, quàm Victori Tununensi Episcopo, qui LXXV demum die post Romam captam Auitum magnæ simplicitatis virum in Gallia Imperium obtinuisse scribit. Certè etiā Auctor Chronici à Cuspiniano editi Maximum quidem Valentiniano VIII & Anthemio cccc.
Coss. ptidie Idus Iun. occisum, Vrbémque à Geiserico LV.
direptam; Auitum autem VI Idus Iulias, hoc est XXVIII die post Petronij Maximi cædem in Galliis Imperatorem factum ait.

Ad Auitum Aug. Theodoricus Rex Vesigothorum fratribus suis comitatus Arelatum venit, eíque se auxilium, si res posceret, laturum promisit. quo Tolosam reuerso Imperator accersitus à Romanis in Italiam contendit, & summo Senatus populísque fauore in Vrbem receptus est: ac (vt existimo) nondum per legatos concordiâ cum Marciano Principe constitutâ, initio inse- cccc.
quentis anni Kalendis Ianuariis ex more Consulatum LVI.
iniit edidítque. cuius Consulatus mentionem facere dicuntur præter Sidonium inscriptiones duę, altera à Iacobo Sirmundo; altera à Ioanne Sauarone prolatæ: è quibus prior Eparchium Auitum, posterior Flauium Auitum, vtraque Consulem, neutra tamen Augustum appellat. Cùm igitur eo anno non Auitum, sed Ioannem & Varanem ambos in Oriente Consules factos inueniamus in Fastis: apparet antè Auitum Consulatum iniisse, quàm electionem sui Marciano in partibus Orientis dominanti approbauisset. quod etsi fecisse eum ait Hydatius, tamen Marcianus legum suarum titulis non Auitum Aug. magis quàm Maximum adscripsit.

Regnabat tum in Callæcia & Lusitania Rechiarius Sueuorum Rex, Hermerici nepos, à Iordane Riciarius

dictus, vir inquietus & vanus. Hic impulsus cupiditate proferendi Regni Carthaginensem regionem, quam à pa-
CCCC-XLII. tre Rechila occupatam ipse Herculano & Sporacio Coss. pace facta Valentiniano Aug. reddiderat, depopulabatur: ac prouinciã Tarraconensem Romano etiamtum Imperio subiectam continuis incursionibus vastabat, successúque ferocior redditus legatos Auiti Principis, & Theodorici posterioris vxoris suæ fratris ludibrio habuit. Quamobrem Theodoricus Vesigothorum Rex, Gundiuco & Chilperico Burgundionum Regibus auxiliariis comitatus, Auiti Aug. voluntate & ordinatione cum magnis copiis in Hispaniam ire contendit, ingressúsque Asturiam Rechiarium sibi occurrentem in campo Paramo apud flumen Vrbicum ad XII ab Asturica Augusta milliarium III Nonas Octobres acie vicit, fugientem cepit, & mense Decembri interfecit.

Eodem tempore magna manus Vandalorum, quæ LX nauibus Gallias, aut Italiam petebat, in Corsica ab Ricimere Comite, quem Hydatius Rechimerem, quidam Richemerem vocant, insidiis circumuenitur, & cæditur. idémque Comes aduersus aliam Vandalorum manum ab Auito in Siciliam cum exercitu mittitur. ac nihilominùs Geisericus Vandalorum Rex Mauritanias, atque Numidiam, præter quas prouincias nihil in Africa Imperio Occidentis reliquum erat, Regno suo adiecit. Quare Marcianus Princeps bis legatos ad eum misit, qui peterent, vt vastatione Italiæ ac Siciliæ absisteret, vxorémque & filias Valentiniani captiuas dimitteret. Auitus quoque ei denuntiauit pacis Dioscoro & Eudoxio
CCCC-XLII. Coss. cum Valentiniano factæ, & Africæ certis finibus inter vtrumque diuisæ meminisset: id si facere recusaret, bellum se ipsi suis copiis sociorúmque auxiliis illaturum: & regressus Arelatum, ad prouincias ripis Reni proximas ordinandas Augustam Treuirorum proficiscitur. ibi simulatâ valetudine, cùm à coniugibus Senatorum visitaretur, vxorem Lucij Consularis Belgicæ primæ forma excellentem captus amore mulieris per vim stuprat, nec contentus adulterio patientiam viri petulantibus verbis illudit, quem tamquàm segnem in venerem,

nerem,& tali coniuge indignum irridens quæsiuit,quid-ita qui pulchras thermas haberet, frigida lauaretur. Et ille quidem tum dolorem pressit, sed reuerso in Italiam Imperatore Augustam Treuirorum in potestatem Francorum tradidit, à quibus vrbs direpta est ac incensa. Aimoinus, etiamsi sicut Fredegarius Scholasticus id ab Auito Aug. factum dicit, tamen non Merouerum ait regnauisse tum in Francia, sed Faramundum, quem anno V post Honorij mortem, ante Auitum Principem XXVII decessisse auctor est Prosper. Non multo pòst pœnas libidinis Auitus pependit destitutus à Gothis. nam Remiscus Patricius adiutor eius partium in Palatio Classis X V Kal. Octob. occisus est: ipse imperij mense XVII aut XVIII, à Ricimere Magistro militum, atque etiam, vt ait Marius in Chronico, à Maioriano apud Placentiam victus & captus, Imperiũ deponere cogitur, nouáque & hactenus inaudita fortunæ commutatione ex Imperatore fit supradictæ vrbis Episcopus, innocenti ac simplici homini parcente Ricimere. ac Messianus, quem Patricium fecerat, XVI Kal. Ianuar. interimitur. Gregorius in Historiæ libro II tradit Auitum Senatorem, & ciuem Aruernum, ob libidines à Senatu deiectum Imperio, cuius in possessionem vacuam inuolauerat, & apud Placentiam Episcopum constitutum; cùm comperisset Senatum adhuc indignantem vitâ ipsum priuare velle, Briuatem vicum Aruernorum, tumulo Iuliani Aruerni Martyris nobilem, cum multis muneribus fuga petere contendisse, vt loci religione salutem suam tueretur, ac in itinere decessisse, delatúmque Briuatem, & ad pedes Iuliani sepultum esse. quem falsò Hydatius tertio imperij anno obîsse; Iordanes dies paucos; Euagrius & Nicephorus VIII menses imperauisse scribunt. è quibus Euagrius ac Nicephorus Callistus Auitum pestilentia correptum, sublatúmque dicunt. Auito filius fuit Ecdicius, cuius de virtutibus infrà referemus: & Papianilla filia, vxor C. Sollij Sidonij Lugdunensis, viri nobilissimi, & de primariis Galliarum Senatoribus, patre, auo, & proauo Præfecturis Vrbanis Prætorianísque; & Magisterio Palatino militaríque insignibus nati: qui primò

Comes, mox Præfectus Vrbis, ac Patricius, deinde Aruernorum Episcopus fuit.

CCCC. LVI. Eodem anno Ioanne & Varane Coss. Gundiucum & Chilpericum Burgundionum Reges, qui Aëtio contra Attilam auxilium tulerant, & belli Rechiario inferendi causâ Theodoricum Vesigothorum Regem in Hispaniam secuti erant; post victos acie Sueuos domum reuersos, ac interregno tamquam occasione prolatandorum finium vsos inuenio. quippe cum *Burgundiones partem Galliæ occupauisse*, atque agrum armis quæsitum *cum Gallis Senatoribus diuisisse* auctor est Marius Auenticensis Episcopus in Chronico. quo tempore Lugdunum à Burgundionibus, Sapaudiam proximam ei regionem tum obtinentibus, captum esse arbitror, quod Apollinaris Sidonius Comes ab Maioriano Aug. paullo pôst receptum dicit, séque, qui mortuo Auito socero contra eum arma tulerat, in Gallia victum atque seruatum.

CCCC. LVII. Constantino & Rufo Coss. qui ambo, sicut Ioannes & Varanes, Constantinopoli Consulatum inierunt, in Oriente Marcianus Aug. obiit VII imperij; LXV ætatis annum agens. eíque Flauius Leo Tribunus militum, natus in regione Bessica Thrax Thraci successit, VII Idus Februar. auctore Aspare Patricio & Consulari ab exercitu Senatúque Imperator appellatus: quem Candidus Isaurus oriundum ex Dacia prouincia Illyrici, & Præfectum militum in opido Thraciæ Selymbria præsidij causâ constitutorum fuisse ait. in Occidentis autem tractibus Flauius Ricimer Arianus, patre Sueuo; matre Gotha Valiæ quondam Vesigothorum Regis filia genitus, ex Magistro militum Patricius factus est pridie Kalendas Mart. atque eodem die Iulius Valerius Maiorianus in eius locum Magister militum constituitur: vt scribit vetus Auctor Chronici editi ab Cuspiniano. quas dignitates videtur Marcianus Aug. rogatus per legatos à Senatu populóque Romano paullo ante obitum ambobus per codicillos contulisse. neque enim à se ipsi alter Patricius; alter Magister militiæ fieri potuerunt. Certè in litteris initio insequentis anni Rauennæ datis, quarum infrà mentionem faciemus, *patrem Patriciúmque*

ſuum Ricimerem Marcianus appellat. falsò vt eum Hydatius poſt XI annos ab Anthemio Aug. matrimonio filiæ ſuæ, & Patricia dignitate honoratum dicat.

Non diu Magiſterio militiæ functus eſt Maiorianus. quippe eodem anno Kal. April. ad milliarium VI ab vrbe Rauenna in campo ad Columellas eum Imperatorem eſſe ſalutatum tradit Auctor Chronici à Cuſpiniano editi. Cùm tamen Maiorianus ipſe de ortu Conſulatúque ſuo coniunctim ad Senatum Idibus Ianuariis Rauennâ ſcripſerit, nec veriſimile ſit ampliſſimum Ordinem de tanta re X pòſt menſe factum eſſe certiorem, Rauennáque ab vrbe Roma non ampliùs millia paſſuum CCLIV diſtet: haudquaquam dubito, quin ſub anni exitum Maiorianus Principatum; proximíſque Kalendis Ianuariis Rauennæ Conſulatum inierit. Cum omnibus Hiſtoricis, & Faſtis pugnat Victor, qui Leone Aug. Coſ. Maiorianum CCCC-
Romæ Imperium recepiſſe falsò prodit in Chronico. Et LVIII.
ille quidem in litteris ad Patres Conſcriptos miſſis ab exercitu Imperatorem ſe appellatum dicit. At Apollinaris Sidonius non ſolùm militum, & Senatus populíque Rom. omniúmque ordinum, ſed etiam collegæ conſenſu iudicióque ad eum delatum Imperium ait: quo collegæ nomine Leonem Aug. deſignat. tametſi enim Iordanes in libro de origine Gothorum tradit Maiorianum iuſſu Marciani Principis Imperium Occidentis regendum recepiſſe: idem tamen in libro de ſucceſſione regnorum dicta retrectans, & Marcellinus in Chronico nutu ac voluntate Leonis eum apud Rauennam Auguſtum conſalutatum eſſe ſcribunt. quamuis Leo non Maioriani magis quàm Seueri ſucceſſoris eius nomen legibus ſuis præfixit. Ex quo intelligitur, id quod infrà magis apparebit, Theodoſium minorem, poſt Placidum Valentinianum primò Cæſarem, deinde Imperatorem factum; Theodoſiíque ſucceſſores Marcianum & Leonem in Oriente dominantes, deſpectâ Occidentalium infirmitate primum ſibi dignitatis locum, ac ius electionis Principis confirmandæ, dandíque etiam Imperij Occidentis vindicauiſſe, quíque illud iniuſſu ſuo recepiſſent, in Tyrannorum numero habuiſſe. Quare Hydatius

& Cassiodorus Senator in Chronicis scribunt Honorio mortuo *solum Theodosium Romanum Imperium annis* XXVII *tenuisse*, similitérque post Valentiniani cædem Marcianum. & in libro qui Notitia prouinciarum Imperij Romani inscribitur, quíque Theodosio minore Principe editus est, Oriens Occidenti præponitur. præterea Iordanes principatum Seueri, qui iniussu Leonis Aug. Maioriano successit, *Tyrannidem Seueri* vocat, cúmque III *Tyrannidis suæ anno expleto* obiisse ait: atque Glycerium ob eamdem rem *Tyranni more* Imperium arripuisse dicit. Quasi verò non multo antè Valentinianus Aug. Valentem fratrem, & Gratianus Theodosium Imperatores fecerint, retenróque sibi Occidente tamquam præstātiori Reipublicæ membro Orienti præposuerint: aut quasi non ab vrbe Roma velut à capite in eas partes nominis Imperiíque Romani sit diffusa maiestas. Quare Galla Placidia Aug. in litteris, quas ad Theodosium Aug. de posteriore Synodo Ephesi habita scribit, sic loquitur. *Decet nos huic maximæ ciuitati, quæ domina est omnium ciuitatum tuarum, in omnibus reuerentiam seruare.* Omitto Occidentales Consules in Fastis & in legibus Imperatorum Occidentis Orientalibus præponi consueuisse. quòd scio (vt vel ex vno Marcellini Chronico cognoscitur) Orientales contrà Consulum suorum nomina Occidentalium Consulum nominibus antepostuisse.

Rauennæ, vbi Consulatum inierat, leges complures tulit Iulius Maiorianus, quem Victor Maioranum; Procopius & Euagrius Maiorinum appellant: & quidquid
CCCC-LVIII. vsque ad Indictionem XI, id est vsque ad Consulatum suum reliquorum erat, prouincialibus remisit: ac sociis sibi ad bellum adscitis Bastarnis, Sueuis, Neuris, Hunnis, Gothis, Gipedibus Daciam Transdanubianam tum obtinentibus, Alanis, Rugis, Burgundionibus Sarmarica gente, reliquísque Barbaris Danubij & Tanais accolis, circa Idus Nouembres ex vrbe Rauenna profectus est. cui Alpes transgresso etiamtum Consuli sub finem anni Panegyricum dixit Apollinaris Sidonius, cùm ex Gallia per Hispaniam in Africam transire, ac bellum

Vandalis inferre constituisset, clasśísque ad transportandum exercitum in mari Supero & Infero, nimirum Aquileiæ, Rauennæ, ac Miseni fieret. quare Cassiodorus Senator scribit Maiorianum Aug. Consulatu suo in Africam mouisse: vt appareat biennium in apparatu belli Vandalici esse consumtum. constat enim ex Hydatio & Mario Maiorianum ante annum quàm interficeretur, Magno & Apollonio Coss. profectum in Hispaniam, & CCCC-LX.
Africam petere parantem, mox captis ab Vandalis nauibus suis frustratum spe transmittendi, in Italiam reuertisse. Maiorianum hunc in Panegyrico carmine tradit Sidonius viri Illustris Comitis sacrarum largitionum filium fuisse, intimi familiaris ac commilitonis Aëtij: auum maternum habuisse Maiorianum, qui initio principatus Theodosij maioris Magister militum per Illyricum fuit: sub Aëtio adolescentem militauisse: Cæsarodunum Turonum à Gothis defendisse: in prœlio, quod cum Chlodione Rege Francorum in Atrebatibus commissum est, fortiter fecisse: Ricimerémque Valiæ Regis ex filia nepotem contubernalem suum sibi familiari amicitia coniunxisse: ac post magnas rés gestas ab Aëtio vxori inuidæ morem gerente in agrum patrium relegatum, deinde interfecto Aëtio à Valentiniano Aug. euocatum, tandem auctore ac adiutore Ricimere Imperatorem appellatum esse.

Leone, & Maioriano Augustis Coss. patre mortuo regnare in Gallia cœpit Childericus, à quibusdam Hildericus; ab aliis Hildricus dictus, filius successórque Merouei. quem Meroueum post Aëtij mortem prouinciæ Germaniæ primæ, ac Belgicæ secundæ bellum intulisse, vt Regni terminos promoueret, in Panegyrico socero dicto scribit Sidonius, Auitíque Magistri militum metu in Franciam veterem trans Renum sese cum suis abdidisse vult credi. ex quo intelligitur eum, cùm antea Carbonariam siluam, Turnacum, Camaracum, & Samarobriuam Ambianorum opidum ab Chlodione armis quæsita solus aut ex parte tenuisset: mortuo Aëtio occasione vsum Suminam flumen transisse, & intra triennium saltem vsque ad Sequanam pleraque occupauisse. Neque CCCC-LVIII.

enim Childericus paullo poſtquam in Regnum patrium, quo ob intemperantiam & ignauiam expulſus fuerat, eſt reſtitutus, circa Aurelianos fluménque Ligerim prœliis cum Saxonibus potuiſſet confligere, ſi Regnum à patre Sumina flumine terminatum accepiſſet. Vetus Auctor Hiſtoriæ Francicæ Theoderici Regis æqualis, Rorico Monachus, Ado aliíque Hiſtorici Childericum regnauiſſe ſcribunt XXIV annos, quibus biennium addit Sigebertus: quorum XXIV annorum pars ſunt octo Childerici exſilij regníve Ægidij anni.

Præerat tum exercitui Gallicano Ægidius, quem ab Maioriano, paullo poſtquam Auito ſucceſſerat, in Galliis Magiſtrum militum factum eſſe in libro II tradit Gregorius. Ricimer autem Patricius Magiſter militiæ erat eius, quam quòd Imperatores circum ſe habere conſueuerant, Præſentem appellabant: vt docet lex Maioriani Aug. de Clericis per vim non ordinan-
CCCC. LX. dis data V Kalendas April. Arelati Magno & Apollonio Coſſ. & ad *Ricimerum virum Illuſtrem Comitem, & Magiſtrum vtriuſque militiæ ac Patricium* miſſa. Præterea Euagrius atque Nicephorus Maiorianum ab Ricimere, quem τῶν Ρωμαίων Στρατηγὸν, hoc eſt Magiſtrum militiæ vocant, dolo cæſum dicunt: vt appareat Ricimerem Patricium, poſtquam Maiorianus Imperator factus eſt, Magiſterium militiæ, quo ei paullo antè ceſſerat, reſumſiſſe.

CCCC. LIX. Ricimere & Patricio Coſſ. Iulius Valerius Maiorianus Aug. cum Theodorico Rege Veſigothorum, quem prœlio ſuperauerat, non tantùm pacem, ſed etiam belli ſocietatem iniit, ac gentes, quæ Imperij R. fines attingebant, pleraſque aut bello, aut miſſis legationibus ſibi adiunxit. hanc pugnam, cuius Hydatius mentionem facit, inter Romanos & Veſigothos tum fuiſſe exiſtimo, cùm Ægidius Magiſter militiæ Gallicanæ Arelati obſeſſus, intercluſúſque à ſuis, inuocato Martino ex vrbe eruptionem fecit, & hoſtibus fuſis ac fugatis cum auxiliis ſeſe coniunxit, eáque victoria Maioriano Principi ſecuritatem, Galliæ pacem reddidit. vt ſcribit Gregorius in libro I virtutum Martini, ſecutus Paullinum, cuius

versus in libro VI de vita Martini ad Perpetuum Episcopum digni sunt qui hîc legantur.

Illustrem virtute virum, sed moribus almis
Plus clarum, magnúmque Fide, quâ celsior exstat,
Ægidium hostilis vallauerat agmine multo
Obsidio, obiectis qua mœnia sepserat armis;
Auxilia excludens, & clausos viribus vrgens:
Vt minus obsessis faceret diuisio robur.
Nec iungi ad bellum socialia castra liceret.
Verùm præsidio Domini deiecta fugantur
Millia, & egressum portis bipatentibus agmen
Restaurat solidas securo Principe vires.
Interea trepido vicinia mæsta pauore
Pallebat tanti Proceris discrimine, & omnis
Anxia pendebat populorum cura pauentum.
Dum se quisque putat similem perferre procellam:
Inque vno nutat, quidquid consistit in vno.
Haud alio penitúsque ipso rerum ordine venit
Nuntius illam vrbem tanta obsidione solutam,
Præcipitem Rhodanum molli qua ponte subegit,
Et iunxit geminas connexo tramite ripas,
Vt siccum præberet iter, quod puppibus instat,
Desuper & presso nutans via pendet in amne.
Hanc quoque præsenti sociatus Sancte patrono
Eripis.

Socialia castra, forsitan auxilia Burgundionum; *Præsentem patronum* Paullinus Genesium ciuem & Martyrem Arelatensem; Martinum autem sicut sæpe alibi; simpliciter Sanctum, & Dominum appellat: quem Seuerus Sulpicius Dominum Martinum bis, & semel absolutè Dominum vocat, Gregorius in libri VIII Historiæ capite VI Dominum suum. Ex quo apparet morem fuisse plerisque Gallis Martinum honoris causâ eo nomine appellare.

Magno & Apollonio Coss. mense Maio Maiorianus CCCCLX. cum maximo exercitu ingressus Hispaniam, in prouinciam Carthaginensem contendit: ex qua in Africam transire decreuerat bellum Vandalis illaturus. quos, tamquam parum esset tot ac tam opulentas Africæ prouincias nutrices populi Rom. occupauisse; maria obtinere,

vrbes portúsque Siciliæ & Italiæ capere ac diripere indignabatur. qua re cognita Geisericus Vandalorum Rex pacem ab eo per legatos petit, irritúsque spei Mauritaniam oppositam Hispaniæ, per quam Maiorianum iter facere oportebat, omnem igne ferróque vastat: frumenta, & quidquid vsui esse potest, corrumpit: fontes veneno miscet, nudum solum relinquit. cúmque ex transfugis cognouisset classem Romanam ad transportandos milites factam in Illicitano sinu iuxta Carthaginem Spartariam stare; celeriter inuectus in eum locum naues ferè trecentas, vt erant deligatæ ad litus, & inanes, abducit. ita frustratus spe Africæ recipiendæ Maiorianus Aug. reuertit in Italiam, ac Geiserico per legatos pacem petenti dedit.

CCCC-LX. Eisdem Coss. IV Leonis imperij anno Æliam Eudociam Aug. Theodosij quondam coniugem in vrbe Ælia Hierosolymitanorũ decessisse Nicephorus libro XIV prodit.

CCCC-LXI. Insequenti anno Seuerinus, & Dagalaifus Consules fuerunt. è quibus Seuerinus, *vir inter magnos Principum motus & inæqualem Reip. statum gratiæ semper æqualis,* Arelati Consulatum iniit, & ex more ludorum Circensium spectaculum edidit: atque vnà cum Magno Consulari, Camillo, Pæonio, Athenio, Gratianense, Sidonióque à Maioriano Aug. conuiuió adhibitus est.

CCCC-LXI. Eodem anno Imperatorem Maiorianum, cùm ex Gallia rediret Romam, aut (si Iordani quàm Hydatio credere malumus) cùm aduersus Alanos Galliam vastantes expeditionem suscepisset, Ricimer Patricius inuidia, & consiliis improborum impulsus apud Dertonam IV Nonas Aug. Imperio deiecit, & VII Idus Aug. ad flumen Iram vel Iriam, quod vrbem eiusdem nominis attingit, fraude circumuentum per emissarios interfecit, cùm, vti ait Iordanes, IV principatus annum transgressus non esset. Falsò enim sicut Victor Tununensis Episcopus, & Auctor, qui Chronico eius nonnulla inseruit, alter Oly-
CCCC-LXIV. brio & Rusticio Coss. alter Basilio & Viuiano Coss. Ma-
CCCC-LXIII. iorianum occisum dicit: ita Euagrius ac Nicephorus non ampliùs biennio imperauisse eum scribunt. Procopius ab omnibus Historicis dissentit, Maiorianúmque morbo

morbo interiisse tradit. Hunc aiunt militibus suis ob virtutem admirationi amorique, hostibus maximo terrori fuisse; equitandi, iaculandi, ac cæstu dimicandi peritissimum; patientem laboris & impigrum Ducem, adeò vt nullam rei bene gerendæ occasionem prætermitteret; liberalem; mitem; pium; & salua auctoritate multi ioci; denique dignum qui felicior esset: vt non immeritò queratur Ennodius humili sepulcro (qualia sepulcra Tyrannis fieri consueuerant) conditum tanti Imperatoris corpus.

Interfecto Maioriano Ricimer Patricius Libium Seuerum natione Lucanum, cædis eius conscium, Rauennæ primùm ab militibus XIII Kal. Decemb. deinde Romæ à Senatu Imperatorem appellandum curauit: quem *iniussu Leonis Aug. locum Maioriani inuasisse, & Principatum Occidentis arripuisse* Marcellinus & Iordanes dicunt. Quamobrem apud eumdem Marcellinum in Fastis Orientalibus duorum insequentium annorum alter notatur Leone Aug. II solo Consule; alter Viuiano & Felice Coss. at in Fastis partium Occidentis editis ab Ioanne Cuspiniano, & apud Marium Auenticensem Episcopum in Chronico prior annus notatur Leone II & Seuero Coss. posterior Basilio, & Viuiano Coss. vt appareat Leonem Aug. qui senior, ac Macelles appellatus est, Occidentales Consules, nimirum Seuerum ipsum, & Cæcinam Basilium ex Præfecto Prætorij & Patricio ab eo Consulem factum in Fastos referri vetuisse. biennio quidem paria Consulum, duo Rusticium & Olybrium, Hermenericum & Basiliscum, Leo in Oriente; nullum in Occidentis tractibus Consulem Seuerus designauit. Quamquam videtur Seuerus postea legationibus Leonem ambiisse, ac sibi placauisse, non tam quòd duabus legibus datis Romæ, & ad Basilium Præfectum Prætorij ac Patricium missis eius nomen præfigit, ac præponit suo: (quippe & Marcianus initio principatus per menses circiter XX nomen Valentiniani Aug. à quo nondum in collegium Imperij receptus erat, nihilominùs legibus suis adscripsit) quàm quòd ab Leone auxilium contra Vandalos expetiuit. Nam, vt auctor est Priscus Pa-

CCCCLXI.

nopolites, Romani Occidentales, hoc est Itali & Seuerus Aug. post Maioriani Principis mortem legatos ad Leonem seniorem misere, classem, aut vt Vandalos ipsis placaret, petentes. quorum precibus motus Leo naues quidem negauit dare se posse, propterea quòd pacem cum Geiserico fecisset: sed Phylarchum quemdam ad eum misit rogatum, vt Italis bellum inferre desineret. cui Geisericus respondit non priùs se arma depositurum, quàm Valentiniani & Aëtij bona ab ipsis accepisset, & mox Vandalos, ac Mauros repentinis incursionibus atque latrociniis omnibus litoribus timendos, in Italiam ac Siciliam immisit. Quamobrem Leo Aug. fatigatus altera legatione Italorum, negantium nisi Geiserico placato stare rem Italam posse, Tatianum tum Patricium, ac non multo pòst Consulem futurum, oratorem ad eum misit, qui suaderet, vt vastatione Italiæ & Siciliæ absisteret, Reginásque captiuas dimitteret. Ricimer quoque eidem denuntiauit pacis cum Diuo Maioriano factæ meminisset, neu fœdus paullo antè iunctum sine causa rumperet. Quæ legationes etsi apud Barbarum nullius momenti fuerunt, indicant tamen Leonem Aug. Seuero Principi, cuius Imperij tantam ageret curam, inimicum tum esse non potuisse. Ceterùm Hydatius in Chronico scribit Eudoxiam Aug. coniugem Placidi Valentiniani, & Placidiam minorem eius filiam secundo
CCCC-LXIII. imperij Seueri anno ab Geiserico, datâ priùs in matrimonium filio suo Eudociâ natu maiore, Constantinopolim remissas esse: & Procopius in belli Vandalici libro I ambas ad Leonem Aug. à Geiserico missas tradit. Quo minùs assentiri possum Euagrio atque Nicephoro, qui dicunt Eudoxiam & Placidiam Reginas cum cultu comitatúque regio Constantinopolim remissas ab Geiserico Rege Vandalorum, vt Imperatori Marciano satisfaceret indignanti vrbem Romam incensam, eásque Carthaginem abductas esse: & mox Marciani iussu Placidiam Eudoxiæ filiam Olybrio nupsisse.





HADRIANI VALESII

RERVM FRANCICARVM LIBER QVINTVS.



N Occidentis tractibus, potentiâ Barbarorum magis magíſque increſcente, vires Romanorum in dies minuebantur: & tamquam Imperium ſua infirmitate ac veluti ſenectute ſatis citò occaſurum non eſſet, ciuiles diſſenſiones atque diſcordiæ interitum eius maturabant. id indicat ſupradicta mors Maioriani ab Ricimere inſidiis oppreſſi, viri, cui ad tuendam augendámque Remp. nihil præter fidem amicorum defuit. idipſum indicat & factum Agrippini, eius, qui in gratiã Anniani noui Aurelianorum Epiſcopi vinctos omnes variorum criminum reos ſolui iuſſiſſe dicitur: & ad quem Euphronius Auguſtodunenſis Epiſcopus de quibuſdam in cælo animaduerſis ſub Attilæ ingreſſum in Galliam epiſtolam miſit. quippe anno cccc-
Leonis Principis VI, Seueri I, magis quàm vt ait Hydatius LI.
II, Leone II & Seuero Coſſ. Agrippinus Comes, natione cccc-
Gallus, Ægidio viro inſigni Magiſtro militiæ Gallicanæ LXII.
inimicus, cùm intelligeret ad eum palam oppugnandum opes ſibi deeſſe, diſpendio Reip. vires adquirere ſuis par-

tibus ſtatuit: atque vt externis auxiliis iuuaretur, Narbonem Martium circa XLIV annos inſtar firmiſſimi muri Veſigothis oppoſitum, quem Conſtantius Ataulfo eripuerat, & Aëtius per Litorium obſidione Theodorici maioris liberauerat, in poteſtatem Theodorici minoris eius filij tradidit. vnde ille poſtea quaſi conuulſis repagulis decurrens vſque ad Rhodanum imperium protulit: cùm iam poſt victum Rechiarium Regem Sueuorum occupatis opidis Hiſpaniæ, Bracarâ, Emeritâ, Aſturicâ, Pallantiâ, & Scalabi ab Occidente Regnum Ana flumine terminauiſſet. Hic eſt Ægidius, quem veteres noſtri Hiſtorici modò *Ducem*, modò *Principem*, modò etiam *Regem Romanorum* in Gallia habitantium; modò *militem Imperatoris*; nonnumquam *Regem militiæ Romanæ*, hoc eſt rectorem exercitus; Aimoinus & Iuo *Patricium* appellant, & in Childerici Regis locum à Francis ſuffectum eſſe dicunt. hunc virum natum eſſe in Gallia Occidentali ſcribit Priſcus, atque maximas circum ſe copias habuiſſe, & mortem Maioriani, cuius Comes, ac bellorum commilito fuerat, vlturum fuiſſe, niſi à bello Italis, hoc eſt Seuero & Ricimeri cædis auctoribus, inferendo propior eum hoſtis in ſemet auertiſſet. quippe de finitima regione, nimirũ Aruernia, aut Armorica, inter eum ac Gothos in Gallia ſedem habentes ortam eſſe contentionem, aduerſus quos fortiter bellum geſſerit, maximáſque res egerit. Vbi notandum eſt apud Priſcũ vitio exemplarium Νιγιδίου nomen pro Αἰγιδίου legi. Certè Fridericus frater Theodorici Regis Gothorum, quem alius Frediricum, alius Fretiricum, alius Fridaricum appellat; & quem Hilarus Papa in epiſtola ad
cccc-lxii. Leontium Arelatenſem Epiſcopum data Domino Seuero Aug. Coſ. *Magnificum virum filium ſuum* vocat; apud Hydatium anno Leonis Principis VI cum copiis intrauiſſe prouinciam Armoricam dicitur, & ab Ægidio *Comite vtriuſque militiæ*, hoc eſt Magiſtro equitum & peditum, optimo viro piiſſimóque fuſus acie, ac cæſus eſſe. cuius prœlij mentionem quoque facit Marius in Chronico, ſed in notatione temporis ab Hydatio diſſentit.
cccc-lxiii. ſcribit enim Baſilio & Viuiano, vel Vibiano Coſſ. qui eſt

VII imperij Leonis annus, inter Ægidium & Gothos pugnam fuisse circa Aurelianos in medio inter Ligerim & Ligericinũ, hoc est Ligerittum flumen campo, ibique Fridericum Regem Gothorum (sic eum falsò tamen appellat) interfectum. Armoricos autem ab Vesigothis flumen Liger diuidebat: & tractui Armoricani limitis vt prouincia Lugdunensis secunda, ac tertia, ita & Senonia, cuius vrbs Aureliani erant, adscribebatur. quemadmodum inuenio in Notitia prouinciarum Imperij Romani. Eodem bello, quod Theodoricus Rex pacis cum Diuo Maioriano factæ immemor ciebat, Narbo Martius ab Agrippino, vti diximus, proditus; & Caino ab Ægidio obsessus est. quippe apud Gregorium in libro de Gloria sanctorum Confessorum inuenio Cainonem castrum Turonum, quod præsidio Gothico tenebatur, ab Ægidio oppugnatum: cúmque castellani & agrestes eodem compulsi aquâ fluminis Vigennæ prohiberentur; nec obstructo puteo, qui in latere montis fossus erat, aquari ampliùs possent; precibus Maximi Abbatis Martini discipuli à Deo impetratam pluuiam, & Romanos fragore nubium ac fulguribus in fugam coniectos esse: ita solutam obsidionem, castrúmque seruatum.

Paullinus in libro VI virtutum Martini ad Perpetuum Episcopum Turonicæ Ecclesiæ, Ægidium Procerem virtute animi magnum, sed probitate & Fide maiorem, in quo vno omnia Galli reponerent, appellat; ac scribente se vixisse indicat. Perpetuus autem Concilio Turonico primo interfuit, & subscripsit Seuerino V.C. Consule CCCC. LXI.
XIV Kal. Decembres, pridie quàm Seuerus Imperator appellaretur: itaut Episcopatum inire non potuerit post Martini mortem, id est (vti putat Gregorius) post Attici & Cæsarij Consulatum anno LXV, Basilio & Viuiano CCCC. LXIII.
Coss. Versus Paullini tametsi suprà positos iterum huic loco inserere conuenit.

Jllustrem virtute virum, sed moribus almis
Plus clarum, magnúmque Fide, qua celsior exstat,
Ægidium hostilis vallauerat agmine multo
Obsidio, obiectis qua mœnia sepserat armis.

Hydatius in Chronico tradit VII imperij Leonis, III

ordinatum consecratúmque esse: vt appareat Seuero imperante vno eodémque tempore Ægidium Gallum, & Gundiucum Regem Burgundionum ambos in Gallia Magistros militiæ fuisse, alterum à Maioriano factum, alterum forsitan priori oppositum ab Seuero, nimirum Gundiucum, qui cùm Hilaro de eiusmodi rebus scripserit, & tantam pacis Ecclesiæ curam egerit, non Arianarum, sed Catholicarum partium fuisse videri potest.

Ex supradictis facilè intelligitur Ægidium Rusticio & Olybrio Coss. septimo Magisterij militum anno decessisse: si verum est, quod ait Gregorius, vbi Maiorianus Augustus consalutatus est, mox Ægidium *Romanum*, hoc est Gallum, *missum à Republica*, nimirum ab Imperatore capite Reip. *& Gallis Magistrum militum datum esse:* & quod Hydatius scribit III imperij Seueri anno eumdem obiisse. Dissentit ab Hydatio Gregorius, Ægidiúmque Anthemij principatu excessisse è vita indicat. quippe eius morti coniunctim subtexit Gothorum aduersus Britannos pugnam, atque victoriam, quos Britannos Anthemio Principe in finibus Biturigum pulsos ab Vesigothis acie infrà dicemus. Dissentit ab Hydatio etiam Sigebertus, qui anno demum Childerici Regis XXIV, post Consulatum Rusticij & Olybrij XVII regnante in Italia Odoacre Ægidium mortuum parum tamen verisimiliter tradit: siquidem Childericum IV regni anno expulsum, & in eius locum Ægidium ab Francis suffectum VIII annos regnauisse, ac post reditum Childerici anno XII decessisse ait. Cùm autem eodem anno, nimirum Leone & Maioriano Coss. Childericus regnare in Gallia, & Ægidius exercitui Gallicano præesse occœperint, nec simile veri sit Childericum ipso initio seu primo anno regni sui pulsum fuisse, constétque eum octauo exsilij anno reuocatum reuertisse, & multa cum Ægidio prœlia commisisse: appatet diutiùs Ægidium vixisse, quàm Hydatio videatur, nec nisi Anthemij principatu decessisse.

CCCC-LXIV.

CCCC-LXXXI.

CCCC-LVIII.

Ceterùm de Childerico, Ægidióque Historici nostri Gregorius, Fredegarius Scholasticus, Aimoinus, Roricóque sic scribunt: Childericum Merouei filium libidino-

ſum & intemperantem, quòd ætati ſuæ indulgens nobiles matronas virginéſque ad ſtuprum raperet, à Francis Regno pulſum, & ad necem conquiſitum, conſilio Wiomadi perfidelis amici, declinandi periculi causâ exſulatum abire ſtatuiſſe: & cum Wiomado, quem aliqui Widiomarum, alij Winomadum vocant, nummum aureum diuiſiſſe, monitum vt ſi quando alteram nummi eius partem accepiſſet, confidenter domum rediret: tuta enim omnia reuertenti; & Francos placatos ac morigeros fore. ita in Toringiam fugiſſe, & apud Biſinum Toringorum Regem latuiſſe: vbi velut oblitus amiſſi ob libidinem Regni Baſinam Reginam, mulierem eximia pulchritudine, adulterio cognouerit. interea Ægidium, Magiſtrum militum Romanorum in Galliis conſtitutorum, cui Imperator Galliæ tutelam delegauerat, à Francis vna voce Regem ſalutatum eſſe, & inſtinctu Wiomadi, quo conſiliario plurimùm vtebatur, ſimulata hominis amicitia deceptus, Francos talium onerum inſolentes grauiſſimis tributis oppreſſiſſe, in capita ſingula tres aureos imponendo: centum quoque Optimates manu promtos, qui Childerici reſtitutioni maximè aduerſaturi videbantur, ad infringendos gentis ſpiritus interemiſſe. tum Wiomadum arrepto tempore intuliſſe ſe in circulos popularium fortunam ſuam complorantium, caſtigantem fletus, quos ſibi ipſi conciuiſſent. quo enim furore impulſos fuiſſe, vt ciui externum per interpretem audiendum, eúmque nationis Francis ſemper infeſtæ; humaniſſimo Regi dominum crudelem, ſuperbum, & auarum; honeſtæ denique libertati turpiſſimam ſeruitutem anteferrent: & quod antea ne victis quidem vmquam contigiſſet, vltro victores ſe ſuáque omnia in hoſtis ditionem dederent? ideóne Childericum optimi Principis bonum filium, quia ætate frui volebat, ferri non potuiſſe, vt Ægidio, Imperatoris militi, quidquid liberet, facere liceret? & nunc illum, qui precariò, & alieno beneficio regnet, ad acerbiſſimas nouorum tributorum exactiones cædem Nobilitatis adiungere, quanto humilioribus infirmioribúſque; tanto obſequentioribus Francis vſurum: Childericum Regno patrio

patrio ſpoliatum in exſilio & egeſtate conſeneſcere. Sed quoniam hæc fato quodam accidiſſent, dandā omnibus operam, ſi viri eſſent, vt alterius reuocatione, expulſione alterius emendarentur. quippe nec de Ægidio quidquam niſi nefarium, & antefactis reſpondens ſperari oportere: nec dubitandum, quin Childericum res aduerſæ ſapientiorem feciſſent, cuius vnà cum ætate animus iam maturuiſſet, ac cupiditates deferbuiſſent. Aſſentientibus cunctis, & pœnitentiam culpæ approbantibus, ſed vbi Rex eſſet ſcire ſe negantibus; Wiomadum preces popularium ſuorum cum dimidiata parte aurei nummi, vti conuenerat, clàm per nuntios ad Childericum perferendas curauiſſe, reuertentíque in Galliam comitatum Proceribus Francorum apud caſtrum Barrum occurriſſe, & Barrenſibus, quòd primi Regem receperant, tributi remittendi auctorem fuiſſe, atque ex eo poteſtatis conſortem egiſſe, adeo vt *regnaſſe ſimul* ambo à Gregorio dicantur. at Ægidium poſt octo annos quàm regnare cœperat, expulſum à Francis, ac (ſi Aimoino credimus) acie victum ab Childerico & Wiomado, Regno decedere coactum eſſe. Baſinam verò Reginam Toringorum, audito in Regnum & in gratiam cum Francis rediiſſe Childericum, quem amanti abſentia, & fortunæ mutatio deſiderabiliorem faciebat; relicto viro ad eum veniſſe, interrogantíque tam longi itineris cauſam reſpondiſſe ob fortitudinem dignitatémque formæ conditionem Childerici ſibi meliorem viſam: ſi quem alium vſquam gentium ſapientia & virtute præſtantiorem noſſet, ex eo liberos quæſituram fuiſſe. delectatum reſponſo Childericum Baſinam ſecum connubio iunxiſſe, Chlodoueúmque genuiſſe, & multa prœlia atque ea ſecunda cum Ægidio commiſiſſe, qui paullo poſt amiſſam Coloniam Agrippinam, & Auguſtam Treuirorum obierit.

Ruſticio & Olybrio Coſſ. pars Alanorum eorum, qui CCCC-LXIV.
poſt Attilæ mortem ab Hunnorum imperio defecerant, aliquamdiu vagata & ſedes quærens, tranſſcenſis Alpibus Iuliis erupit in Italiam, atque apud Bergomum antea Italiæ Tranſpadanæ; tum Venetiæ opidum, ſub

radicibus montis VIII Idus Februar. à Ricimere Patricio prœlio fusa est: & Rex Beorgor, quem quidam Beurgum, alij Biorgum appellant, cum exercitu cæsus est: vt Auctor Chronici à Cuspiniano editi, Marcellinúsque, & Cassiodorus Senator scribunt. Ex quo apparet falli Iordanem, ac Sigebertum: è quibus Sigebertus Maioriani principatu hanc victoriam de Alanis Ricimeri contigisse tradit; Iordanes Anthemio imperante. Vbi & notare conuenit Ricimerem magno errore à Marcellino Regē dici.

CCCC-LXV. Hermenerico & Basilisco Coss. Seuerus Aug. IV imperij annum agens, XVIII Kal. Septemb. Romæ in Palatio decessit: quem sua morte defunctū, præter Paullum Langobardum, Apollinaris Sidonius in Panegyrico Anthemio Aug. iterum Consuli dicto indicat his verbis:

Auxerat Augustus naturæ lege Seuerus
Diuorum numerum.

Contrà Cassiodorus Senator in Chronico fraude Ricimeris veneno necatum dicit. Imperauit Seuerus annos III, menses VIII, dies XXVII, quorum mensium ratione non habita Iordanes eum tertio imperij sui anno expleto obiisse ait; Euagrius triennio imperauisse.

Interregnum deinde per biennium fuit. cui occasioni defuisse Francos non arbitror. tametsi scribit Sidonius Ricimerem Interregem Ostrogothis tum cultoribus Pannoniæ, Francísque accolis Reni adeò terrori fuisse, vt alteri Noricum; alteri Galliam tentare non auderent.

Noricus Ostrogothum quòd continet, iste timetur:
Gallia quòd Reni Martem ligat, iste panori est.

CCCC-LXVII. Pusæo tandem & Ioanne Coss. cùm Vandali quotannis initio veris in Italiam venire soliti ab Italis timerentur: Senatus populúsque Romanus auctore Ricimere legatos ad Leonem Aug. misit, qui peterent, vt Anthemium clarum genere atque opibus Senatorem ipsis Principem, eiúsque filiam Ricimeri Patricio nuptum daret. Anthemius natus erat Constantinopoli patre Procopio Magistro militiæ per Orientem, atque Patricio; Anthemij, qui Consul, Præfectus Prætorij, & Patricius fuit, genero: ac Marciani Aug. vnicam filiam

nomine Euphemiam adolescens duxerat vxorem, atque ab socero primùm Comes, deinde Magister vtriusque militiæ, ac Patricius, mox & collega Valentiniani VIII cccc.
Consulis factus fuerat. idem ab Imp. Leone successore LV.
Marciani missus cum copiis in Illyricum, quod Valamer, Theodemer, & Widemer Ostrogothorum Reges depopulabantur, ibi ita se gessit, vt præsidio prouinciis; hostibus terrori fuerit: cúmque Sarmatæ duce Babai vel Babaz Regulo per adstrictum glacie Danubium in superiorem Mœsiam erupissent, occupatóque Singiduno finitimam Mœsiæ omnem Daciam mediterraneam incursione vastarent: apud Serdicam cum eis pugnauit, & Camundi Ducis collegæ sui fuga perturbatos milites confirmauit, prœliúmque restituit, ac repressos Barbaros cæde Camundi proditoris, qui re malè gesta ad ipsos transfugerat, pacem Leonis iussit redimere. Igitur Anthemium Leo Aug. nominatim exposcentibus Italis Imperatorē creauit Pusæo & Ioanne Coss. & cum lectis- cccc.
simis Comitibus, cúmque magno exercitu in Italiam LXVII.
misit. quare in lege de bonis vacantibus Leo Aug. ait Deum, & se, *cui totius mundi regimen commisit diuina Prouidentia, Anthemio plenam imperij potestatem detulisse.* Auctor libri de publicis ædificiis Constantinopolis scribit Anthemium, antequam in Occidentem proficisceretur, ea in vrbe ex domo sua Ecclesiam fecisse, & locum curandis senibus dedicatum; balneásque exstruxisse. eumdémque Theophanes & Nicephorus piissimum, ac Christianissimum fuisse dicunt. Quominùs assentiri possum Damascio de vita Isidori Philosophi, apud quem inuenio Anthemium priuatum clàm idola coluisse, & (vt antè Eugenius Tyrannus; & Eucherius Stiliconis filius; ac postea in Oriente Zeno Aug. facere voluisse dicuntur) reuocandæ idololatriæ occulta consilia iniisse cum Seuero Patricio, idem sentiente, & arti magicæ dedito, quem postea secutum se in Italiam Imperator Consulem designauerit.

et cum Hunnis duce Hormidace per adstrictum glacie Danubium Daciam mediterraneam ingressis apud Serdicam pugnavit repressosque Barbaros caede collegae sui Praefecti equitum qui re male gesta ad ipsos transfugerat, pacem Leonis jussu redimere.

Postquam Anthemius classe peruenit in Italiam, ab exercitu Italico, qui cum Ricimere Patricio erat, ad octauum milliarium ab vrbe Roma mense Augusto Au-

gustus appellatus est: vt ait Hydatius in Chronico, qui eum falsò pro filio Procopij fratrem vocat, atque nulla diuturni interregni ratione habitâ (sicuti & Sigebertus facit) eo ipso anno, quo Seuerus Princeps decesserat, Imperatorem consalutatum dicit. Apud Auctorem Chronici ab Cuspiniano editi, & in Chronico Græco, quod Alexandrinum appellant, inuenio An-
CCCC-LXVII. themium Romæ pridie Idus April. Pusæo & Ioanne Coss. Imperium recepisse. Marcellinus, Cassiodorus Senator, Victor, & Marius Auenticensis Episcopus de anno consentiunt. è quibus Senator Anthemium ad tertium lapidem ab Vrbe in loco Brontota Imperatorem appellatum ait. Adiicit Auctor Chronici Alexandrini imaginem Anthemij per Ferentium Præfectum Vrbis Constantinopolim ex more introlatam esse, eíque Senatum populúmque cum ture & cereis occurrisse. Non fuit immemor collati sibi à Leone Imperij Anthemius. nam (vt leges eius duæ docent ad Lupercianum Præf. Præt. missæ) leges Leonis, quem *Dominum, & patrem suum, Principem sacratissimum* vocat, sæpe confirmauit, eumdémque multis de rebus non rarò consuluit: & inuicem Leo Anthemium *pium, ac triumphatorem, semper Augustum, filium suum serenissimum Principem* appellat, legibúsque, quas tum tulit, eius nomen præfigit, ac coniungit suo.

Sub finem anni Anthemius Aug. spe publicæ securitatis filiam virginem in matrimonium dedit Ricimeri; quem anno Anthemij Principis tertio generum Imperatoris, & Patricium factum falsò tradit Hydatius.
CCCC-LVII. cùm (vt suprà indicauimus) Constantino & Rufo Coss. Patricia dignitate honoratus fuerit: & Sidonius, qui tum Romæ erat, in libri I epistola IX scribat post factas filiæ nuptias Anthemium proximis Kalendis Ianuariis secundum Consulatum iniisse. Sed non possum non mirari Sauaronem, & quosdam alios, qui cùm apud Gregorium legissent Theodomerem Regem Francorum, filium Richimeris cum Ascila matre sua interfectum; Richimerem hunc, qui natione Francus, & pater Regis Francorum fuit, Ricimerem de quo nunc

loquor, hominem paterno genere Sueuum, materno Gothum; & Ascilam, feminam vt nomine sic gente Barbaram, Anthemij Aug. filiam, vxorémque eius fuisse putauerunt.

Eodem tempore Aruandus, qui Præfectus Prætorij Galliarum bis fuerat, Romam in custodiam abductus; & à legatis prouinciæ Galliæ Tonantio, Ferreolo Afranij Syagrij Consulis nepote, Thaumasto, & Petronio publico nomine accusatus maiestatis; atque Senatusconsulto damnatus est, & bona eius publicata. propterea quòd per epistolam, quæ intercepta fuerat, Gothorum Regi suaserat, vt Græco Imperatori, (ita Anthemium appellabat accitum ex Gręcia) & *Britannis super Ligerim sitis* bellum inferret, & cum Burgundionibus iure gentium Gallias diuideret. quemadmodum scribit Sidonius in libri I epistola VII. Hic apud Senatorem in Chronici vetere editione Arabundus, pro Arbando, & in recentiore Ardaburius vocatur; apud Paullum Langobardum & Sigebertum pro Eruando Seruandus. Videtur autem Anthemius pœnam capitis Aruando remisisse motus precibus Sidonij & Auxanij eius amicorum, atque exsilio fuisse contentus. etsi enim Sigebertus Aruandum ob affectatum Imperium anno Anthemij Principis secundo necatum scribit: tamen ceteri, in primis Senator, Marciano & Zenone Coss. ob hæc ipsa rele- CCCC. LXIX.
gatum dicunt. quamquam ex Sidonij verbis intelligitur Aruandum non affectatæ purpuræ, sed litterarum ad Gothorum Regem missarum accusatum, & ante secundum Consulatum Anthemij, hoc est Pusæo & Io- CCCC. LXVII.
anne Coss. circa finem anni esse damnatum.

In Chronico Marij Auenticensis Episcopi inuenio Theodoricum Regem Gothorum, interemtorem Thorismodi fratris sui, supradictis Pusæo & Ioanne Coss. ab Eurico fratre Tolosæ interfectum: quem Auctor, qui Chronico Victoris nonnulla de rebus Gothicis inseruit, anno antè Leone Aug. III & Tatiano Coss. iugulatum prodit. Euricum autem Marius Euthoricum vocat; Sidonius in libri VIII epistola IX pro Eudorico Theudoricum mendosè, & in libri VII epistola VI Euarigem;

alij Eoricum, & Euarigem appellant.

CCCC-LXVIII. Insequenti anno Anthemio Aug. Romæ secundum Consulatum ineunti Apollinaris Sidonius Panegyricum dixit, ab eóque præfecturam Vrbis, & Patriciæ dignitatis gradum obtinuit.

Eodem anno Leo Aug. multis de causis bellum Vandalis inferre constituit: primùm quòd Afros grauissimis tributis oppressos; dirutos Africæ vrbium muros; agros prouincialium à Rege Vandalis datos; Episcopos sedibus expulsos; spoliatas Ecclesias; multos propter constantem Catholicæ fidei professionem necatos, multos relegatos dolebat: tum etiam maximè quòd Geisericus ab eo per Phylarchum legatum certior factus Anthemium Imperatorem creatum esse, & sub belli denuntiatione iussus Italiam ac Imperium dimittere, recusauerat affirmans Romanos Occidentales fœdera rupisse. Accedebat, quòd cùm Geisericus in dies vires augeret suas; timendum erat, ne vt Africæ prouincias ad Imperium Occidentis pertinentes occupauerat, ita finitimæ Libyæ ac Ægypto Orientalis Reip. membris manum iniiceret. Quamobrem Leo Princeps Basiliscũ Consularem Verinæ Aug. coniugis suæ fratrem, impium hominem atque Eutychianum cum mille & centum nauium classe in Africam aduersus Vandalos mittit. cui proficiscenti Aspar & Ardabures Ariani Imperium promisisse dicuntur, si Geiserico Ariano & ipsi, Arianæque gentis Regi exercitum prodidisset, & de se victoriam dedisset, aut saltem bellum traxisset. Orientalibus Basilisco duce delatis in Siciliam, atque inde breui & commodo traiectu in Africam transituris accepta fide iunxit se magna cum manu Marcellinus Patricius Occidentis, Marcellianus Procopio dictus, móxque ab eisdem contra religionem iurisiurandi dolo confossus est. cuius de cæde vbi Geisericus cognouit, lætus velut iam exploratâ victoriâ affirmauit Romanos sinistra sibi manu dextram amputauisse. Hic autem Marcellinus Patricius, & Iulij Nepotis, qui postea imperauit, auunculus dicitur idola coluisse, & Sallustio Cynico similiter idololatre familiarissimè vsus esse,

vir alioqui pace bellóque optimus, diuinationis bene peritus, & Romanis disciplinis eruditus. idem post occisum Aëtium amicum suum, metu similis exitus ad Valentinianum Principem venire recusauit, coactáque magna manu Scytharum Dalmatiam Illyrici Occidentalis prouinciam occupauit, ac ita in potestate habuit, vt sui iuris esset, nec vlli Imperatori, aut Barbararum gentium Regi pareret. transiit deinde in Siciliam, Vandalósque fusos ac fugatos ex insula expulit. rogatúsque ab Romanis Occidentalibus Leo Cæsar per Phylarchum quemdam legatum ei persuasit, ne, quod auctis copiis facturus putabatur, popularibus suis nefarium bellum inferret. Haud multo pòst Marcellinus sponte, aut (sicut scribit Procopius) rogatu Leonis Augusti potiùs quàm (vti ait Hydatius) missu Anthemij Sardiniam Vandalis breui ac facilè eripuit, & se Orientalibus auxilij gratiâ iunxit, atque impulsore Ricimere, qui militum partem maiorem ab eo ad se pecuniâ traduxerat, mense Augusto interfectus est. apparuítque breui Geisericum, cognita tanti viri cæde, non sine causa victoriam sperauisse. quippe Basiliscus cùm Africam petiisset, & fusis apud Tripolim Vandalis, captáque ea vrbe Carthaginem Magnam à mari oppugnare cœpisset, clàm collocutus cum Geiserico supradictam vrbem antè Barbaro pecuniâ vendidit, quàm in Romanorum potestatem redegisset, exercitúmque, vt inter ambos conuenerat, prodidit ac perdidit. Itaque intempesta nocte à Vandalis naues ad vnam omnes incensæ sunt, vehementi vento extemplò ignem spargente, ac per totam classem latè effundente: milites semisomnes partim flammis, partim gurgitibus hausti; partim contis remísque confecti. Basiliscus ipse ægrè cum paucis euasit, regressúsque Constantinopolim in Ecclesiam Magnam confugit, atque Verinæ Aug. sorori donatus, & Heracleam Thraciæ, quam veteres Perinthum dixere, à Leone missus, breuíque reuocatus est: atque, vt ex Prisco intelligitur, mox pace facta Eudoxia & Placidia Constantinopolim redierunt. Procopius in libro I belli Vandalici tradit, post victos Vandalos occu-

patámque Tripolim ſeu Neapolim, bellum facilè confici & Carthaginem expugnari potuiſſe, ſi Romani eò protinus contendiſſent: ſed factum lentitudine aut ignauia Baſiliſci ad promontorium Mercurij tempus terentis, aut certè proditione eius, vti occaſio victoriæ dimitteretur, & vt V dierum induciæ Geiſerico ad deliberandum darentur, aut auro venderentur, intra quod tempus Barbarus claſſem inſtruxerit.

Hic fuit euentus nouiſſimę Romanorũ aduerſus Vandalos expeditionis, quam anno Anthemij Principis tertio factam falsò ait Hydatius. neque quidquid dicat Cedrenus; Leo poſteà, aut vllus alius Geiſericum bello laceſſere auſus eſt. Quem ego virum fortiorem, an fortunatiorem dicam neſcio. nam cùm non (vt prodit Senator) ab Gothis excluſus Hiſpaniâ, ſed accitus ex Bætica à Bonifatio,
CCCC. XXVII. initio regni cũ Vandalis omnibus & Alanis Hierio & Ardabure Coſſ. menſe Maio in Africam tranſmiſiſſet; eumdem accepta à Placidia Aug. fide & magno exercitu miſſum aduerſus ſe, iunctúmque Aſpari Orientalium
CCCC. XXXII. copiarum Duci vicit acie Aëtio & Valerio Coſſ. maximámque multitudinem Romanorum, in primis Marcianum Aſparis Domeſticum, qui poſtea in Oriente imperauit, cepit: reliquos in fugam coniecit. Quam-
CCCC. XXXV. obrem Placidus Valentinianus in quarto Conſulatu ſuo per Trygetium legatum pace neceſſaria magis quàm vtili compoſitâ, partem ei Africæ condonauit. cúmque paullo pòſt Barbarus rupto fœdere piraticam exercuiſſet, & multas inſulas, præcipuè Siciliam vaſtauiſſet, Carthaginémque cum omni Africa dolo captam diripuiſſet, Carthaginenſibus Senatoribus nudis in Italiam tranſire compulſis, nec iam Imperium Occidentis modò, verùm etiam Orientem latrociniis infeſtaret:
CCCC. XLI. iterum Theodoſius Aug. Cyro Conſule Ariobindum, vel Areobindam natione Gothum, Patricium & Conſularem, Anaxilam, & Germanum Duces cum CIϽCLXX nauium claſſe aduerſus eum miſit: qui Siciliam petiere, & longis cunctationibus inſulæ magis oneri, quàm Africæ auxilio fuere. ſiquidem inſequenti anno Dio-
CCCC. XLII. ſcoro & Eudoxio Coſſ. Attila vel forte, vel Geiſerici

ipſius

ipſius bellum à ſe auertere cupientis impulſu, Thracias & Illyricum depopulante, coactus eſt Theodoſius exercitum morantem adhuc in Sicilia ad tutelam prouinciarum ſuarum celeriter reuocare, pacémque cum Geiſerico inire. imitatus quoque ſocerum Valentinianus ſtatim pace facta cum eo Africam Occidentalem diuiſit, Byzacium, Tripolim, & prouinciam Proconſularem Barbaro cedens, retentâ Mauritaniâ Sitifenſi, Mauritania Cæſarienſi, atque Numidia, & quæ pars Mauritaniæ veteris fuerat, ſed Hiſpaniæ prouinciis annumerabatur, Tingitania: quæ IV prouinciæ poſt Valentiniani mortem vnà cum Sardinia, Maiorica, Minorica, Ebuſo, aliiſque mediterranei maris inſulis à Vandalis ſunt occupatæ. Pace facta Geiſericus Byzacenâ, Abaritanâ, Gætuliâ, & parte Numidiæ ſibi reſeruatis; Zeugitanam & Proconſularem prouinciam exercitui diuiſit. Quis deinde Maioriani Principis, quis poſtremò Baſiliſci ab Leone Aug. miſſi expeditionis Africanæ exitus fuiſſet, & quæ Placido Valentiniano mortuo à Vandalis geſta eſſet, narrauimus. ex quibus intelligitur Geiſerico ad vincendos Romanos nec virtutem vmquam, nec fortunam defuiſſe: qui, quod Alaricus, Ataulfus, & Attila Reges facere voluerant, fortiter felicitérque perfecerit, ac poſt euerſum demum Imperium Occidentis voti compos obierit. Geiſericus autem Godigiſcli Regis partis Vandalorum ex concubina filius, Gunderici frater minor natu, atque ſucceſſor, dicitur ex equi caſu claudicauiſſe; ſtaturâ fuiſſe modicâ; ſermone raro; magna ad ſimulandum altitudine ingenij; continens; exſomnis; iracundus; ſæuus; auarus; callidus; inter quietas gentes bella, inter concordes odia ſerendi ſcientiſſimus; ſemper expedita claſſe, & exercitu, quem alere conſueuerat, ad nauigandum parato hoſtibus timendus; rebus ſecundis ſuperbus & ferox, nec ſine cauſa, quippe qui toties repellens bellum, aut inferens, numquam niſi fortè leuibus prœliis abſens ſuperatus ſit. cùm Attila non ſolùm eo validior, ſed etiam omnium ætatis ſuæ Imperatorum ac Regum potentiſſimus, pæne exitiabilem in Gallia cladem acceperit: quem tamen

adeò magis quàm Geisericum videntur metuisse Romani, numquam vt armati eius Regnum ingredi sint ausi. Geiserico successit Hunericus natu maximus filius; Hunerico Gunthamundus; huic Thrasamundus non minùs Geiserico & Hunerico in Catholicos sæuus: post Thrasamundum Hildericus, Hunerici ex Eudocia Regina filius regnauit. eo in custodiam dato, ac pòst interemto Regnum Gelimer Geiserici adnepos occupauit: quo per Belisarium Magistrum militum ac Patricium acie pulso, atque in deditionem accepto, Iustinianus Aug. omnem Africam Imperio Romano restituit. vti Iordanes, Victor, Procopius, & Isidorus scribunt. Hoc notandum duxi, quòd Gregorius in Historiæ libro II nescio quem Auctorem secutus omisso Geiserico, atque Gunthamundo, Reges Vandalorum quinque tantùm, ac ne ordine quidem enumerat, nimirum Gundericum, Trasimundum, (ita appellat) Honoricum, Childericum, ac Gelesimirim, hoc est Gelimerem: scribítque post Gundericum, quo duce Vandali vastatis Galliis in Hispaniis consederant, regnante Trasimundo, inter Sueuos & Vandalos de finibus ortam esse contentionem, quòd vtrique in Callæcia sedem habebant: ac iam instructa vtrimque acie conuenisse, vt duorum militum pugnâ controuersia finiretur, & cuius populi ciuis vicisset, is populus omnem Callæciam solus obtineret: atque cæso Vandalo, Trasimundum ex fœdere icto post parata ad iter necessaria Hispaniâ decessisse, & prosequentibus Sueuis vsque ad Traductam, quod est opidum Bæticæ freto proximum Transducta à Ptolemæo dictum, exercitum in Africam traiecisse, eámque occupauisse: post Trasimundum autem Honoricum electum Regem à Vandalis Regnum Africæ obtinuisse: Honorico Childericum; Childerico mortuo Gelesimirim successisse, qui ab Romanis victus Regnum amiserit, Africâ Imperio restitutâ. Non negauerim tamen Vandalos in Hispania cum Sueuis bella gessisse. quippe Hermericum Sueuorum Regem rupto fœdere à Gunderico
CCCCXX. Rege Vandalorum anno Honorij Principis XXV in montibus Neruasorum obsessum auctor est Hydatius, &

insequenti anno Gundericum dimissa oppugnatione Sueuorum, instante Asterio Comite Hispaniæ, vrbem Bracaram Augustam, & prouinciam Callæciam reliquisse, atque in Bæticam immigrauisse, vbi Castinum Magistrum militum acie vicerit, viginti ferè millibus Romanorum cæsis, móxque prædatus Baleares insulas, & depopulatus Hispanias, captâ ac direptâ Carthagine Spartaria atque Hispali, anno IV post Honorij mortem obierit: cuius frater successórque regni Geisericus sequenti anno, Hermigario Sueuo in Lusitania apud Augustam Emeritam cum multis oppresso atque interfecto, Vandalos omnes in Mauritaniam transmiserit. Auctor Chronici, quod Prosperi esse dicitur, quo nihil est in notatione temporum mendosius, anno VIII post Honorij Aug. mortem XX millibus Romanorum in Hispania interfectis Vandalos in Africam transiisse dicit: cùm hæc clades sub Magistro militiæ Castino accepta sit, Honorio XIII & Theodosio X Coss. & quin- CCCC. quennio pòst Vandali Africam petiuerint. XXII.

CCCC. Marciano & Zenone Coss. Anagastes Comes Dengizicem, Attilæ filium, Regem partis Hunnorum, quem LXIX. Marcellinus Denzicem; Iordanes Dindzichum appellat, victum occidit, capútque eius Constantinopolim ad Leonem Aug. latum est. cuius maiorem fratrem nomine Ellacem Regem Barbari, in primis Gipedes, & Ostrogothi ab Hunnis desciscentes paullo post Attilæ mortem acie victum occiderant.

Eodem anno Magnum Felicem, natione Gallum, Magni Consulis filiũ, & Sidonij amicum, qui Præfectus Prætorij fuerat, Anthemius Aug. Patricium fecit. hic postea mutata veste religioni se dedidit, & à Fausto Reiensi Episcopo per epistolam in proposito confirmatus est.

Seuero & Iordane Coss. Romanus Patricius, is credo, CCCC. quem Tribunum militum vnà cum Romulo Comite LXX. & Promoto Norici Præside Valentinianus Aug. legatum ad Attilam misit, Imperium affectasse conuictus capitali supplicio afficitur.

Circa id tempus, cùm Euricus Rex Vesigothorum, crebram mutationem Principum Romanorum suam

occasionem putans, totam Galliam occupare conaretur: ad eum repellendum Anthemius Aug. Britannica auxilia accersiuit. Britanni enim complures, subactâ ab Anglis nobilissima parte Britanniæ insulæ, externæ dominationis intolerantes in tractum Armoricum duce Rioualo emigrauerant Placidi Valentiniani principatu, & in finibus Venetorum, Curiosolitum, ac Osismiorum consederant, regionémque Britanniam appellauerant. quorum Britannorum Episcopum nomine Mansuetum Seuerino V.C. Consule Concilio Turonico interfuisse ac subscripsisse inuenio. Horum Rex, à Sidonio in libri III epistola IX Riothamus; à Iordane Riothimus Rex Brittonum dictus, XII armatorum millia in naues imposuit, & secundo æstu Oceani inuectus os Ligeris, aduerso flumine subiit, atque exscensione factâ Auaricum Biturigum pedibus peruenit: receptúsque ab incolis, vt socium decebat, ac inde progressus priusquam cum Romanis vires suas iungeret, in Euricum incidit circa vicum Dolos, vbi diu cùm esset pugnatum, ab hostibus numero magis quàm virtute victus, amissâ magnâ parte exercitus ad Burgundiones, gentem finitimam, trans Ligerim perfugit. Erant tum Burgundiones socij Romanorum, atque amici, adeò vt Chilpericus eorum Rex, cuius Regia Lugdunum erat, tamquam successor officij Gundiuci fratris sui, Magisterio militum in Gallia fungeretur: quemadmodum Sidonius tradit in libri V epistolâ VI, qui & ob id in epistola IV libri III, & in carmine ad Catullinum Burgundiones *propugnatores, & patronos* Aruernorum vocat. Eius pugnæ mentionem habuit proximus à Iordane Gregorius, Britannósque ab Gothis finibus Biturigum expulsos, & multos apud Dolensem vicum interfectos esse scripsit: quam victoriam de Britannis Eurico Regi contigisse anno II post Anthemij mortem imperante Iulio Nepote falsò Sigebertus prodit.

CCCC. LXI. (margin, beside "mine Mansuetum Seuerino V.C. Consule Concilio Turonico")

CCCC. LXXIV. (margin, beside "rico Regi contigisse anno II post Anthemij mortem")

CCCC. LXXI. Leone Aug. IV & Probiano Coss. Aspar, Ardaburis viri Consularis filius, Consularis & ipse, ac trium Consularium pater, primúsque Patriciorum iussu Leonis Aug. cui sua auctoritate Imperium conciliauerat, occi-

ditur: de quo, etiamsi in Oriente floruit, vt antea mentionem feci, sic nunc mihi pauca dicenda sunt. Hic Aſpar ſectâ Arianus, Aſper à Græcis quibuſdam dictus, quem Candidus Iſaurus natione Alanum; Iordanes Gothum fuiſſe dicit, à Principe Theodoſio minore Magiſter militiæ, Patricius, & Conſul erat factus, plurimúmque apud eum, & apud Marcianum potuerat, ac ex tribus vxoribus tres filios ſuſceperat Ardaburem, Patricium, & Hermenericum. quorum natu maximo Ardaburi vel Ardaburio Theodoſius Ducatus, Patriciam dignitatem, Conſulatúmque; Marcianus Magiſterium militum Orientalium detulerat: Patricium verò, quem quidam Patriciolum vocant, Leo Aug. non ſolùm Conſulem, ſed etiam Cæſarem ex pacto creauerat, atque Hermenericum quoque Conſulem fecerat. tantâ potentiâ fretus Aſpar Magiſter militum Præſentium cùm fauere Vandalis diceretur, Iſauróſque, quos circum ſe Leo Aug. habebat, ſolicitare; affectati Imperij ſuſpectus magis quàm reus Conſtantinopoli in Palatio vnà cum Ardabure à ſpadonibus iugulatus eſt. Hermenericus abſens re cognita in Iſauriam perfugit, vnde poſtea reuerſus Conſtantinopolim, notham Zenonis Principis filiam duxit vxorem. at Patricius Cæſar etſi multis vulneribus acceptis tamen conualuit. cui in exſilium miſſo Ariadnen vxorem ademtam, ac Zenoni in matrimoniũ datam falsò ait Nicephorus, ſecutus Marcellinum, qui Patricium generũ Leonis Principis appellatum tradit. cùm Iordanes in libro de ſucceſſione regnorum Aſparem occiſum dicat *inſtinctu Zenonis, qui Imperatoris gener erat*. Certè Zonaras Patricium quidem Cæſarem à Leone Aug. factum; non item matrimonio filiæ eius in affinitatem receptum ait: contrà regiarum virginum alteram Zenoni; alteram Marciano nuptum datam, Aſparem autem ideò occiſum eſſe prodit, vt Leo Aug. nepoti ex Zenone & filia Ariadne Leoni Imperiũ conciliaret. & Georgius Cedrenus ſecundo Leonis imperij anno Ariadnen maiorem natu eius filiam Zenoni nupſiſſe tradit. Patricij vel Patricioli filius fuit Vitalianus, is qui cupiditate Imperij impulſus Anaſtaſio Aug. bellum intulit, móxque

Magister Præsentis militiæ, & Consul ab Iustino factus;
IↃXX. VII mense Consulatus sui in Palatio factione Iustiniani Patricij XVI plagis confossus est: cuius filius nomine Ioannes Germani Patricij filiam duxit, & Magister militiæ in Italia principatu Iustiniani aduersus Ostrogothos magnas res gessit. Ceterùm errat Hydatius in Chronico, cùm XI Leonis imperij anno Asparem non occisum, sed priuatum factum, & tantummodò filium eius, nimirum Ardaburem, interfectum dicit.

CCCC-LXXI. Eodem anno, quo Leo Asparem fiduciâ meritorum sibi aduersantem ac prægrauem trucidauit, in Occidente inter socerum & generum orta discordia est. nec Anthemius ferre æqualem volebat, nec Ricimer superiorem. Aspar cum filiis fraude Leonis deceptus in oculis Ricimeris erat, cauendum sibi intelligentis, ne similiter ab Anthemio securus opprimeretur. alentibus odium vtriusque amicis, alter Romæ; Mediolani alter ciuile bellum parabant: cùm reconciliatio gratiæ per Epiphanium Ticinensium Episcopum facta
CCCC-LXXII. est. ac insequenti anno Festo & Marciano Coss. Ricimer Patricius violata fide Romæ cum Anthemio bellum gessit: Olybrium potentissimum Senatorem Romam à Leone Aug. missum in locum viui ac videntis soceri Imperatorem suffecit: & Bilimerem, rectorem Galliarum, Principi in auxilium venientem apud pontem Hadriani acie fusum occidit: móxque Anthemium ipsum V Idus Iul. contra reuerentiam imperatoriæ Maiestatis & ius affinitatis cum magna clade Vrbis inter-
CCCC-LXXI. emit, quem falsò Victor in Chronico Leone Aug. IV & Probiano Coss. occisum dicit.

CCCC-LXXII. Eisdem Festo & Marciano Coss. Theodericus Triarij filius, Ostrogothorum Rex frustratus hereditate Asparis sororis suæ viri, & Ostrui Comes Gothus, mortem eius, cuius quondam Protector fuerat, vlcisci cupiens Constantinopolim obsedere, atque per Zenonem & Basiliscum ab vrbe repulsi sunt.

Circa id tempus Seronatum Præfectum Prætorij Galliarum Barbaros, in primis Vesigothos clàm inuitantem, vti prouincias Romanas occuparent, Romam per-

duxere Aruerni, & Maiestatis accusauere: de quo Senatus conuicto atque damnato supplicium sumsit.

Anthemio ex Euphemia filij fuere Marcianus, Romulus, & Procopius. è quibus Marcianus Patricius, & Consul à patre Aug. factus filiam Leonis Aug. Leontiam natam in purpura duxit vxorem: cuius soror Ariadne, patre adhuc priuato genita, Zenoni nupserat. Quamobrem Marcianus post soceri mortem vxorio iure Imperium sibi vindicauit. causa Leontiæ quibusdam fauorabilis videbatur. nam Darius Persarum Rex Xerxem minorem filium ob idipsum Artameni natu maiori ante regnum suscepto; similiter Xerxes Dario maiori filio Artaxerxem præposuisse dicitur. sic postea Heinricus Heinrici Regis filius, Demetrius quoque Porphyrogennetus Despota Manuelis Aug. filius, cùm ob eamdem causam Imperium sibi deberi dicerent, maioribus natu fratribus prior Ottoni; posterior Ioanni bellum intulere. Igitur Marcianus cùm aduersus Zenonem Principem plebem Constantinopolitanam armâsset, superatísque ad ipsas Palatij fores Isauris, oppugnationem eius in posterum diem distulisset, à suis deseritur, & per Illum Isaurum, Patricium & Consularem virum in Thermis Zeuxippi vincitur, & capitur. quem Zeno per Acacium Patriarcham Presbyterum faciendum curauit, & Mazacâ Cæsareâ clausit: vnde clàm elapsus circa Ancyram caput Galatiæ primæ tumultum mouit; iterúmque comprehensus, & in castello Papirij apud Isauros custoditus est. Euagrius & Nicephorus tradunt Marcianum Constantinopoli extractum ex Martyrio Apostolorum, quò confugerat, & Cæsaream Cappadocum in exsilium missum esse: ibi fugam meditantem apud Monachos latuisse, atque patefacto consilio in vrbe Ciliciæ Tarso Presbyterum ordinatum. Romulus, & Procopius fraternæ coniurationis participes ad Regem Gothorum Theodericum, Triarij filium, cognomine Strabonem in Thraciam perfugere, frustráque sæpiùs per legatos ab Zenone repetiti, assignati agelli reditu precariam vitam tolerauere. Fuit etiam Zeno Anthemij Aug. nepos, is quem Procopius Iustiniani principatu Præsidem

CCCC. LXIXI.

Ægypti fuiſſe, & nullis relictis liberis deceſſiſſe ſcribit.

Olybrius, qui poſt Anthemium imperauit, genitus erat Aniciâ familiâ, quæ vetuſtate, maximis rebus honoribúſque geſtis, poſſeſſionibus per omnes Imperij Romani prouincias ſparſis adeò inter Senatorias gentes eminuit, vt Imperator Iuſtinus natus in vico Thraciæ, & Iuſtinianus Aug. ſororis eius filius huic ſe familiæ inſeruerint, quaſi nouitatem ſuam hocce mendacio nobilitaturi. Is ante Vandalorum aduentum relictâ vr-
CCCC-LV. be Româ Conſtantinopolim petierat Valentiniano VIII & Anthemio Coſſ. & Placidiam Diui Placidi Valentiniani filiam, Diui Valentiniani maioris abneptem, ab Geiſerico cum Eudoxia matre Conſtantinopolim remiſſam in matrimonium acceperat. Idem Senator vrbis Romæ ab Hydatio dicitur; Patricius, & Princeps Senatus Romani à Nicephoro, qui, vt & Ioannes Zonaras, tradit Geiſericum Nobiliſſimam Placidiam, vbi Olybrio deſponſam fuiſſe cognouit, vnà cum matre Marciano Aug. ſponſóque remiſiſſe. Nos Priſcum Rhetorem ſecuti; qui tum Conſtantinopoli Hiſtoriam ſcribebat, ſuprà diximus Placidiæ nuptias à Leone Principe conciliatas eſſe: quibus celebratis, Geiſericus Vandalorum Rex multo quàm antea infeſtiùs Siciliam Italiámque vaſtauit, vt Olybrio, nurus ſuæ ſororem in matrimonio habenti, Imperium Occidentis conciliaret.
CCCC-LXIV. Eumdem Leo Aug. cum Ruſticio Magiſtro militiæ Conſulem fecit: quem Victor & Marius in Chronicis etſi ab Imperatore Orientis in Oriente deſignatum, & poſteriorem renuntiatum; tamen quòd Senator Romæ veteris erat, tamquam Occidentalem Conſulem Ruſticio Orientali præponunt. Auctor eſt Nicephorus Calliſtus in libro XV operâ Valerij & Olybrij Patriciorum Athenaidi, vel Æliæ Eudociæ Theodoſij minoris quondam vxori reconciliatam Pulcheriam Aug. Marciani Principis coniugem, pérque eam factum, vt cum Geiſerico pace initâ Eudoxia Eudociæ filia, neptíſque Placidia in vrbe Roma captæ, Conſtantinopolim dimitterentur. Cui ego aſſentiri non poſſum, cùm Marcianus (ſicuti ipſe eodem in libro tradit) datæ Geiſerico fidei me-

memor initio principatus, ante quadriennium quàm Roma caperetur, cum Vandalis pacem fecerit, & Pulcheriam Reginam anno Marciani Principis tertio, Opilione & Vincomalo Coss. mense Iulio, hoc est biennio ante Vrbem captam decessisse Hydatius ac Marcellinus prodant. Igitur Olybrius post annos XVI quàm Constantinopolim se contulerat, Romam reuersus cum Placidia vxore, operâ Ricimeris Patricij, à quo erat reuocatus, recepit Imperium, atque Anthemium Aug. oppressit. Neutri tamen licuit victoriâ belli ciuilis diu lætari. quippe Fl. Ricimer Magister vtriusque militiæ, ex Consule ordinario, atque Patricius XV Kal. Septemb. post Anthemium occisum nono ac tricesimo die, aut (vt Senator ait) XL mortem obiit: vir bellicosus quidem, ac pæne tum solus in Italia Ducis nomine dignus; sed perfidiosus; fallax; sæuus; nec aliis, nec sibiipsi consentiens; & ad conciliandum adimendúmque Imperium potentiâ suâ malè vsus. Olybrius autem allecto inter Patricios Gundiuaro, sororis Ricimeris filio, quem Senator Gundibatum, aliqui Gundibalum appellant, Romæ VII imperij mense decessit, vt Marcellinus, Iordanes, & Cassiodorus Senator scribunt. Quare si verum est, quod Auctor Chronici ab Ioanne Cuspiniano editi ait, Imper. Anthemium Festo & Marciano Coss. V Idus Iul. periisse, eodémque anno Olybrium Aug. Romæ X Kal. Nouembr. obisse: credere conuenit ante tertium mensem quàm Anthemius interficeretur, Olybrium Imperatorem appellatum esse. Ex his intelligitur errare Paullum, qui in Historiæ Miscellæ libro XV tradit à Glycerio correptis apud Rauennam insignibus Imperatoriis Olybrium Imperio expulsum. Placidia Augusta cum filia, quam ex Olybrio habebat, paucis annis post viri mortem Constantinopolim repetiit, atque à Zenone Aug. Leonis successore honorificentissimè accepta, habitáque est. quo ei nomine gratias per legatos egit Hunericus Geiserici filius Rex Vandalorum, cui soror Placidiæ Eudocia nupserat, & rogatus à Zenone ac Nobilissima Placidia Carthaginensi Ecclesiæ permisit, vt quem vellet sibi Episcopum ordinaret. mentionem eius

CCCCLIII. (margin, beside "cheriam Reginam anno Marciani Principis tertio")

CCCCLXXII. (margin, beside "ait, Imper. Anthemium Festo & Marciano Coss.")

facit Simplicius Romanus Epiſcopus in epiſtola ad Ze-
CCCC-LXXVIII. nonem Aug. Illo Conſ. miſſa, in qua Placidiam *Nobiliſsimam feminam* vocat. Olybrij & Placidiæ filia, quam Zeno Princeps Theoderico Valameris filio daturum ſe vxorem ſpopondit, ſi Theoderico Triarij bellum inferre voluiſſet; fuit Iuliana Nobiliſſima Patricia, à Paullo in libro XV Hiſtoriæ Miſcellæ dicta Illuſtriſſima femina: nupta Areobindo Duci ac Patricio, Areobindi Gothi, Magiſtri militum, Patricij, atque Conſularis nepoti, quem Catholicarum partium virum anno ſexto
IↃXII. poſt initum Conſulatum Paullo & Muſciano Coſſ. plebs Conſtantinopolitana, odio Anaſtaſij Aug. Eutychiani vel Theopaſchitæ, Imperatorem facere voluit. Iuliana autem tanta fuit pietate, tantáque conſtantia, vt Baſilicam Beatæ Mariæ exſtruxerit, neque ei à Timotheo Patriarcha, ac ne ab Imper. quidem Anaſtaſio perſuaderi potuerit, vt actis Synodi Calchedonenſis damnatis, Eutychetis Preſbyteri & Abbatis ſectam ſequeretur. Hæc eſt Valentiniani Aug. neptis Iuliana, quam Cyrillus Monachus ad magnum Sabam Monachum in ſuburbano Rufini ad Calchedonem morantem XXII imperij Anaſtaſij anno crebrò veniſſe ſcribit. Chronici Alexandrini Auctor tradit Olybrium Romam miſſum à Leone Aug. inuitum & coactum à Romanis, Imperium recepiſſe: & ex Placidia vxore Iulianam filiam tuliſſe, quæ Areobindo poſtea nupſerit, eíque Olybrium minorem futurum Conſulem genuerit. falsò enim ſupradictus Auctor Areobindum Iulianæ virum, Areobindum maiorem fuiſſe ſcribit, ſingulari cer-
CCCC-XLIX. tamine in Perſide inito illuſtratum, quem Aſturio & Protogene Coſſ. deceſſiſſe ex Marcellino cognoſcitur. Falsò item Areobindi & Iulianæ filium hunc eſſe Oly-
CCCC-XCI. brium tradit, quo Conſule Zeno Aug. obiit, cùm non-
IↃXXVI. niſi Iuſtini principatu Conſulatum inierit.

Anthemij & inſequentium Imperatorum principatu florebat Arbogaſtes Francus in Gallia, Arigij clariſſimi ac ditiſſimi viri filius, Romanis fidus: præerátque Auguſtæ Treuirorum, (quam vrbem Meroueus paucis antè annis direptam & incenſam diffidens ab ſe teneri

posse reliquerat) vbi successor Iamblicho Metropolitæ Episcopo voce publica destinabatur. Arbogastis nobilitatem; spectatas belli domíque virtutes; religionem; sanctitatem; verecundiam; vrbanitatem; fortitudinem; iustitiam; temperantiam; elegantiam sermonis Latini, consuetudine & familiaritate cum accolis Barbaris, hoc est cum Francis minimè corruptam Apollinaris Sidonius Aruernorum Episcopus Epistolarum libri IV epistolâ XVII celebrat. eumdémque Auspicius Tullensis Antistes Ecclesiæ magno Arbogasti Magistro militum, qui ante annos LXXX Imperatores interememerat, & fecerat, anteponit. Ex Auspicij ad Arbogastem virum Spectabilem Comitem Treuirorum epistolâ versibus trochaicis tetrametris scriptâ pauca quædam ponere operæpretium duxi.

Pater in cunctis nobilis fuit tibi Arigius,
Cuius tu famam nobilem aut renouas, aut superas:
Sed tuus honor, eius est; eiúsque, tibi permanet.
Congratulandum tibi est, ô Treuerorum ciuitas,
Qua tali viro regeris, antiquis comparabili.
De magno origo semine descendit sui nominis:
Certè virtutis eius est, vt Arbogastes legitur.
Scribantur in annalibus huius triumphi pariter,
Sicut & eius scripti sunt, quem suprà memorauimus.
Sed hoc addamus meritum huic, qui verè maior est,
Quòd Christi nomen inuocat religioni deditus.
Fuit in armis alacer ille antiquus, verum est:
Sed infidelis moritur, & morte cuncta perdidit.
Hic autem noster, strenuus, belligerosus, inclytus,
Et (quod his cunctis maius est) cultor diuini Numinis.

Tum etiam Francos, & Vesigothos societatem coiuisse, Euricúmque Regem Sigismeri cuiusdam Francorũ Regis filio (nam in Francia vno eodémque tempore plures regnabant) filiam suam velut pignus pacis nuptum dedisse auctor est Sidonius, qui in epistola III libri VIII scribit Euricum *victorem cum Barbaris ad Vacalim trementibus fœdus iunxisse:* & in epistola IX tradit senes Sicambros, hoc est Seniores Maioréſve natu Francorum, legatos de pace ad Euricum Burdigalam venisse, capillo

(vti victis mos erat) pone verticem summisso. Sigismerem quidem *Regium iuuenem*, siue Regalem, cùm iret in Prætorium futuri soceri, filiæ eius in matrimonium petendæ causâ, visum à se Sidonius dicit: incessisse autem pedibus medium inter suos pedisequos atque cursores, agasonibus instratos phaleris gemmatis equos ducentibus: fuisse flauo capillo; ore rubicundo; candido corpore; cocco, serico, & auro cultum; comitatum Regulis, ac sociis, quorum vestitum, habitum, armaturámque supradictus Auctor ita describit, nomen vt gentis non tam præteriisse, quàm superuacaneum existimâsse videatur. Sed non possum non mirari, quòd Francos, quos nunc Sicambros; nunc Cattos appellat, in Francia veteri inter Renum & Albim tantùm, nec vsquam alibi ponat Sidonius: quasi Franci ætate eius nondum in Gallia sedem cepissent. Sic certè in Panegyrico Auito Aug. dicto Sicambros in ripa Reni collocat.

— Flauis in pocula fractæ Sicambris
Rene tumens.

Et in eodem Carmine Attilæ Gallias petenti Francos, accolas fluminis Vicri, voluntarios expeditionis comites iungit:

Bructerus, vluosâ vel quem Vicer alluit vndâ,
Prorumpit Francus.

Sic ibidem post Valentiniani cædem Francos, qui prouinciam Germaniam primam, & Belgicam secundam incursione vastabant, metu Auiti Magistri militum domum rediisse ait, Albímve repetisse.

— Cattúmque palustri
Alligat Albis aqua.

Et in libello ad Imperatorem Maiorianum.

Sic ripa duplicis tumore fracto
Detonsus Vacalim bibat Sicamber.

In Carmine etiam ad Consentium Narbonensem, virum Clarissimum, qui Valentiniani principatu Consistorianus fuerat, & mox ab Auito Aug. sibi mandatam Palatij curam egerat, Franciæ amnes appellat Sidonius Vacalem, Vicrum, Visurgim, Albim.

Tu Vicrum, & Vacalim, Visurgin, Albim,
Francorum & penitißimas paludes
Intrares, venerantibus Sicambris:
Solis moribus inter arma tutus.

Sic demum suprà *Barbaros ad Vacalim* Francos vocat: nihil vt in Gallia præter insulam Batauorum inter Vacalem & Renum positam Francis assignare videatur, qui tamen (vt alibi diximus) non contenti pagis Transrenanis, iam inde à Chlodione partem Belgicæ secundæ armis occupauerant. quare etiam Sidonius ipse in libri IV Epistolarum epistola I, ætate sua Sicambrorum, Alanorum, & Gelonorum, qui cum Alanis in Gallia Honorij principatu consederant, stoliditatem à Gallis rideri dicit, ferociam timeri: & in epistola XVII ius Romanum *in terris Belgicis & Renanis* pridem abolitum ait, ac sermonem Latinum. Francos Sidonius nunc Cattos, nunc Sicambros appellat, secutus veterem Iuuenalis Scholiastem, qui Cattos, & Sicambros *gentes Germanorum siue Francorum* interpretatur. Ceterùm feci, vt apud Sidonium in Panegyrico Auito Aug. dicto, vbi Nicer erat Alamanniæ veteris vltra Mænum fluuius in Renum exiens; mutatâ vnâ litterâ Vicer poneretur: & in Carmine ad Consentium Tuncrum flumen omnibus Orbis situs & Historiarum Auctoribus ignotum similiter in Vicrum mutaui. Est autem Vicer Franciæ Transrenanæ amnis, opidum sui nominis attingens, influénsque in Oceani ingentem sinum vel æstuariũ, vulgò Zuiderseum, hoc est paludem Austrinam dictum: quem à Claudio Ptolemæo in Germania inter Renum & flumen Amisium positum, vitio exemplarium Vidrum pro Vicro appellari, & hodiéque Vectum vocari animaduerto.

Leone Aug. V solo Consule post interregnum, quod CCCCLXXIII per menses IV diésque XIV fuerat, Rauennæ III Nonas Martias hortante Gundiuaro Patricio Glycerius ex Domestico Imperium arripuit iniussu Leonis Aug. quem ob id Marcellinus & Iordanes dicunt *Tyranni more, & præsumtione magis quàm electione Cæsarem factum.*

Eodem anno Fl. Leo Augustus, cùm Zenonem generum suum, Consularem & Patricium virum, ex Co-

mite Excubitorum, & ex Comite Orientis, vel potiùs (vt quidam dicunt) ex Magiſtro militum Orientis conſortem imperij facere voluiſſet, atque repugnante plebe Conſtantinopolitana eſſet inhibitus; Leonem eius filium, ex Ariadne filia nepotem ſuum, Auguſtum appellauit. Quamquam Ioannes Zonaras à Candido Iſauro diſſentiens ſcribit Leonem maiorem capiti Leonis nepotis ſui admodum infantis diadema impoſuiſſe, propterea quòd Zenonem hominem deformi corpore ac facie, animo autem longè turpiore ac deteriore, nequaquam Imperio idoneum exiſtimabat.

Tum etiam Widimer, Wandalarij filius, Winitharij Regis nepos, eius, qui apud Senatorem in libri XI epiſtola I mendosè Munitaurius vocatur; Walameris & Theodemeris Regum frater, patruus Theoderici, qui poſtea Regnum Italiæ occupauit; Rex partis Oſtrogothorum ſumma rerum omnium inopia compulſus emigrauit finibus inferioris Pannoniæ, quam poſt Attilæ Regis mortem annis ferè XX beneficio Marciani Aug. cum fratribus poſſederat, atque in Italiam venit, móxque ibidem moriens Widimerem filium reliquit ſuperſtitem. cui Imperator Glycerius datis muneribus & mandatis perſuaſit, vt quemadmodum Beremundus Thoriſmundi Oſtrogothorum Reguli filius antea fecerat, in Galliam, vbi tum Euricus regnabat, proficiſceretur, & cum Veſigothis hominibus eiuſdem & ſanguinis & linguæ ſuas vires iungeret. Similiter Theodemer, ab Iordane Theodemir; à Senatore Theudimer dictus, maior frater Widimeris, Réxque maioris partis Oſtrogothorum, cui Imperium Orientis depopulandum ſortitò obtigerat, ſolicitatus à Geiſerico pecuniâ cum ſuis inferiore Pannoniâ deceſſit, tranſitóque amne Sauo Naiſum occupauit, quod opidum Ptolemæus Dardaniæ; recentiores Auctores Daciæ Mediterraneæ attribuunt. inde per Vlpianum ingreſſus Theſſaliam, Heracleam & Lariſſam prouinciæ eius vrbes capit ac diripit, atque Theſſalonicam caput Illyrici Orientalis oppugnat: quam cùm facilè recepturus videretur, Leo Aug. per Hilarianum Patricium muneribus datis pacem redemit, iunctóque

fœdere cum Theodemere, Ostrogothis, qui cum eo erãt, sedes in prouincia Scythia minore, nimirum Bereum, Cium, & finitima loca concessit, vbi armis depositis Barbari consedere.

Leone iuniore Aug. Consule Leo senior decessit quo mortuô Imperator Leo minor impulsus à Verina auia & Ariadne matre, consensu & auctoritate Senatus capiti Zenonis patris sui diadema imposuit in Campo ad VII milliarium ab vrbe Constantinopolitana, & coram exercitu Imperatorem eum appellauit, vti Candidus Isaurus, Theodorus Anagnostes, Cedrenus, & Zonaras scribunt. Imperarunt ambô simul paucis mensibus ita tamen, vt filij nomen patris nomini præponeretur. móxque Leo eodem anno mense Nouembri obiit, cùm vix annum vnum imperauisset: solúsque Zeno Orientis Imperium obtinuit. Hic natus erat Seleuciæ in Isauria patre Rusumbladeoto nobilissimo viro, & Tarasicodisas, aut (vt Euagrio placet) Aricmesus vocabatur: sed cùm Isauros ad custodiam Leonis Aug. in vrbem Constantinopolim adduxisset, filiámque eius Ariadnen in matrimonium accepisset, & Magister militum Orientis esset factus, Zeno maluit appellari nomine Isauri cuiusdam ethnici Flauij Zenonis, qui ad Consulatum, & ad Magisterium militum peruenerat, & accersitus ab Theodosio Principe cum magna popularium manu Constantinopoli bello pressæ auxilium tulerat, Imperatoribúsque Theodosio ac Marciano ob nimiam potentiam suspectus ac timendus fuerat. CCCC-LXXIV.

Eodem anno Zeno Aug. fratris filiam, aut, vt ait Malchus, Verinæ Aug. cognatam Iulio Nepoti Patricio, Nepotiani ex Marcellini Patricij sorore filio, Rauennæ in matrimonium dedit, cúmque ibidem per Domitianum clientem suum Imperatorem appellandum curauit: quem ob id Iordanes *Regno legitimo potitum* dicit. Hic est Nepos Magister militum Dalmatiæ, ad quem Imperatores Leo & Anthemius Augusti legem misere Codicis Iustiniani libro VI insertam, datam Kalendis Iuniis Leone Aug. IV Cos. Igitur Nepos deimprouiso CCCC-LXXI.
superueniens in Portu Vrbis, quem alij Portum Roma-

num; alij Portum Auguſti vocant, Glycerium Principatu deiecit, tonſúmque Salonæ opidi maritimi Dalmatiæ Epiſcopum fecit, pro Imperio Eccleſiam recturum: (vt Iordanes in libro de ſucceſſione regnorum, & Euagrius tradunt) atque ipſe mox Romæ VIII Kalendas Iulias Imperator eſt conſalutatus. Quamquam Marcellinus in Chronico & Iordanes ſibi non conſentiens in libro de origine Gothorum minimè veriſimiliter ſcribunt Glycerium in Portu vrbis Romæ Epiſcopum conſtitutum eſſe: è quibus Marcellinus inſequenti anno
CCCCLXXV. Zenone Aug. II Conſule Nepotem Romæ Imperatorem appellatum dicit, ſed à Caſſiodoro Senatore, & Mario refellitur. Vt appareat falſum eſſe, quod Euagrius, ſecutíque eum Paullus Langobardus & Nicephorus Calliſtus aiunt, Glycerium poſt quintum imperij ſui annum expulſum ab Iulio Nepote, & in ordinem coactum: quem conſtat ſextumdecimum imperij menſem non expleuiſſe. falsò etiam Victor in Chronico ſcribit poſt Olybrij mortem Herculanum neſcio quem Oreſtis filium, qui Imperium arripuerat, cum patre ſuo interemtum eſſe, locúmque eius Nepotem inuaſiſſe.

CCCCLXXV. Eo tempore florebat Fauſtus, ex Abbate Monaſterij Lerinenſis Reiorum Epiſcopus, Maximi in vtraque dignitate ſucceſſor, vir doctrina ac pietate eminens. qui præter Homilias & epiſtolas volumen de Spiritu ſancto, & aduerſus Arianos ac Macedonianos libellum edidit, & de Gratia Dei liberóque arbitrio parum probata ſcripſit: è quibus librum de Spiritu ſancto per Riochatum Antiſtitem ac Monachum, popularem ſuum pro ſe Britannis ſuis miſit. vt in libri IX epiſtola IX ad eum ipſum miſſa tradit Sidonius, quem ſecutus Auitus Viennenſis Epiſcopus, in epiſtola ad Gundobadum Burgundionum Regem, Fauſtum natione Britannum; domicilio Reienſem fuiſſe dicit: cùm Facundus Hermianenſis Epiſcopus, in libro aduerſus Mucianum Scholaſticum, Gallum eum vocet. quod ſi verum eſt, fateri conuenit Fauſtum non in inſula Britannia, ſed in Britannia ciſmarina vel Armoricana, parte prouinciæ Lugdunenſis tertiæ, natum eſſe.

Poſt

Post Consulatum Leonis iunioris Aug. vel Zenone Aug. II Consule cùm Euricus Vesigothorum Rex, tot turbas occasionem suam ratus, rupto antiquo fœdere ab Oceano & Pyrenæo vsque ad Ligerim Regnum proferre conaretur; Iulius Nepos Imperij fines armis tueri pararet: Epiphanius Ticinensis Episcopus, magnâ vir sanctitate morum & auctoritate, legatus ad Euricum venit, (sicuti scribit Ennodius) ferocique Barbaro persuasit, vt pacem cum Nepote æquis conditionibus faceret. Sunt, qui existiment Nepotem Aug. Aruernis & Biturigibus, præter quas ciuitates Romanis tum in Aquitania nihil erat reliqui; Eurico cessisse, atque ex Sidonij libri VII epistola VII ad dominum Papam Græcum Massiliensem Episcopum missa id intelligi credant. quæ tamen epistola si semel atque iterum perlecta perpendatur, apparebit Sidonium de tam turpi & ignominioso fœdere tamquam de re non comperta sed incertis rumoribus accepta loqui, & cauere sibi ipsum his verbis: *vt fama confirmat: quantum audio.* Quare idem Auctor in eiusdem libri II epistolis posterioribus decimâ & XI *periculum se à vicinis timere* ait, (hoc est à Vesigothis) *inuidiam à patronis*; nimirum Burgundionibus: & *semiustis muri fragilis angustiis clausum* se metu belli dicit: nondum vt tum Aruernos sub imperio Eurici fuisse constet. Certè Iordanes in libro de origine Gothorum Augustonemetum Aruernorum opidum armis occupatum ab Eurico esse indicat. quippe scribit cum contemtu tot annuorum, quadrimestrium, ac trimestrium Imperatorum, præterea Geiserici muneribus impulsum, Galliæ obtinendæ causâ Romanis bellum intulisse, & *Aruernos Galliæ ciuitatem occupauisse.* præfuisse autem vrbi *Romanorum Ducem,* vel Magistrum militiæ *Ecdicium, nobilissimum Senatorem,* Auiti Aug. filium, qui post diuturnam propugnationem, & multa certamina edita; cùm Vesigothos repellere non posset, relictâ hosti vrbe atque patriâ, in tutiora loca sese receperit. Sigebertus quoque auctor est Euricum *Aruernos Galliarum vrbem,* hoc est Augustonemetum, Nepotis principatu *inuasisse.* Hic est Ecdicius, frater Papianillæ vxo- CCCCLXXV.

Ff

ris Sidonij, cui Iulius Nepos promissam ab Anthemio ob res aduersus Vesigothos gestas Patriciam dignitatem per codicillos contulit: & quem crebris eruptionibus ac furtis magnam Barbarorum stragem edidisse; priuatis opibus contracto exercitu bellum sustinuisse; Burgundionum pauperum ampliùs IV millia ob sterilitatem procul patriâ vagantium in villis suis pauisse, & redeunte vbertate frugum in plaustra impositos domum dimisisse inuenio.

CCCC-LXXV. Igitur Euricus Rex Vesigothorum Zenone Aug. II solo Consule, cùm Augustonemetum Aruernorum diu multúmque frustra tentatum vel armis, vel conditionibus iuris suî fecisset; Victorium Comitem, quem Gregorius Ducem appellat, opido præsidere iussit: & Sidonium Episcopum, virum Romani animi, muris Liuianæ millia passuum XI à Carcassone distantis inclusit: vnde postea Leonis Eurici consiliarij curâ sedi suæ est restitutus. nec dubîto, quin Euricus potitus Aruernis, eodem tempore eadémque opera Auaricum Biturigum, & Cæsarodunum Turonum occuparit. At Iulius Nepos Aug. Ecdicium Patricium, quem relictis Aruernis tuta in loca concessisse compererat, ex Gallia euocauit ad sese, & Orestem in eius locum Magistrum militiæ constituit. Hîc notandum est malè Gregorium existimâsse Euricum Regem Vesigothorum XIV regni sui anno Aruernis potitum esse: cùm scribit Victorium Ducem ab Eurico anno regni quartodecimo septem ciuitatibus, in primis Aruernis præpositum fuisse, & annos nouem Augustonemeti vel Aruernis versatum esse, cúmque ibi alienas vxores iniret, metu mortis ex vrbe Romam profugisse, atque à Romanis ob libidinem saxis obrutum esse, ante quadriennium quàm Euricus decederet, quem ait Gregorius XXVII regni sui anno obisse, cùm annum imperij XIX non sit transgressus.

Orestes Tatulli Pannonij filius vxorem duxerat Petouionensem, patre Romulo genitam Valentiniani Principis Comite, multis legationibus pro Rep. obitis claro, ex eâque filium Romulum Augustum susceperat, quem

veteres Historici ob pueritiam Augustulum; recentiores Auctores Euagrij vitiata exemplaria secuti pro Romulo Momyllum magno errore appellant, & qui in nummis Dn. Romulus Augustus P. F. Aug. dicitur. Is quòd habitabat in prouincia Sauia, parte veteris Panoniæ, Attilæ Hunnorum Regi subiecta, Notarius Barbari fuerat, & scribendarum nomine eius epistolarum officio fungebatur, à quo etiam non raró cum mandatis ad Theodosium Aug. Constantinopolim missus est: post Attilæ obitum in Italiam reuerterat, & Patriciam dignitatem erat consecutus. Tum veró ab Iulio Nepote Magister militum factus, tantáque potestate instructus ducendum in Vesigothos exercitum in auctorem dignitatis suæ conuertit: Rauennam omnibus copiis occupauit: fugatúmque Nepotem V Kal. Septemb. imperij mense XV conscensa naui Dalmatiam, cui post Marcellinum auunculum præfuerat, petere coëgit: Romulúmque filium suum admodum puerum Rauennæ pridie Kal. Nouembr. post Nepotis fugam mensibus II Imperatorem fecit, ac cum Geiserico Rege Vandalorum fœdus iunxit. Auctor Chronici cuiusdam nuper editi scribit Nepotem Aug. metu Orestis Patricij, qui opprimendi sui causâ cum exercitu Rauennæ appropinquabat, se in nauem contulisse, & ab vrbe Rauenna Salonam fuga petiisse, quod in opidum Glycerium spoliatum Imperio sub Episcopatus titulo paullo antè relegauerat. Dissentit Iordanes à ceteris eorum temporum Historiæ scriptoribus: quippe tradit Orestem, accepto ab Iulio Nepote exercitu cùm discessisset Româ, tamquam in hostes proficisceretur, Rauennam peruenisse, ibíque Romulum Augustulum filium Imperatorem appellandum curauisse: quo audito Nepotem relictâ vrbe Româ in Dalmatiam fugisse.

Basilisco II & Armato Coss. Zeno Aug. Verinæ Aug. CCCCLXXVI. socrus suæ & Basilisci fratris eius insidiis circumuentus, vnà cum Ariadne vxore fidisque amicis aduersa tempestate in Isauriam fugit: & adiutore Theoderico Triarij Basiliscus Senator, Consularis vir Imperium Orientis arripuit: cuius iussu Patricius Magister officiorum,

cui Verina adamato nubere & Imperium conciliare voluerat, occisus est. ac insequenti anno post Consulatum
CCCC. LXXVII. Basilisci II & Armati, pósque menses XX, quàm Constantinopoli expulsus fuerat, Zeno pecuniâ corruptis Basilisci ducibus recuperauit Imperium. vt docent Simplicij Papæ epistolæ II: altera Basilisco II & Armato Coss. IV Idus Ianuar. data, qua Zenonem hortatur, vt pro Imperatore quædam agat: altera data post Conf. Basilisci II & Armati VIII Idus Octobr. qua eidem de recuperato Imperio gratulatur: & leges Imper. Zenonis Aug. duæ Codicis Iustiniani libro V insertæ: prior ad Ælianum Præf. Præt. missa, & data Kalend. Ianuar. Basilisco II & Armatio Coss. posterior ad Sebastianum P.P. data X Kal. Mart. supradictis Coss. ex quo intelligitur errare Marcellinum & Victorem, qui Zenonem in II Consulatu pulsum, Basilisco II & Armato Coss. Imperium recepisse tradunt.

CCCC. LXXVI. Basilisco II & Armato Coss. Odoacer Ediconis filius, non eius, quem Edeconem Hunnum Priscus vocat, sed eius, quem Iordanes *Edicam Scirorum Primatem* appellat, Italiæ Regnum occupauit: de quo pauca dicenda sunt. Odoacer apud Eugepium de vita Seuerini Abbatis nunc Odouachar; nunc Odobagar; interdum Otachar vocatur, & cum quibusdam Barbaris venisse in Italiam dicitur, iuuenis procerus, vilissimis pellibus vestitus, móxque (vt Seuerinus proficiscenti prædixerat) Regnum eius obtinuisse. Hunc mendosè Agathias in libro primo aduenam Turenum pro Turcilingo; Marcellinus quoque in Chronico *Gothorum Regem* magno errore appellat, cùm postea ab Gothis bello victus sit & occisus. Falsò eumdem Iordanes in libro de successione regnorum *natione Rugum* fuisse ait, quippe quem post subactam Italiam Rugis bellum intulisse constat. Eum idem Auctor in libro de origine Gothorum *Odouacrem Turcilingorum Regem* gentis ignobilis vocat, & secum Sciros, Erulos, ac variarum nationum auxilia habuisse tradit, quibus fretus Italiam occupauerit. Sciri autem, quos Sozomenus Scirros, Sidonius Sceros appellat; & Eruli, vel Eluri, Scythicæ gentes tum super

Danubium colebant. Igitur Odoacer Basilisco II & Armato Coss. ab extremis finibus Pannoniæ Italiam petit, CCCC-LXXVI.
& itinere per Noricum facto, atque Alpibus Iuliis superatis, cum magna Scirorum & Erulorum manu primùm Venetiam ingreditur, mox Liguriam. (sic tum regionem Transpadanam vocabant) ibi Orestem Patricium Imperatoris patrem victum acie Ticini obsidet, potitúsque opido viuum capit, & transito Pado apud Placentiam Æmiliæ vrbem occidi iubet: atque Paullum fratrem eius ad Pineta prope Classem portum Rauennatem prœlio pulsum interficit: deinde Rauennam ingressus Romulo Augusto Imperium abrogauit, miseratúsque formam ac ætatem eius, quamquam instigantibus in cædem amicis, puero non solùm vitam, sed etiam sex solidorum millia annua dedit, in Lucullanum Campaniæ castellum cum propinquis suis amoto, quod Senator in libri VIII epistolâ XXV, & Gregorius Magnus castrum Lucullanum; Suetonius villam Luculliánam appellat. Ita Odoacer occupatâ Italiâ, abolito in Occidente Imperatoris nomine, sine purpura regióque insigni Regis nomen assumsit. Quæ Romanis Orientalibus, vel Græculis causa fuit eos, qui postea Italiæ Occidentísque Imperium obtinuerũt, Latino nomine Ῥῆγας vocandi. adeò vt ægrè nec nisi belli metu Imperator Michaël leges pacis à Carolo Magno, quem Romanorum Imperatorem Augustum vocari indignabatur, dictas acceperit, quibus ipsum per legatos Αὐτοκράτορα, & Βασιλέα appellare iubebatur: Basiliúsque Macedo homo ignobilis, Saracenis & Bulgaribus obnoxius, Ludouicum Aug. Caroli Aug. pronepotem per litteras monuerit, ne alienos titulos & indebita honorum vocabula vsurpare perseueraret, sed vnum Basilium Βασιλέα τῶν Ῥωμαίων Cæsarem Augustum; se tantummodò Ῥῆγα τῶν Φράγγων & esse & dici oportere meminisset. Quare Willelmus Tyriorum Archiepiscopus in Historiæ libro sextodecimo tradit Græcos iniquo tulisse animo Germanorum Regem, velut Imperij æmulum, & Constantinopolitano Imperatori dignitate æqualem, *Imperatorem Romanorum* dici, eáque appellatione plurimùm de-

trahi Principis ſui maieſtati exiſtimauiſſe, *quem ipſi* Μονάρχην, *tamquam Romanorum vnicum & ſolum Imperatorem* appellarent. Quaſi verò non Βασιλεὺς tam Regem quàm Imperatorem ſignificet, multóque ante Imperatores Romanos non magnarum gentium modò; ſed etiam vnius vrbis Regibus ab veteribus Græcis hoc nomen delatum fuerit: aut quaſi non Imperatores ipſi & Auguſtæ, Reges ac Reginæ ab Auctoribus ſæpe dicantur. Certè, vt alios omittam, Plinius Secundus initio libri XXIX Valeriam Meſſallinam Aug. Claudij Cæſ. *Reginam* vocat. Claudianus quoque in Epithalamio Honorij Aug. & Mariæ Mariam *Reginam* appellat. & Seuerus Sulpicius in libris de vita Martini Conſtantium Principem Conſtantini Maximi filium, *Regem*; Valentinianum maiorem & Clementem Maximum ſæpiùs *Reges* quàm *Imperatores*; Maximi autem coniugem *Reginam* ſemper nuncupat. Similiter Hydatius prouinciæ Callæciæ Epiſcopus in Chronico Pulcheriam pro Auguſta *Reginam* vocat. & Marcellinus Comes Illyricianus Imperatorem Theodoſium minorem, *Theodoſium Regem*; & vxorem eius *Eudociam Reginam* appellat. Sed nimirum Græculi hoſce imperij titulos ſtudioſiùs quàm Imperium ipſum ſemper ſeruauere, quanto magis eos amplificaſſent, tanto potentiores ſe habendos rati. Sic poſtea Comneni, ac Palæologi Principes, quantum imminuto Imperio tantum vanitate creſcente, Aulicorum cateruas augebant: & dum foris premebantur à Turcis, pro Euphrate ac Nilo Mæandro clauſi & Eurymedonte amne Pamphyliæ, nouas domi dignitates excogitabant. cúmque antea Auguſti, Traiani, Antonini, Seueri, Diocletiani quoque, & Conſtantini florentiſſimis rebus Romanis non aliter quàm Αὐτοκράτορες Καίσαρες Σεβαστοὶ dicerentur: ipſi filios, fratres, ac generos ſuos Δεσπότας, Σεβαστοκράτορας, Καίσαρας, Πρωτοσεβάστους, Πανυπερσεβάστους, ac Πανυπερσεβαστάτους appellari iubebant, vt viderentur pluſquam Imperatoribus & Auguſtis imperare. Ceterùm, vt redeam vnde digreſſus ſum, Auctor Chronici ab Ioanne Cuſpiniano editi ſcribit Baſiliſco
CCCCLXXVI. II & Armato Coſſ. Odoacrem X Kal. Septemb. Regem

salutatum esse, Orestémque Patricium Placentiæ V Kal. Septembr. Paullum apud Rauennam pridie Nonas Septembres occisum. Ego Cassiodoro Senatori, Auctori Chronici à doctissimo viro Henrico Valesio fratre meo vulgati, Sigeberto, ceterísque assentiri malo, qui Oreste & Paullo interfectis Odoacrē Regem appellatū dicunt.

Non fuit contentus Odoacer finibus Italiæ. itaque Basilisco II & Armato Coss. Siciliam Vandalicis latrociniis CCCC-LXXVI.
& opidorum expugnationibus diutissimè infestatam ac vastatam (vti ait Victor Vticensis) pacto tributi recepit ab Geiserico Rege Vandalorum: ac post Consulatum Basilisci II & Armati Bracilam Comitem, quem qui- CCCC-LXXVII.
dam Brauilam appellant, sibi suspectum V Idus Iul. Rauennæ interemit. Idem Senatum Rom. & Romulum legatos ad Zenonem Aug. mittere coëgit, qui Imperij insignia, & omnia ornamenta Palatij ad eum reportarent, dicerentque Occidentales proprio Imperatore non indigere, sed communem vtrique Orbi vnum Imperatorem Zenonem sufficere: ob id Odoacrem ab ipsis promotum esse, virum Reip. defendendæ idoneum, & belli pacísque artium peritum: orare se nomine Senatus, atque obsecrare Zenonem, vt Patriciam ei dignitatem codicillis, & Italiam administrandam daret. Legatis Zeno Aug. respondit è duobus, quos ex Oriente Imperatores accepissent, Anthemium ab Senatoribus occisum; Iulium Nepotem in Dalmatiam expulsum esse: cui viuo parere eos, ac neminem alium præferre oportere. Odoacrem rectè atque ordine facturum, si à Nepote Aug. Patriciam dignitatem peteret, votíque sui compos factus vestitu & habitu Romanis conueniente vteretur, & Imperatorem, à quo tantum honorem assecutus esset, beneficij memor coleret. Nihilominus Zeno in litteris, in quibus Patriciam dignitatem Odoacri negabat, Patricium eum appellauit. Alius à superiore legationis mentionem facere videtur Candidus Isaurus in libro Historiæ II apud Photium, cùm ait, post Imperatores Nepotem & Augustulum expulsos, Odoacrem Italiæ & vrbis Romæ imperium obtinuisse: Gallósque, quotquot adhuc Romanæ ditionis erant, tu-

multum mouisse, ac Odoacris imperium aspernatos esse: atque cùm ipsos; tum Odoacrem de ea re legatos misisse ad Zenonem Aug. qui in Odoacrem magis studiis inclinauerit. Eo ipso tempore, quo legatos ad Zenonem Senatus miserat, legati à Iulio Nepote venerunt Constantinopolim, qui Zenoni receptum recens Imperium, & Basiliscum Tyrannum oppressum gratularentur: oraréntque, vt cùm idem passus esset, quod Nepos; non ignarus mali calamitoso opem ferret, cúmque ad recuperandum Principatum auxiliis & pecuniâ iuuaret. Legatis quid Zeno responderit, Malchus non scribit, sed Theodericum Valameris filium, Ostrogothorũ Regem, atque Patricium,
CCCC-LXXIX. Zenone Aug. III Cos. post depopulatam Græciam cùm Adamantio Patricio de pace agentem dixisse prodit paratum se esse, si Imperator iuberet, ex Dalmatia Nepotem expellere. vt videatur Zeno Aug. opprimendi Nepotem magis quàm in Imperium reducendi consilium iniisse. Et
CCCC-LXXX. ille miser anno V post amissum Imperium Basilio iuniore Consule VII Idus Maias insidiis Glycerij Episcopi Salonitani, quem Principatu deiecerat, petitus ac circumuentus periit, sicuti Malchus scribit: vel (vt auctor est Marcellinus) Viatoris & Ouidæ Comitum suorum scelere haud procul ab opido Salona sua in villa oppressus est & occisus. Hunc Ouidam natione Gothum, Cassiodorus Senator in Chronico Odiuam mendosè appellat, & insequenti anno Placido V. C. Cos. in Dalmatia, quam interemto Nepote sibi vindicabat, ab Odoacre victum, & cæsum esse tradit.

CCCC-LXXVI. Basilisco II & Armato Coss. sub anni exitum Geisericus Rex Vandalorum & Afrorum decessit: quem Hy-
CCCC-XXVII. datius ait anno IV post Honorij Aug. interitum Gunderico fratri successisse, & insequenti anno cum omnibus Vandalis mense Maio Hispaniæ finibus emigrauis-
CCCC-XXVII. se: Prosper in Fastis meliùs Hierio & Ardabure Coss. ex prouincia Bætica transiisse in Africam dicit. Obiit Geisericus anno regni sui & aduentus in Africam L, non (sicuti Isidorus putat) LX, post captam Carthaginem XXXVII mense III: quam vrbem XIV Kalend.
CCCC-XXXIX. Nouemb. Theodosio XVII & Festo Coss. non (vt ait

Hy-

Hydatius) anno XV post Honorij mortem, hoc est CCCC-XXXVIII.
Theodosio XVI & Fausto Coss. occupauerat, Regníque
sedem delegerat. vnde à Damascio Carthaginensium
Rex appellatur. Victor Tununensis Episcopus magno
errore decessisse Geisericum scribit XL regni anno Ru-
sticio & Olybrio Coss. qui est annus XXXVIII post ad- CCCC-LXIV.
uentum in Africam Geiserici, ante eius obitum XIII.
Idémque Hunericum Geiserici filium regnauisse annis
VII mensibus VI, & tamen Zenone Aug. III Consule CCCC-LXXIX.
obisse dicit, id est anno XV post Consulatum Rusticij
& Olybrij. Mortuus est autem Hunericus Theoderico
& Venantio Coss. cuius regni annos V Victor ad Gun- CCCCL-XXXIV.
thamundi successoris eius duodecim annos adiunxit,
vt in trium insequentium Regum annis digerendis
temporum ei ratio constaret.

Post Gundicarium parentem suum apud Burgundiones regnasse Gundiucum, & Chilpericum in libro III diximus. è quibus Chilpericum Andreas Duchenius Gundiuci filium, fratrémque Gundobadi fuisse falsò tradit: cùm Auiti principatu, nimirum anno LXI ante Gundobadi interitum, Chilpericus vnà cum Gundiuco iam in Burgundia regnaret, vt prodidit Iordanes. Gundiucum autem vel Gundeucum Fredegarius Gundiochum; Ado mendosè Gundoueum; Gregorius Gundiuicum appellat, ac genus eum duxisse ait ab Athanarico Rege Teruingorum Gothicæ gentis, qui populares Christianos variis suppliciis affecit, & Regno expulsus à suis, Constantinopoli Theodosio maiore imperante decessit: quo tempore Teruingi cum Taifalis in Dacia vetere Transdanubiana; Burgundiones in Germania sedes habebant, alteri ab alteris multis magnísque regionibus ac fluminibus diuisi. tamen Agathias quoque Burgundiones nostros, Burguziones gentem Gothicam vocat. Gundiuco IV filij fuerunt Gundobadus; Godegisilus; Chilpericus, vel Hilpericus; & Godomarus, qui & Gundomarus, ac Gotemarus dicitur. Hi post patris patruíque mortem circa initia regni Odoacris apud Burgundiones regnare cœperunt: cùm iam Gundiucus & Chilpericus regiones ripis fluminis Rhodani

Araríſque proximas, quas Magiſtri militum ipſi à Barbaris antè defenderant, & in poteſtate Imperatorum Rom. retinuerant, poſt euerſum Occidentis Imperium egentes præſidij nec inuitas Sapaudiæ ſuæ adieciſſent. Hos fratres excepto Chilperico Chrothildis patre Arianos cum popularibus ſuis fuiſſe videtur indicare Gregorius initio libri III Hiſtoriæ. quippe Godegiſilum, Gundobadum, & Godomarum Hæreticos vocat, atque ob hæreſim Regnum ſimul & animas perdidiſſe ait, non omiſſurus Chilpericum eorum fratrem, ſi & ipſe Arianus fuiſſet.

Circa idem tempus eadem, quâ Burgundiones, occaſione inuitatus Euricus Veſigothorum Rex per Hiſpaniam & Galliam longè latéque Regni terminos promouebat. Auctor eſt Iordanes Geiſericum miſſis ad Euricum & Theodemerem Reges legatis cum muneribus id egiſſe, vt Veſigothis Occidentem; Oſtrogothis Imperium Orientis vaſtantibus, ipſe quietus & à Leonis ac Zenonis inſidiis tutus in Africa regnaret. Igitur Euricus Pompelonem, Cæſarauguſtam, Tarraconem, ac totam Hiſpaniam ſuperiorem ſub ditionem ſuam ſubiunxit, reuerſúſque in Galliam Arelatum, & Maſſiliam Græcorum cepit, & victis Burgundionibus Veſigothici imperij æmulis, quibuſcum poſtea pacem fecit, vſque ad Alpes Liguſticas, vel Maritimas fines Regni prolatauit. Auctor Appendicis, quæ Chronico Victoris Tununenſis Epiſcopi inſerta eſt, Anthemij principatu Ior-
CCCC-LXX. dane & Seuero Coſſ. vrbes Arelatum ac Maſſiliam à Gothis occupatas falsò dicit. quippe Procopius in belli Gothici libro I tradit Odoacrem, quem, quòd iniuſſu Zenonis Aug. in Italia regnauerit, *Tyrannum* appellat, iacentes inter Rhodanum & Alpes terras Veſigothis donauiſſe. Quo magis miror Gregorium in Hiſtoriæ libro II prodere prouinciam Maſſilienſem Chlodouei principatu ſub Regum Burgundionum imperio fuiſſe. cùm non ſolùm Arelatum, Maſſiliam, ~~Aquas Sextias~~, Forum Iulij, Antipolim, Diniam, Sanitium, ſed etiam Auenionem Alarico Eurici & Ragnahildæ filio
IↃVI. paruiſſe ex Epiſcoporum, qui permiſſu eius Meſſalla Coſ.

Agathæ conuenere, ſubſcriptionibus cognoſcam: & cùm apud Fredegarium in Chronico, atque in teſtamento Caroli Magni Prouinciam à Burgundia diſtingui animaduertam.

Quid rerum interea reuocatus in Galliam Childericus egerit, quot & quantas victorias ex hoſtibus tulerit, quemadmodum vſque ad flumen Ligerim Regnum protulerit, ſcire difficile eſt. ſiquidem Gregorius, ceteríque noſtri Hiſtorici veteres paucis tantùm memoriæ prodidere ab Francis Coloniam Agrippinam expugnatam, adeò vt Ægidius multis ſuorum amiſſis ex vrbe profugeret: depopulatíſque agris, qui intererant, coloniam Auguſtam Treuirorum captam, & incenſam eſſe: ac Childericum Regem Francorum magnâ manu ad Aurelianos, hoc eſt Genabum Carnutum contendiſſe, ibi prœlia commiſiſſe, agrúmque vrbis vaſtauiſſe. Sub id tempus Adouacrium, quem Gregorius Odoacrium, Fredegarius Odouacrum Saxonum Regem appellat, nauibus Galliam petiiſſe, & flumine Ligere ſubeuntem Iuliomagum, vulgò Andecauos dictum veniſſe, magnam in opido cædem feciſſe, cognitáque Ægidij morte ab opidanis & finitimorum locorum incolis obſides accepiſſe. tum Paullum Comitem cum Gallis, quos Romanos vocant, & cum Francis auxiliariis bellum intuliſſe Gothis recenti victoria de Riothimo Britannorum Rege exſultantibus, atque ex eorum agro prædas egiſſe. poſtridie autem eius diei, quo die Adouacrius Iuliomagum intrauerat, Childericum deimprouiſo ſuperueniſſe, interfectóque Paullo Comite, qui ei præerat, vrbem per vim occupauiſſe: Adouacrium naue profugiſſe. (quamquam quidam auctores ſunt Iuliomagum abſente Adouacrio ab Childerico captum) deinde ab Gallis prœlio fuſos, fugatóſque Saxones inſequentibus victoribus multos ſuorum gladio amiſiſſe: inſulas Ligericas, in quibus tamquam in ſtationibus opportunis deponendæ prædæ causâ hiberna muniuerant, cum magna ſtrage à Francis captas euersáſque eſſe. poſtea Adouacrium Saxonum Ducem cum Childerico pacem ac fœdus iniiſſe, & iunctis ambos viribus in Ala-

mannos, qui partem Galliæ peruaserant, expeditionem fecisse: quibus victis Childericum Francorum Regem, cùm Samarobriuam Ambianorum reuerteretur, morbo
CCCC-LXXXI. interiisse XXIV regni anno vertente, hoc est Placido V. C. Consule.

Ceterùm notare conuenit, id quod vetus Auctor Historiæ Francicæ tempore Gregorio proximus, Hincmarus in libro de vita Remigij, & Sigebertus scribunt, Coloniam Agrippinensem & Augustam Treuirorum à Francis captas suprà dici, non (vt putat Rorico Monachus) ab Childerico. quippe Coloniam Agrippinam Vbiorum, Chlodoueo regnante, Sigiberti senioris cognomine Claudi Francorum Regis sedem fuisse tradit Gregorius in Historiæ libro II, quæ vrbs si à Childerico occupata fuisset, nemini alij quàm Chlodoueo eius vnico filio ac successori fuit haud dubiè paritura. Ex quo intelligitur Coloniam saltem (ne de Treuiris loquar) à patre Sigiberti Regulo partis Francorum, & propinquo Childerici Regis expugnatam, ac filio cum Regno relictam esse. Aurelianos autem Hincmarus de vita Remigij, Aimoinus ac Sigebertus, ab Childerico captos aiunt: è quibus Aimoinus prodit Childericum apud Aurelianos pugnauisse cum Adouacrio Saxonum Duce, quem victum fugientémque persecutus Iuliomagum Andecauorum cùm non reperisset, vrbem ipsam expugnauisse, Paullúmque Comitem interfecisse, atque ita vsque ad flumen Ligerim prolato Regno suo Aurelianos & Andecauos capita gentium adiecisse. Et ita de Aurelianis videtur sensisse Gregorius: tametsi enim in libri II capite XVIII tantùm tradit Childericum ad Aurelianos pugnas commisisse: tamen in huiusce capitis inscriptione ait *Childericum Aurelianos; Adouacrium Andecauos venisse*: vt intelligamus, quemadmodum Adouacrius Andecauos ceperit, sic & Childericum Aurelianis potitum esse.

Saxones quidem & tùm, & sæpe antea modò soli, modò iuncti finitimis Francis, oram Galliæ Belgicæ, & Lugdunensis latrociniis infestauerunt, adeò vt in tractu Armoricano, & in prouincia Belgicâ II circa Granno-

nam & Marcos, quemadmodum & in insula Britannia, *Litus Saxonicum* ab his prædonibus populatoribúsque suis sit cognominatum. multíque Saxones non contenti præda Gallicana, iam abolito in partibus Occidentis Imperatoris nomine, in finibus Baiocassium consederunt, quos Saxones Baiocassinos Gregorius in Historiæ libro V ac X appellat, & quorum pagum Carolus Rex Francorum, Ludouici Aug. filius in legibus Siluaci latis *linguam Saxonicam* vocat. multi etiam ex eadem gente in agro Namnetico sedem cepere, quamobrem Venantius Fortunatus in Carminum libro III Felicem Namneticum Episcopum Saxones mansuefecisse, & Christianis mysteriis initiauisse scribit.

Similiter Alamanni non contenti Sueuiâ & Rætiæ parte maiore, transito Reno in finibus Galliæ, quam incursionibus sæpe vastauerant, consedere: agrúmque Heluetium, monte Iura ab Sequanis; lacu Lemano ac flumine Rhodano à Sapaudia & prouincia Viennensi diuisum, armis occupauere, Alamanniámque appellauere. quorum Alamannorum Gallicanorum Seruius Honoratus Grammaticus in Georgicôn libri IV versum CCLXXVIII, & Isidorus Hispalensis Episcopus in Originum libro IX mentionem faciunt: quippe scribunt *populos habitantes iuxta Lemanum fluuium*, eum, de quo Annæus Lucanus loquitur, (lacum debuerunt dicere) *Alemanos vocari*. Seruius autem Flauio Honorio imperante viguit, vt appareat eius principatu Alamannos in agro Heluetio iam sedem habuisse. Præterea Gregorius Episcopus Turonicæ Ecclesiæ tradit *Iura deserta inter Burgundiam & Alamanniam* (hoc est inter Sequanos, & Heluetios) *sita vrbi Auentico adiacere*, qua in Alamannia eremóque Lupicinus ac Romanus fratres tria Monasteria statuerint. Hi sunt Alamanni, quos Fredegarius in Chronico, bello ciuili inter Theodobertum ac Theodoricum germanos orto, cum Transiurensibus, id est cum Sequanis pugnauisse ait, & à quibus Aimoinus in Historiæ libro I, ac Hugo Monachus pagos Heluetiorum incoli produnt.

Seuerino iuniore, & Trocundo Coss. regnare cœpit CCCC-LXXXII.

Chlodoueus, Childerici Francorum Regis filius, XV annos natus, cuius de nomine, quo nullum peiùs acceptum, aut sæpiùs mutatum fuit, pauca dicenda sunt. Alcimus Ecdicius Auitus Viennensis Episcopus, Venantius Fortunatus Presbyter in Carminum libro IX, & quidam alij Chlodouechum Regem eum appellant. ipse in epistola ad Ecclesiæ Gallicanæ Episcopos post victum Alaricum missa Chlothouechum Regem se vocat. Similiter Episcopi, qui Felice Consule in vrbe Aure-
IↃXI. lianis conuenerunt, ***Dominum suum, Catholicæ Ecclesiæ filium, Chlothouechum gloriosissimum Regem*** nuncupant. Idem apud Cassiodorum Senatorem Luduin; & apud Iordanem Lodoin Rex Francorum, vtrobique corruptè pro Luduui, & Lodoui dicitur. Certè in præfatione legis Salicæ *Lodoueus pulcher, & inclytus*; in libello de vita Romani Rotomagensis Episcopi Ludouius; nonnumquam in veteribus libris Clodouius, & cum adspiratione Hludouuius appellatur. Agathias Scholasticus in rerum gestarum Iustiniani Aug. libro I hoc nomen, quod ore Græco concipi nequibat, corrupit, & omissâ litterâ vnâ pro Chlothoueo Chlothoæum dixit. Paullus Langobardus, & Freculfus Lexouiorum Episcopus Ludouicum vocant; Hincmarus quoque de vita Remigij Chludouuicum, & Chlodouuicum, vel Hludouuicum, maximum omnium ante se Franciæ Regum, fortissimúmque; Sigebertus in Chronico Ludouuicum. Denique Imperator Ludouicus Pius ei ipsi Principi se cognominem esse ait apud Frodoardum in Historiæ Remensis libro II, qui Auctor nunc Clodoueum; nunc Ludouicum, Ludouuicum, & Lodouicum nuncupat: quemadmodum Herimannus in Chronico Ludouuicum, eumdem & Chlodoueum magnum Francorum Regem esse, dicíque non semel tradit: & Aimoinus in Historiæ libro IV Chlodoueum Dagoberti filium, Hlodouicum etiam vocatum scribit. ex quo intelligitur Chlodoueos Francorum Reges à Ludouicis non magis, quàm Chlotharios ab Lothariis distingui oportere. In veteri stemmate, quod edidit Andreas Duchenius, Chlodoueus noster Childeuius appellatur, & Chlode-

rici, hoc est Childerici, filius; Chlodebaudi nepos; Chludij, vel Chlodionis pronepos; Faramundi abnepos; Hlodmari frater; Hildeberti, Theoderici, & Hlotharij pater fuisse dicitur, nullâ factâ Merouei mentione, quem Chlodouei auum paternum fuisse constat. Hlodmarus quidem, qui Chlodouei frater ibi appellatur, videtur pro Chlodomere vno è quatuor eius filiis ac successoribus positus esse.

Venantio & Theoderico Coss. Euricus Vesigothorum Rex XIX, vel (vt quibusdam placet) XIIX regni sui anno Arelati, herede Alarico filio, excessit è vita: CCCC. LXXXIV.
quem Auctor Appendicis Chronico Victoris Tununensis Episcopi insertæ Leone Aug. III & Tatiano Coss. interfecto fratre Regnum inuasisse, ac Symmacho V. C. solo Consule, hoc est vndeuicesimo pòst anno obiisse, & tamen XVI tantùm annis regnauisse tradit; Gregorius maiori errore XXVII. Eo regnante Vesigothi leges scriptas habere cœperunt, apud quos antè mos maiorum pro legibus erat. Euricum autem, quem modò Eoricum, modò Euarigem appellat, non multo antequam interiret, Catholicos in Galliis, præsertim in Nouempopulana & *vtraque Germania* persecutum esse in Historiæ libro II prodit Gregorius, *truncasse passim* de Deo rectè sentientes, Arianámque hæresim exosos: Clericos in vincula coniecisse: Sacerdotes partim in exsilium egisse, partim interfecisse: & Ecclesiarum aditus spinis obserari iussisse: exstare hodiéque Sidonij epistolam ad Basilium Episcopum ea de re scriptam. Et ita quidem Gregorius loquitur: at Apollinaris Sidonius in supradicta epistola, quæ in Epistolarum libro VII sextum locum obtinet, tantùm ait Crocum & Simplicium Episcopos sedibus suis expulsos, relegatósque esse: & apud Burdigalenses, Petrocorios, Rutenos, Lemouices, Gabales, Elusates, Vasates, Conuenas, Auscos, ac plerasque alias vrbes, hoc est in Aquitania prima, Aquitania secunda, & Nouempopulis, *summos Sacerdotes morte truncatos*, id est sua morte mortuos, nec vllos Episcopos in defunctorum locum substitutos esse: desertas rusticas parochias: & aut la-

psa Ecclesiarum culmina; aut *valuarum cardinibus auulsis Basilicarum aditus vepribus obstructos:* eámque *Catholici status valetudinem occultam* appellat, ac Euricum *non tam Romanis vrbibus, quàm legibus Christianis insidiaturum* videri sibi scribit. Ex quo iudicari potest, qua fide Gregorio credere nos oporteat, qui sic Auctores intellexerit. *Geminam* autem *Germaniam* vocat suprà Gregorius vtramque prouinciam Aquitaniam, credo quòd ab Vesigothis gente (vt putabat) Germana teneretur: videtúrque imitatus more suo Apollinarem Sidonium, qui prouinciam Lugdunensem primam in libri V epistola VII *Lugdunensem Germaniam* appellauit, propterea quòd à Chilperico priore, Magistro militum, & Rege Burgundionum gentis Germaniæ possidebatur.

Ægidius Magister militum, atque Patricius, natione Gallus, moriens filium reliquerat superstitem nomine Syagrium, quem Gregorius *Romanorum*, hoc est Gallorum, *Regem*; Fredegarius & Aimoinus *Romanorum Patricium*; *Principem Romanorum* Hincmarus appellat: quòd forsitan nonnullas regionum vrbiúmque Galliæ, quas pater eius in potestate Imperatorum retinuerat, post euersum Occidentis Imperium in formulam regni redegisset. In eum Chlodoueus, non ignarus occupati ab Ægidio paterni Regni, hereditarium odium exercebat, & claras Galliæ Belgicæ vrbes ab homine Gallo tamquam æmulo imperij sui teneri indignabatur. Igitur V regni anno Decio & Longino Coss. coactis omnibus copiis, Ragnachario etiam Rege partis Francorum cognato suo à Camaraco accito, bellum Syagrio infert, ingressúsque fines Suessionum diem pugnæ locúmque ab eo petit. nec Syagrius detrectauit certamen, victúsque acie Tolosam ad Alaricum Vesigothorum Regem perfugit. Eo bello Chararicus Francorum Regulus accersitus à Chlodoueo procul cum exercitu constitit, euentum prœlij speculaturus, & cum victore amicitiam conciliaturus: quæ eidem postea causa exitij fuit. Chlodoueo sub belli denuntiatione Syagrium deposcente, Alaricus metuens, ne alienæ cladis accessio fieret,

CCCC-LXXXVI.

ret, (vt timere Gothis mos erat) vinctum legatis tradidit. quem Chlodoueus custodiendum vinculis, dùm eius Regnum occuparet, deinde clàm iugulandum curauit. ita Augustam Suessionum, Syagrij regiam, necnon Durocortorum Remorum, vt opinor, aliáque cõplura oppida & castella imperio suo subiunxit. Accidit tum res digna memoriâ: milites Franci post spoliatas multorum locorum Ecclesias, apud Durocortorum Remorum vasa omnia, quibus ad res diuinas vti mos est, in primis vrceum ex argento maximum pulcherrimúmque sustulerant. cuius iacturâ motus Remigius Remensis Ecclesiæ Episcopus quosdam homines ad Chlodoueum misit vrceũ suppliciter repetitum: quos Rex Augustam Suessionum sequi se iussit. vbi prædâ in medium collatâ cùm vrceum, extra sortem, ac super partem suam, postulanti ei dedisset exercitus, vnus è militibus temeritatis ac impudentiæ incredibilis elata voce simul ac bipenni vrceum impulit, Regem in vas nisi sortis beneficio ius habiturum negans. & Chlodoueus quidem, mirantibus vniuersis leuitatem hominis ac cõtumaciam, dolorem pressit, acceptúmque vrceum Ecclesiæ, vnde erat, restituendum curauit: sed insequenti demum anno ostendit memoriam facti in animo suo non exoleuisse. Tum Frãci quotannis Kal. Mart. in campum armati & ad bellum parati conuenire consueuerant, ídque conciliũ *Campum Martium*, & *Martis Campum* appellabant. quem conuentum cùm pòst Pippinus maior sexto regni anno in mensem Maium differre ad colligendum populi fauorem maluisset, *Campum Maium*, vel *Maij Campum* vocare cœperunt. Huiusmodi Chlodoueus indicto concilio cùm exercitum recenseret, singulósque circuiret ac recognosceret, ad supradictum militem accessit: eius arma diu multúmque inter manus versans negauit tersa, acuta, & ad pugnam habilia esse: securim etiam, tamquam hebes esset, de industria abiecit in terram. ad quam colligendam cùm sese miles inclinauisset, elatam altè securim suam Rex inopinantis capiti infixit, adiectis etiam verbis: sic superiore anno vrceum percussisti. ea cæde Francos obsequentiores ac reuerentiores sui red-

ditos, quòd à bello vacabat, domum redire omnes iussit. Ceterùm notare conuenit vrbis nomen, ex qua vrceus raptus est, ab Gregorio omitti, quam vrbem Fredegarius, Hincmarus, & Frodoardus Remos nomine gentis vocant. è quibus Hincmarus scribit Chlodoueum Durocortorum Remorum intrare noluisse, ne quam opidani ab armatis iniuriam acciperent: quosdam tamen Francorum insciente Rege vrbem ingressos sacra vasa, vrceúmque abstulisse.

CCCCLXXXVII. Boëthio V.C. vnico Consule Odoacer Rex Italiæ Rugos domuit, de qua gente quæ ex Eugepio aliisque didicimus, huic loco inserenda sunt. Rugi, Christiani quidem, sed Arianarum partium, Regibus Hunnorum paruere, & post Attilæ mortem recuperata libertate, pars in Danubij vlteriore ripa contra Noricum consedere: pars Bizyam & Arcadiopolim Thraciæ vrbes beneficio Marciani Aug. possedere. Apud priores regnauit Flacitheus, qui ab Ostrogothorum Principibus Theôdemere & Widimere commeatum transeundi in Italiam petiit, nec impetrauit, ac non multo pòst decedentibus Pannoniâ Ostrogothis metu liberatus est. Flacitheo patri successit Feletheus, idem Faua & Feba dictus, cuius frater Fridericus, vt erat pauper, & impius, Monasterium Seuerini Abbatis paullo antè defuncti diripuit, atque intra mensem ab Friderico Fauæ fratris filio interfectus prædam cum vita amisit. Qua re cognita Odoacer, tametsi Arianus, indignatus spoliatum esse Monasterium sanctissimi ac beatissimi viri, quem tanti viuum fecerat, nihil vt petenti denegaret, Rugis intulit bellum: Feletheúmque Regem gentis acie vicit, & cum Gisa vxore, femina crudeli & auara, captum in Italiam

CCCCLXXXVII. adduxit Boëthij Consulatu, nec multo pòst occidit: atque ob id à Iordane non solùm Turcilingorum; sed etiam Rugorum Rex appellatur. Quamquam Paullus in Historiæ Langob. libro I tradit Odoacrem fretum non solùm Turcilingis, Erulis, ac Italis, sed etiam parte Rugorum iamdudum sibi subiecta, Feletheo bellum intulisse. Fridericus fugâ salutem petiit, móxque hoste Rauennam reuerso, similiter domum rediit, ac Regnum

recepit. Quamobrẽ Odoacer Aonulfum, vel Aunulfum fratrem ſuum cum magno exercitu aduerſus eum miſit, & vniuerſos opidorum Norici ad ripam Danubij poſitorum incolas, continuis finitimorum Barbarorum incurſionibus vexari ſolitos, cum ſuis omnibus transferri in Italiam iuſſit. Ita Norici ſedibus ſuis emigrauere, & aſſignatos ſibi in variis Italiæ regionibus agros coluere. At Fridericus Felethei Regis filius iterum domo expulſus ad Theodericum Oſtrogothorum Regem, qui tum Nouas, Mœſiæ inferioris vrbem, ſedem habebat, perfugit, hominémque inquietum ſpe occupandæ Italiæ in bellum impulit, quod antequam exponam, Theoderici res geſtas, omiſſis fabulis, quas Aimoinus & Rorico de eo finxere, ab origine repetere conuenit.

Theodericus, à Marcellino Valamer; à Germanis ſcriptoribus Veronenſis cognominatus, Valameris; non (vt Iordani placet) Theodemeris Oſtrogothorum Regis ex Erelieua pallaca filius, apud Leonem Aug. patris patruorúmque obſes per annos X fuit. remiſſus ad ſuos XVIII ætatis anno Babai Sarmatarum Regem de improuiſo victum occidit: & patre patruíſque mortuis Rex ſalutatur. tum ab Zenone Aug. qui præclara eius operâ in recuperando Imperio vſus erat, Patricius creatur, per arma filius adoptatur, atque Magiſterium militiæ Præſentis conſequitur, Conſul etiam ordinarius cum Venantio deſignatur, & ſtatuâ equeſtri ante fores CCCCLXXXIV.
Palatij poſitâ honoratur. eidémque nihilominùs Thraciam & Illyricum crebris incurſionibus vaſtanti, réſque ſuas ſibi à Romanis ademtas bello repetenti, pars Daciæ Ripenſis ac Mœſiæ inferioris credita eſt, quam quinquennio cum popularibus tenuit, in opido Mœſiæ Nouis domicilio ſibi conſtituto. tandem hortante cupiditate dominandi, & Friderico propinquo, Felethei Regis filio, ſimul Zenonis inſidiarum metu compulſus, perſuadet ſuis rapto viuere aſſuetis, vt ſecum in Italiam proficiſcantur: probatóque Imperatori conſilio paciſcitur ſibi mercedis nomine, ſi Odoacrem viciſſet, fiduciarium Regnum Italiæ, Zenoni, ſimul ac eò veniſſet reſtituendum, eáque res Zenonis Aug. decreto,

quod pragmaticum vocant, comprehensa est. Igitur Theodericus vnà cum matre ac sorore, & cum omnibus copiis (iam enim sororem alteram, Theodemundum fratrem, ac filium ex morbo amiserat) Mœsiæ inferioris vel secundæ, & Daciæ Ripensis finibus emigrat, & per prouinciam Mœsiam primam iter in Pannoniam facit. ibi Gipedes cum Trafstila vel Trapstila Rege transitum dare nolentes ad Vlcam flumen fundit: inde Noricum emensus, Alpes Iulias nemine prohibente transgreditur, & apud pontem Sontij Odoacrem victum ca-
CCCCLXXXIX. stris exuit Probino & Eusebio Coss. iterum eodem anno in campis Veronensibus, Philippi Aug. Sabini Iuliani, & Maxentianorum clade nobilibus; tertiò Lon-
CCCCXC. gino II & Fausto Coss. Vesigothorum auxiliis adiutus ad Aduam flumen, non (vt mendosè apud Senatorem legimus) ad Ducam fluuium eumdem reparatis viribus occurrentem cruentis vtrimque prœliis superat: Faustúmque Nigrum virum Illustrem Magistrum Officiorum legatum ad Imper. Zenonem mittit petitum, vt eius voluntate ac permissu vestem regiam, hoc est purpuram sumeret. Interim Tufa Magister militum Odoacris, qui cum multis ad Theodericum transierat, iterum ad Odoacrem cum magno exercitu redit. qua re perterritus Theodericus muris Ticini se inclusit, suósque omnes in munimentis vrbis aliquamdiu continuit: inuitatúsque ea occasione Gundobadus Burgundionum Rex Transpadanam regionem, quam tum Liguriam vocabant, maxima manu depopulatus est, & infinitam multitudinem captiuorum in Galliam adduxit. At Odoacer Rauennæ obsessus ab Theoderico, Olybrio
CCCCXCI. solo Cos. noctu eruptione facta, multis hostium cæsis plurimos suorum, in primis Leuilam Magistrum militum amisit: repulsúsque in opidum cùm per annos fermè tres obsidionem fortiter tulisset, post multas pugnas, & omnia frustra tentata, nouissimè accepta fide, & Thelane filio suo obside dato se Theoderico dedidit: portísque patefactis post aliquot dies, magis ne res nouaret, quàm (vt Ostrogothi videri voluere) ob comparatas vllas insidias, contra religionem iurisiurandi in

laureto Palatij Rauennatis manu Theoderici confossus est Albino & Eusebio Coss. & eadem die eius filius, CCCC-XCIII.
propinquíque, & milites ad vnum omnes cum liberis interfecti. Tum Theodericus cognita Zenonis morte, non exspectato Anastasij noui Principis consensu, ac legati reditu, ab exercitu suo Rex appellatus est: atque VIII pòst anno per Festũ caput Senatus atque Patricium mitigato Anastasio, sibi ob præsumtum Regnum infenso, factáque pace, regia insignia & omnia ornamenta Palatij, quæ Odoacer Constantinopolim deportanda curauerat, recepit. vt appareat errare Iordanem, qui Theodericum tamquam Gothorum Romanorúmque Regem, anno III post aduentum in Italiam, interfecto Odoacre, Imper. Zenonis consulto priuatum patriúmque vestitum regio insigni mutauisse scribit. cùm V anno quàm Italiam ingressus erat, nimirum Albino & Eusebio Coss. Zenone pridem mortuo Rauennam CCCC-XCIII.
ceperit, & Odoacre interemto Rex ab suis sit consalutatus.

Ita confecto bello Theodericus XVII Italiæ prouincias; Pannoniam ferè omnem, expulso ex vrbe Sirmio Traserico Gipedum Rege Trafstilæ filio; Sauiam; Dalmatiam; Liburniam occupauit: & cum Gundobado Burgundionum Rege icto fœdere per Epiphanium Ticinensem Episcopum, Transpadanorum dediticiorum VI millia ab eo dono data recepit; bello captorum magnam multitudinem de publico redemit. vxorem, vel (vt Iordani placet) concubinam in Mœsia habuerat, & ex ea filias duas, Theodegotham natu maiorem, quam Iordanes Theudicodonem, Procopius Theudichusam appellat; ac Ostrogotham. priorem Alarico Vesigothorum Regi; posteriorem Sigismundo Gundobadi filio nuptum dedit: Amalafridam sororem suam, matrem iam ex alio viro Theodahadi, & Amalabergæ, Thrasamundo Vandalorum Regi; Amalabergam ipsam Herminafrido Toringorum Regi collocauit. imitatúsque Odoacrem, tertiam partem agri bello quæsiti popularibus attribuit, Vesigothorũ principibus æquior, qui in diuisione agrorum Romanos, hoc est Hispanos,

Gallos, atque Callæcos tertia parte contentos esse iusserunt. idem cùm alias vrbes præcipuis operibus, tum maximè Romam, Rauennam, Veronam, Ticinum palatiis, aquæductibus, porticibus, thermis, muris, amphitheatris, similibúsque monumentis partim nouis, partim refectis exornauit, & in opportunis locis ca-
Iↄ. stella constituit. Patricióque & Hypatio Coss. Vrbem cùm intrauisset, Senatum populúmque Romanum à Zenone & Anastasio multùm sibi commendatum ad Palmam auream allocutus, quæcumque priores Principes Romani statuerant, se sanctissimè obseruaturum promisit; Circensésque dedit; & plebem CXX millia modiorum frumenti quotannis accipere iussit è publico. tum *Flauius Theudoricus*, vel *Theodericus Rex* appellari cœpit, vt docent litteræ duæ ab eo ad Sy-
IↄI. nodum Palmarem missæ Rufo Magno Fausto Auieno Consule. leges quoque seuerissimas, saluâ Iuris ciuilis, quod publicum appellat, reuerentiâ, Barbaris ac Romanis seruandas vno Edicto complexus est. Quo magis miror Procopium in rerum Gothicarum libro I tradere nullam ab Theoderico eiúsque successoribus latam legem; præterea nullum magistratum aliis quàm Romanis datum esse; eisdémque permissum, vt quotannis ab Imperatore Consulatum peterent. quippe Arigernum, Sunhiuadum, Marabadum, Dudam, aliósque Gothos homines, vt ex nominibus ipsis intelligi potest, *Comites*, hoc est Iudices fuisse Cassiodorus Senator docet, & Felici à Theoderico; Paullino ab Athalarico Consulatum delatum. & Tolum Patricius Senatui vrbis Romæ scribens affirmat multos Senatores ad Consulatus, ad Patriciam dignitatem, atque Præfecturas sua apud Theodericum Principem suffragatione promotos. Præterea Ennodius ait Theodericũ *Curules & Trabeas*; (hoc est Consulatus) *Patricias etiam dignitates aut naturæ*, (id est nobilitati) *aut moribus dedisse*. nemo vt dubitare debeat, quin Theodericus, & Athalaricus eius ex Amalasuentha filia nepos atque successor eadem omnia fecerint, quæ Imperatores facere consueuerant. Ceterùm Ostrogothos post Attilæ Regis mortem be-

neficio Marciani Principis in Pannonia Sirmiensi, deinde in Illyrico Orientali sedes habuisse, antequam in Italiam proficiscerentur, auctor est Iordanes. à quo Paullus in Historiæ Miscellæ libro XIV, Constantinus Porphyrogennetus in libro de regendo Imperio, & Nicephorus Callistus in Ecclesiasticæ Historiæ libro XIV dissentiunt, scribúntque Ostrogothos primùm in Pannonia; pòst permissu Theodosij minoris vndeuicesimum imperij annum agentis in Thraciæ finibus consedisse, atque annis LVIII (LXI dicere debuerunt) ibi fuisse, tandem iussu Zenonis Aug. ductúque Theoderici Patricij Imperium Occidentis, nimirum Italiam, finitimásque aliquot prouincias occupauisse. Hoc loco arguendi sunt Theodorus Anagnostes, & Ioannes Zonaras, è quibus prior vnà cum Cedreno Theodericum Regem Italiæ *Afrum*; posterior *Africæ Regem* appellat: cùm non Theodericus aut Ostrogothi in Africa, verùm Vandali dominarentur. Sed tempus est ex Italia in Gallias, & à Theoderico ad Chlodoueum nostrum transire. CCCC-XXVII.

Paucis pòst annis, quàm Syagrius ab Chlodoueo fuerat interfectus, Toringi, Germana gens, in agrum confinium sibi Francorum, hoc est (vt puto) Cattorum incursionem fecere: obsides, quos ab eis belli deprecandi causâ datos acceperant, excruciatos necauere: pueros neruis femorum ex arboribus suspendere: captiuas puellas plus ducentas crudeliter interemere, alias bigis nudas alligando, & pernicibus equis in diuersum iter concitatis passim distrahendo: alias præacutis sudibus in terram defixas super orbitas viarum distendendo, & grauibus plaustris per eas actis obterendo: depopulatáque regione cum magna præda domum rediere. Quo nũtio Chlodoueus grauiter pro rei atrocitate commotus X regni sui anno Olybrio solo Cos. Renum traduxit copias, ac Toringis intulit bellum, victísque post agros igne ac ferro effusè vastatos tributum imposuit, non (vt ait Gregorius) suo eos imperio subiunxit. CCCC-XCI.

Eodem anno Zeno Aug. mortem obiit, vir libidinosus; deses; Theoderico Triarij, ac Theoderico Valameris,

Ostrogothorum Regulis, Thraciam ac Illyricum vexantibus obnoxius; & Eutychianarum partium occultus adiutor; Longino & Cononi fratribus suis, ac Sebastiano cuidam Præfecto Prætorij, rapacissimis hominibus addictus. Huius Principis ingratus animus atque perfidia à nemine satis argui potest. plerosque enim, quorum vt defectione expulsus, sic transitione restitutus ipse in Imperium fuerat, cruenta morte remuneratus est. Armatum quidem, ab aliquibus Armatium & Harmatium dictum, Basilisci Tyranni consobrinum, Consularem virum, Magistrúmque militiæ Præsentis per Honoülfum Toringum, Magistrum militum Illyricorum, occidendum ac discerpendum curauit: Basiliscúmque eius filium, admodum puerum, quoniam id patri promiserat, in vrbe Nicæa Cæsarem, ac mox tamquam liberata fide sua ex Cæsare Lectorem fecit, Cyzicenorum postea futurum Episcopum. Illum verò popularem suum, quem alij Hellum, alij Illonem appellant, Patricium, Consulem, Magistrum officiorum, & Magistrum militum Orientalium factum, cùm impulsu Verinæ socrus & Ariadnes vxoris interimere voluisset, vt maturiùs à se desciscеret, excitauit, ac tandem in Papirio Isauriæ castello per Theodericum Valameris Ostrogothorum Regem captum cum Leontio Tyranno capite truncauit. Verinam Aug. socrum, quæ primò pro Basilisco fratre, mox pro ipso genero suo steterat, multis petitam insidiis, in vrbe Ciliciæ Tarso, deinde in supradicto Isauriæ castello custodiri iussit, & ibidem in exsilio mori coëgit, vbi Leontio Patricio purpuram circumdare ac diadema imponere ab Illo compulsa est. Denique cognito vnum è Silentiariis Imperio & coniuge sua potiturum esse, ratus destinari Pelagium virum præstantissimum ac sapientissimum, ab Silentiariorum Schola ad Patriciam dignitatem promotum, cuius operâ Theodericum Triarij filium, Gothorum Fœderatorum Ducem à Constantinopoli armatum auerterat, iussit in insula Panormo insontem strangulari, tamquam successorem suum occidere, aut fati legem immutare posset. Cedrenus ait Pelagium Patricium, quòd Zenonem

nem ius violantem liberè argueret, & Longinum Cæſarem creari nollet, ab eo vita priuatum. Suidas, neſcio quem Auctorem ſecutus, ſcribit Zenoni Principi duas vxores fuiſſe, priorem Ariadnen, Leonis iunioris Aug. matrem; poſteriorem Arcadiam, Hiſtoricis Græcis Latiníſque ignotam, cui ſtatua Conſtantinopoli poſita ſit: filium quoque, admodum arrogantem, qui adoleſcens torminibus ex intemperantia contractis ante patrem deceſſerit. Ego Candidum Iſaurum veterem Hiſtoricum ſequi malo, qui Zenoni, poſtquam priorem vxorem (quæcumque illa fuerit) ex morbo amiſerat, Ariadnen à Leone Aug. in matrimonium datam eſſe tradit.

Mortuo Zenone, cùm Longinus, eius frater, bis Conſul ſtupris & rapinis infamis, ac inuiſus, Imperium affectaret: Ariadne Auguſta Leonis Principis filia, quæ fuerat Zenoni nupta, impulſa ab Vrbicio eunucho gratioſiſſimo, Senatu & exercitu conſentiente, Anaſtaſio Silentiario, necdum Senatori, diadema impoſuit, eidémque quamquam ſexagenario mox nupſit. at Iſauri ex vrbe Conſtantinopolitana omnes expulſi ſunt, & Longinus Seleuciam Iſauriæ, vnde erat, dimiſſus. vbi cùm res nouas moliretur, victus, comprehenſus, & Alexandriam in exſilium miſſus, Preſbytérque factus paullo pòſt obiit: vt tradit Zonaras. quamquam Euagrius & Nicephorus Calliſtus à Ioanne Scytha victum cum acie vnà cum Theodoro cæſúmque aiunt.

Flauius Anaſtaſius, in opido Epiri nouæ Dyrrachio genitus, cognomine Δίκορος, imperauit annos XXVII menſes III. vir callidus, prouidens, mitis, crebras ob Eutychianam hæreſim Conſtantinopolitanorum ſeditiones paſſus, & in bellis ciuilibus, quàm in externis meliore fortuna vſus. quippe & Iſauros donatiuum ab Illo Tyranno ipſis auctum, & à Zenone inuito reconciliationis causâ conceſſum armis repetentes vi; & Vitalianum Ducem Fœderatorum Gothorum dolo magis quàm ferro feliciter exarmauit. At eodem tempore Bulgares, Pontica gens, Thraciam, & Illyricum; Perſæ Armeniam & Meſopotamiam, ſuperatis prœlio Roma-

nis, securi vastauere: Hunni, portis Caspiis effractis, & Armeniâ maiore peragratâ, Cappadociam, & Galatiam depopulati sunt: Saraceni in Phoenicen, & Palæstinam erupere. Ceterùm miror, quòd Flauius Anastasius Dyrrachinus apud Baronium in litteris ad Senatum vrbis
IↃXVI. Romæ missis Petro V. C. Consule *Germanicum inclytum, Alamannicum inclytum, Francicum inclytum* se appellet; quibuscum gentibus non bellum ei, sed contrà amicitia fuit: si verum est, quod scribit Gregorius, Chlodoueo Francorum & Alamannorum Regi Patriciam dignitatem ab Anastasio codicillis delatam esse. Hæc de Imperatoribus Orientis transcursu dicta sint: ad Chlodoueum reuertor.

Gundobadus, Godegisilus, Chilpericus, & Godomarus, (vt suprà diximus) Gundiuco patri suo Burgundionum Regi successerant, Regnúmque inter se diuiserant. Non fuit fratrum diuturna concordia. Chilpericus enim & Godomarus æqua parte minimè contenti Alamannos mercede accersiuere, & Gundobadum apud Augustodunum fusum acie Regno expulere. qui cùm apud amicos lateret, audito Alamannorum auxilia dimissa esse, fratrésque suos securos victoriâ frui; manu coacta in Burgundiam rediit: potitúsque Vienna, quæ tum Regum sedes erat, Chilpericum captum interfecit: Godomarum in turri quadam, in quam confugerat, viuum exussit: Chilperici vxorem oneratis lapide ceruicibus mergi in flumen; duósque eius filios capite truncatos in puteum abiici iussit. Filias Chilpericus ex coniuge duas susceperat. ambas in exsilium missas ait Gregorius: quarum maior nomine Mucuruna, quam Fredegarius Sedeleubam Reginam, quidam Chronam appellant, mutata veste virginitatem Deo deuouit, & extra vrbem Geneuam Ecclesiam exstruxit: natu minor Chrothildis vocabatur. Quamquam Auctor Historiæ Francicæ, ætate Gregorio proximus, & Rorico Monachus Chronam in exsilium actam; Chrothildem ab Gundobado patruo suo domi retentam, educatámque dicunt: quam posteriorem Nicetius Rodhildem; Fredegarius Chrotechildem; Rorico

Chrochildem; Hrodhildem Herimannus; aliqui Chrodigildem, & Chrodieldem appellant. Hæc, siue primùm Arianam sectam cum popularibus secuta erat, deinde hæresin eiurauerat; siue potiùs semper Catholicarum partium fuerat, de Christo & Spiritu Sancto rectè sentiebat. quam cùm vidissent legati, quos Chlodoueus Francorum Rex ad Gundobadum variis de rebus sæpe miserat, admiratíque puellæ formam, ac prudentiam, regia stirpe genitam, & Chilperici quondam Burgundionum Tetrarchæ filiam esse cognouissent, relatione sua Chlodoueum iuuenem in amorem virginis facilè impulerunt. Itaque Chrothildem sine mora Chlodoueus in matrimonium petiit, missísque ob id legatis traditam ab Gundobado, quia negare non audebat, ac perductam ad se duxit vxorem (vt ait Herimannus) XII regni anno, hoc est Albino & Eusebio Coss. cùm iam haberet ex concubina Theodoricum, & (sicuti Iordanes, Paullus, ac Freculfus tradunt) Audefledam, quam alij Odelfledam; alij Angofledam; alij Anafledem appellant, Theoderico Italiæ Regi nupturam. Gregorius tamen & Aimoinus eam Chlodouei sororem fuisse verisimiliùs dicunt: quippe apud Cassiodorum Senatorem in libri III epistola IV Thedericus Ostrogothorum Rex Chlodoueum Francorum Regem *affinem, & cognatum*, hoc est, vxoris suæ fratrem; se autem ipse *patrem* Chlodouei appellat, filium vtique appellaturus, si gener eius fuisset. CCCC-XCIII.

Apud Scriptorem rerum nostrarum ætate Gregorio proximum, Roriconem, alióśque dicitur Aurelianus quidam Gallus, Chlodouei consiliarius, mendici habitum indutus Viennam ad Chrothildem venisse, eíque anulum fidei pignus, & ornamenta sponsæ conuenientia à Chlodoueo attulisse: quibus Chrothildis acceptis anulum in patrui sui inscientis loculum reposuerit, atque in nuptias consenserit. tum Aurelianum à Chlodoueo legatum ad Gundobadum missum esse produnt; qui Chrothildem sponsam sub belli comminatione peteret: móxque negante primùm Gundobado, & Aurelianum speculatorem appellante; deinde vbi anulum

Chlodouei imagine & nomine ſignatum è locello ſuo prolatum vidit, ægrè annuente; virginem regiam legato traditam, & ad Regem Francorum perductam eſſe: qui nuptias Auguſtæ Sueſſionum confecerit, iterúmque Aurelianum ad Gundobadum miſerit res Chilperici vxoris ſuæ patris repetitum, ab eóque, conſilium popularium, ſuadentium ne feroci homini vllam belli materiam præberet, non ſponte ſecuto, pretioſiſſimam ſupellectilem & multum auri argentíque receperit. Fredegarius Scholaſticus, & Aimoinus Monachus rem paullò aliter exponunt, nimirum Aurelianum aſſumto cum pera mendici habitu clàm veniſſe ad Chrothildem Geneuam Allobrogum, vbi vnà cum ſorore exſulabat, & Chlodouei mandata anulúmque detuliſſe: quo illam accepto centum ſolidis, anulóque ſuo legatum donauiſſe, celeritérque Chlodoueo nuntiare iuſſiſſe, nî per legatos quammaturrimè ab Gundobado patruo ſuo in matrimonium peteretur, deduceretúrque, timere ſe, ne Aredij interuentus cœpta deſtrueret. quâ cognitâ re Chlodoueum miſſis confeſtim ad Gundobadum oratoribus Chrothildis nuptias petiiſſe: cúmque is conſenſiſſet, potentiſſimi Regis amicitiam hac affinitate ſe adquiſiturum ſperans; legatos more Franciæ oblato ſolido atque denario puellam virginem Chlodoueo abſenti deſpondiſſe: & ad diem nuptiis Cabilloni celebratis eam à patruo Francis traditam, & in baſternam eſſe impoſitam. quæ comperto Aredium Conſtantinopoli reuertiſſe, duces ac comites ſuos feſtinare iter, ac ſe in equum inferre iuſſerit. id conſilium euentu feliciſſimum fuiſſe: quippe Aredio tale coniugium improbante, & Chrothildem parentum mortem viri armis vlturam dicente; Gundobadum ſine mora ad retrahendam puellam equites miſiſſe, qui baſternam quidem vacuam, & aurum ac ornamenta comprehenderint, ſed ipſam longè progreſſam conſequi non potuerint. tum Chrothildem, cùm Francorum finibus appropinquaret, comites rogauiſſe, vt quantum poſſent extrema Burgundiæ quoquouerſùs igne & ferro vaſtarent: quo facto Villariacum, qui eſt locus in agro Tricaſſino, ad Chlodoueum


perductam, ac in matrimonium acceptam esse. quas fabulas finxisse Historicos nostros non miror, cùm iidem Childericum Chlodouei patrem amisso Regno venisse Constantinopolim ad Mauricium Tiberium Aug. qui CXX pòst annis imperare cœpit, & post Basinam vxorem ductam primâ nocte portenta vix pueris credibilia vidisse memoriæ tradiderint.

Hincmarus, & Aimoinus, Rorico, ac Sigebertus, aliíque Auctores Historiæ nostræ scribunt Chlodoueum, paullo post nuptias factas, Regnum suum primò vsque ad Sequanam; mox vsque ad Ligerim protulisse: & Aureliano Melodunum opidum Senonum, quod castrum appellant, præmium meritorum dedisse, simúlque cum eo beneficio nomen Ducis contulisse. ceu verò non id antea Childericus Chlodouei pater fecisset, quem ipsi produnt Iuliomagum Andecauorum non longè à confluente Meduanæ & Ligeris positum, & opidum Aurelianorum ripis Ligeris adiacens occupauisse.

Aliquanto pòst Chrothildis Regina marem enititur, & patiente magis quàm approbante Chlodoueo ablui eum more Christianorum iubet, Ecclesiámque velis ac cortinis ornandam curat: vt virum suum, quem verbis expugnare non poterat, eo mysterio ad Christianam religionem illiceret. Nomen infanti Ingomeres imponitur, quod Arminij Cheruscorum Principis patruo nomen fuisse accepimus, quem Cornelius Tacitus in Annalium libro I Inguiomerum appellat. Et Ingomeres quidem, ab aliquibus Ingomirus dictus, paucis pòst diebus interiit. cuius mortem molestè ferens Chlodoueus, ac Baptismo imputans, grauiter Chrothildem obiurgauit, dixítque Deos patrios, ob contemtum numinis sui iratos, parentibus filium eripuisse. at illa se felicis vteri esse respondit, cuius primitias Christus sibi consecratas repetiuisset: filiúmque postea peperit, qui nihilo seciùs baptizatus, & appellatus Chlodomeres cùm ægrotare cœpisset, affirmante Rege fore, idem vt ei, quod fratri, contingeret, Reginæ votis, ac Dei misericordiâ conualuit. Ex his intelligitur Chlodo-

ueum quamlibet naturâ ferum ac immitem, valdè vxorium fuiſſe : quo non prohibente potiuſquàm aſſentiente Chrothildis Ingomerem tinguendum curauerit, acritérque ob id increpita minorem filium Chriſto initiare non dubitauerit.





HADRIANI VALESII
RERVM FRANCICARVM
LIBER SEXTVS.



IAM Franci dudum bella non ſummouere, ſed inferre, & quaſcumque aggrederentur gentes atque regiones ſubigere conſueuerant: iam terras inter Renum & Ligerim, partem Galliæ meliorem validiorémque, armis occupatas obtinebant, & linguam Latinam, moréſque cultiores à Gallis docebantur: adhuc tamen patrio more ſiluas & fontes Deorum numero ducebant, atque auibus ſacrificia faciebant: timendúmque erat, ne poſt confirmatum ſibi Galliarum imperium ſi idolorum cultui non renuntiauiſſent, in Eccleſiam religionémque Chriſtianam arma conuerterent. Dei prouidentiâ ortum eſt bellum, cuius victoriâ Chlodoueus Rex gentis maximus ac potentiſſimus de idolis ſimul hoſtibúſque triumpharet. quippe quintodecimo regni eius anno, qui Paullum fratrem Imperatoris Anaſtaſij CCCC-XCVI. Conſulem habuit, Alamanni, gens iam inde ab Antonino Caracalla nulla Germanica gente viribus & famâ inferior, magnâ manu flumen Renum tranſiere. Cau-

ſam belli, noménque Regis Auctores noſtri non dicunt. tantùm apud Caſſiodorum Senatorem in libri II epiſtola vltima inuenio Alamannorum Regem perfidiæ notari: credo, quòd fœdus cum Chlodoueo ictum violatâ fide ruperat: ſiue is Gibuldus Alamannorum Rex ab Eugepio in libro de vita Seuerini memoratus; ſiue quis alius fuit. Equidem exiſtimo Alamannos (id quod Burgundionibus, Veſigothis, Franciſque bene ceſſiſſe videbant) partem Galliæ multis ſuis maiorúmque ſuorum incurſionibus per annos CCLXXX vaſtatæ occupare voluiſſe. Regnabat tum Coloniæ Agrippinæ Sigibertus, partis Francorum Rex, regionémque ad Gallicam ripam Reni iacentem, & finitimos Germaniæ Tranſrenanæ pagos poſſidebat. cuius vbi Regnum depopulatâ iam ſuperiore Germaniâ ingreſſi ſunt Alamanni; Chlodoueus magnis coactis copiis ad eos contendit: adiunctóque ſibi Sigiberto, apud Tolbiacum Vbiorum hoſtes aſſecutus prœlium commiſit. ibi cùm inclinatam videret ſuorum aciem, & plurimis cæſis, Sigiberto etiam genu ſaucio, ex quo vulnere poſtea claudicauit, reliquos vehementer vrgeri; Chrothildis monitorum memor ad cælum oculos ſuſtulit, & admonitu Aureliani (vt quidam aiunt) multis cum lacrimis auxilio Chriſti implorato vouit, ſi victoriam ex hoſte tuliſſet, ſe Chriſtianam ſectam ſecuturum, quoniam Deos patrios fruſtra inuocauiſſet. ſtatímque exauditæ ſunt ſupplicis preces. nam & Francis animus ac virtus rediit; & iteratâ de integro pugnâ Alamanni ingenti ſtrage fuſi, ac fugati: Rex ipſe occiſus: nec priùs finis cædendi capiendíque factus, quàm Barbari, pacta ſalute, ſeſe victori dedidiſſent. ſic Alamanniam, vnáque (vti Hincmarus & Rorico dicunt) Sueuiam cum incolis ab Chlodoueo tributariam eſſe factam Hiſtoriæ noſtræ Auctores tradunt. niſi quòd Fredegarius Scholaſticus ſcribit Chlodoueum ad bellum proficiſcentem hortante vxore ſupradictum votum nuncupauiſſe, atque Alamannos, poſt eam cladem acceptam extorres annos IX multis locis vagatos, cùm nihil à quoquam auxiliorum contra Francorum Regem

gem impetrauissent, deditionem non sponte fecisse. Sed malo equidem Magno Felici Ennodio Chlodouei æquali accedere, qui in Panegyrico Regi Theoderico dicto ait Alamannis omnibus intra fines Italiæ sine damno prouincialium receptis accidisse, vt postquam Regem suum amiserant, alienum nanciscerentur, & ex vexatoribus prouinciarum Imperij Romani defensores fierent atque custodes: eisque feliciter cessisse fugam ex patria sua, pro agro aspero, palustri, atque siluestri solum ferax, & aratri patiens consecutis: ob idque Theodericum Alamannicum appellandum esse dicit. Ex quo intelligitur Alamannos complures, non tamen omnes, siue Chlodouei victoris arma irámque metuentes, siue imperium Francorum auersantes, relictis sedibus suis ad Theodericum Regem in Italiam perfugisse, & in extremis Regni terminis, hoc est, vt puto, in Rætiis, quæ prouinciæ Italiæ proximæ Alamannorum finibus erant, ab eo esse collocatos, vt eas regiones ab incursionibus tuerentur, & data facultate, vel oblata occasione in sedes suas maturè ac facilè reuerti possent. Quare apud Cassiodorum Senatorem in epistola vltima libri II Theodericus Ostrogothorum Rex per legatos Chlodoueo Regi gratulatur, quòd *gentem Francorum, priscâ* (sicuti falsò ait) *ætate residem, feliciter in noua prœlia concitauerit*, & Alamannos virtute victos domuerit. petítque vt quoniam auctores perfidiæ ceciderint, imperet animo, ignoscat fessis reliquiis, quæ ad se confugerint, Italiæque in finibus lateant exterritæ: quippe euadere mereri, qui affinem eius defensorem elegerint. Iam Regem Alamannorum cum popularium superbia cecidisse: iam innumerabilem gentem partim interfectam, partim captam esse: Alamannóque acerrimo bellatori tantum terrorem iniectum, vt victorem suppliciter vitam precari cogatur. quem triumphum amplissimum, ac dignissimum memoriâ sufficere Chlodoueo debere, ne, si cum reliquis confligat, nondum vniuersos superâsse videatur. ita sibi gratissimum facturum, *nec de ea parte, qua ad se pertineat, solicitum futurum*. Præterea eadem in episto-

la Theodericus Chlodoueum monet, vt parcat saluti suæ, atque in acie cautior sit, & aduersus victos moderatior ac mitior, & citharœdum, à Seuerino Boëthio Patricio, cùm musicæ tum omnium bonarum artium peritissimo, optimum electum, qualem petierat, inter epulas neruorum vocísque consono cantu placiturum ei mittere se pro acroamate dicit. Deprecatio tamen Theoderici pro Alamannis irrita fuit, nec vllam deditionis conditionem accipere Chlodoueus voluit. quamobrem Alamanni non omnes quidem, (vti cum Agathia persuadere nobis conatur Ennodius) sed *ea pars,* quam suprà Theodericus ait *ad se pertinere*, annis XL in Italia sub Theoderici, Athalarici, & Theodahadi Ostrogothorum Regum imperio ac tutela fuere. reliqui, qui apud Tolbiacum se Chlodoueo dediderant, quíque domi remanserant, gentis pars maior, ex eo tempore Francorum Regibus paruere. Falsum vt sit, quod in Historiæ libro I tradit Agathias Scholasticus, Mauricij Tiberij Aug. æqualis, Alamannos ab Theoderico post occupatum Italiæ Regnum subactos & stipendiarios esse factos, atque eo mortuo Ostrogothos, Iustiniani A. bello pressos, gente & agro Alamannorum in Theodeberti Francorum Regis gratiam cessisse. quasi verò Theodericus omnem Alamanniam cum habitatoribus domuerit: quorum pars tantùm post prœlium apud Tolbiacum relictis suis sedibus ad eum sponte perfugit, & XL pòst anno à Vitige Ostrogothorum Rege Theodeberto Chlodouei nepoti tradita postliminio domum rediit, Francorum Austrasiorum Principibus vnà cum reliquis popularibus paritura. Addit Agathias Alamannos, tametsi Francorum imperio subiectos, habere tamen leges suas, Deósque patrios seruare, nimirum lucos, fluuios, colles, quibus equos & alia animalia, capita abscindendo, immolare soleant: sed Francorum consuetudine mollitis paullatim animis & ritibus Barbarorum prudentissimum quemque commutatum ad meliora conuerti, breui vt ea gens omnem barbariem depositura videatur. Ceterùm Tolbiacum, pugnæ locus, quod ab Colonia Agrippina XVI leugas abest, apud

quod castrum anno C X X post Consulatum Paulli Theodobertus Chlodouei abnepos à Theodorico fratre atroci prœlio fusus est; indicat Alamannos priùs Sigiberto Regi, quàm Chlodoueo bellum inferre voluisse. quippe cùm nec supra Vindonissam, nec multùm infra Mogontiacum flumen Renum transire Galliæ depopulandæ causâ consueuissent: si Chlodoueum præ omnibus vnum aggredi statuerant; non Germaniam inferiorem, in qua Sigibertus Rex dominabatur, petere; sed per Argentoratum aduersum finibus suis, pérque Diuodurum Mediomatricorum ac Verodunum, Chlodouei Regnum ingredi debuerunt.

Fusis fugatísque circa Tolbiacum, vt supradictum est, Alamannis, Chlodoueus Francorum Rex Renum transiit, & cum victore exercitu ingressus Alamanniam ac Sueuiam, exceptis qui in Italiam perfugerant, gentes regionésque eas à Mæno fluuio ad Alpes Ræticas vsque promissas perdomuit: atque domum reuertens Vedastum Presbyterum, popularem suum, virum sanctissimum, quem postea Remigius, sibi à Rege commendatum, Atrebaticæ Ecclesiæ Episcopum constituit, ex opido Leucorum Tullo deduxit, ab eóque rectam fidem & religionem in itinere edoctus, & cæci mirabili curatione in proposito confirmatus est. Chrothildis Regina, quam Sigebertus Rothildem, aliqui Chrodildem, & Chrodchildem appellant, apud Remos viro læta occurrit: victos hostes gratulatur: ordinem rei gestæ cognoscit: confestímque dum propositum calebat, ne dilatio obliuionem, aut consilij mutationem afferret, Remigium clàm accersitum orat, vt Regem ad votum soluendum, & ad Baptismum hortaretur. Erat Remigius Remorum Episcopus, Principij Suessionici Episcopi frater, sanctitate præcellens, & liberalibus studiis imbutus, atque, vt illa ferebant tempora, declamandi peritus, quem Fredegarius, alíique malè Remedium vocant. is Chlodoueum secretò ad se vocatum monere cœpit, vt vnum & summum Deum mundi conditorem, cuius beneficio insperatam ex hostibus palmam tulisset, crederet ac confiteretur: néve bestias

hominibus ab auctore suo subiectas, & aues rationis expertes diuinis honoribus coleret, neu' arboribus sensu carentibus sacrificia facere nihil profutura, & aquas surdam naturæ partem inuocare perseueraret. Probabat Rex Remigij salubre consilium, nec recusabat votò se exsoluere, sed Francis patrij moris tenacibus materiam seditionis præbere metuebat. Commodissimum visum est apud exercitum orationem habere. Igitur aduocata concione hortatur singulos ac vniuersos, vt euersis idolis, quæ nec sibi, nec cuiquam alij prodesse possent, Dominum ac Deum, cuius expertæ virtuti victoriam belli Alamannici deberent, Christum venerarentur, *& nondum initiatus sacris, fit suæ gentis Apostolus.* Chlodouei orationem interrupit Francorum consensus vna voce testatus, succlamatúmque est ab omnibus, se eum, cuius Sacerdos esset Remigius, Deum colere paratos esse. Lætus tam admirabili assensione Remigius, vbi Chlodoueus, ceteríque Catechumeni quæ ad sacra pertinebant fecere, Ecclesiam velis aulæísve pictis, ac cortinis ornari; Baptisterium parari; spargi vnguenta; cereos accendi iubet: ac primum omnium Chlodoueum, petentem vt baptizaretur, atque in lauacrum descendentem his verbis hortatur: *mitis depone colla Sicamber: adora, quod incendisti; incende, quod adorasti.* tum Rex fidem interrogatus ab Remigio, & Deum vnum trinúmque confessus, ter in aquam demittitur, vngitur, signatúrque. Hincmarus de vita Remigij, Aimoinus eius æqualis in Historiæ libro I, & Frodoardus Remensis Ecclesiæ Presbyter rem admirabilem, & Gregorio, Fredegario, aliísque veteribus nostris Historicis ignotam narrant: nimirum cùm ferenti Chrisma Clerico omnes ad Baptisterium aditus turba intercluderet, columbam niue candidiorem aduolauisse, ampullam rostro ferentem, eámque in Remigij aquam consecrantis manibus deposuisse, ac statim non comparuisse, ita Chlodoueum perunctum esse. Addit Hincmarus Remorum Episcopus (vt in actis Synodi Mettis habitæ, cui ipse præsedit, & in Appendice Aimoini inuenio) sacrum hoc & cælo missum

Chriſma religioſè ſeruari, necdum ſua ætate poſt annos ampliùs CCCLXX defeciſſe, eóque Chlodoueum vnctum, & Regem conſecratum eſſe XV. regni anno. in quo Hincmarum ſua tempora, ſuíque decepere mores, exiſtimantem iiſdem cærimoniis Merouingos regnum iniiſſe, quibus poſteri Caroli Maioris domus inierint: cùm Pippinus primus omnium Franciæ Regum, imitatus Iudæos, ac poſteriores Veſigothorum Reges, vt ſe ſacra vnctione venerabiliorem auguſtiorémque faceret, ſemel atque iterum vngi voluerit. ante ætatem verò Hincmari ſolus Ludouicus Pius; ab eo ad Hugonem Francorum Reges non ampliùs tres, nimirum Carolus Ludouici Pij pronepos, Rotbertus frater Odonis, & Lotharius Durocortori Remorum Reges vncti ſunt ac conſecrati. mirum vt non ſit Chriſma de cælo delapſum, quod non in vllos vſus, ſed in memoriam miraculi ſeruaretur, tamdiu ſuperfuiſſe, ac poſt tot annos minimè conſumtum oſtentari potuiſſe. Baptizato Chlodoueo, è ſororibus Regis Alboflediſ Baptiſmum accepit: Lanthildis, vel Landechildis, Chriſtiana quidem dudum ſed Arianarum partium, poſt eiuratam hæreſim ſancto Chriſmate delibuta eſt, quam tamen aliqui vnà cum ſorore tinctam affirmant. Francorum quoque ſub Chlodoueo militantium millia ampliùs III, non (vti ait Fredegarius) VI Baptiſma inierunt, qui albati cum albato Duce triumphalis exercitus ſpeciem præbuerunt. Lanthildem autem falsò Rorico pro Audefleda Theoderico Oſtrogothorum Regi nuptum datam ait. at Albofledem (quod & fortaſſe de Lanthilde dicendum eſt, neutram enim nupſiſſe reperio) conſecratam Deo virginem deceſſiſſe Remigij ipſius ad Chlodoueum epiſtola oſtendit, in qua Albochledem eam appellat, & *benedictionem virginitatis accepiſſe* ſcribit, atque *ſacratam lugeri* negat oportere. Equidem miror nec Gregorium, qui hanc epiſtolam legerat, nec ceteros noſtros Hiſtoricos id animaduertiſſe, exiſtimóque Albofledem non ab alio quàm Remigio vt baptizatam, ſic conſecratam fuiſſe. In Chronico Roberti Monachi Autiſſiodurenſis in-

uenio Theudechildem, Chlodouei filiam, Theuchildem Reginam ab Odoranno dictam, deuota virginitate & pietate venerabilem, apud Agendicum vel Agedincum Senonum Monasterium, quod S. Petri Viui appellatur, magnificè exstruxisse, Apostolis consecrauisse, ac prædiis locupletauisse, vbi & sepulta sit.

Et Chlodoueus quidem, ita vti suprà diximus, ablutus est: qua autem in vrbe, quóque tempore ablutus sit, inter Auctores non constat. Gregorius, quantum in ipso erat, id scire nos noluit: nam nec loci, nec diei mentionem vllam fecit. Fredegarius verò, qui Pippino regnante floruit, Aimoinus, Hincmarus in libro de vita Remigij, & in duabus epistolis, ac Frodoardus Presbyter in Historiarum Ecclesiæ Remensis libro primo, Chlodoueum in Basilica sanctæ Mariæ Durocortori Remorum in peruigilio Paschæ baptizatum esse
CCCC-XCVII. tradunt, eo nimirum anno, qui victoriam belli Alamannici secutus est. similiter Ludouicus Pius apud Frodoardum in Historiæ libro II in Remensi Ecclesia beatæ Mariæ & Chlodoueum ablutum, & se, qui ab eo genus noménque deduceret, manu Stephani Romani Episcopi Imperatorem consecratum, vnctum, ac coronatum dicit. Contrà Nicetius Treuirorum Episcopus in epistola, quâ Chlodosoindam Chlodouei ex Chlothario filio neptem etiam atque etiam hortatur, vt Alboinum Langobardorum Regem virum suum è secta Arij ad Catholicam fidem adducat, Chlodoueum in Ecclesia Martini Baptisma consecutum esse ostendit his verbis. *Audisti ab auia tua Domina bonæ memoriæ Rodhilde, qualiter in Franciam venerit, quomodo Dominum Chlodoueum ad legem Catholicam adduxerit. & cùm is esset homo astutissimus, noluit acquiescere, antequam vera agnosceret. Cùm ista, quæ supradixi, probata cognouit, humilis ad Domini Martini limina cecidit, & baptizari se sine mora permisit.* Ecclesiámne apud Turonos Martini Apostolici viri sepulcro illustrem, *Martini limina* appellet Nicetius; (vt Fredegarius in Chronici capite LIV) an aliquam aliam Basilicam eius nomine nobilitatam, ambigi potest. Equidem vix cre-

diderim Nicetium, hominem tantæ prudentiæ ac dignitatis, qui Chlodoueum videre puer potuit, & vbi baptizatus fuisset scire non solùm debuit, sed etiam videri voluit; cùm Chlodósuindæ scriberet, in re tam ei quàm Francis Gallísque notissima errauisse, & pro beatæ Mariæ Basilica, Martini Basilicam, siue pro Durocortoro Remorum Cæsarodunum Turonum posuisse, quam vrbem constat tum Alarico Vesigothorum Regi paruisse. Certè actis Synodi permissu Alarici apud Agatham Messalla Consule habitæ Leo Diaconus missus à Domino Vero Episcopo Turonicæ Ecclesiæ subscripsit. ıↄvı.
auctórque est Gregorius Volusianum, & Verum hunc, alterum post alterum Turonicos Episcopos, propterea quòd prodendæ Francis vrbis consilia iniisse credebantur, à Vesigothis in exsilium actos esse. neque verisimile mihi videtur, etiamsi cetera gratis concessero, Remigio, prouinciæ Belgicæ secundæ Metropolitano Episcopo, (à quo omnes Historici Chlodoueum ablutum dicunt) viro, qui in epistola quadam Fulconi Episcopo tantopere ob Canones non seruatos irascitur, vllo modo persuaderi potuisse, vt neglectis Patrum regulis in Metropoli prouinciæ Lugdunensis tertiæ, præsente ac spectante vrbis Episcopo, Chlodoueum baptizaret: aut Chlodoueum, victis ac domitis Alamannis, à ripa Reni ad flumen Ligerim contendisse, vt tam longè ab Augusta Suessionum, quam interfecto Syagrio regiam delegerat, in extremis Regni terminis, ac velut sub oculis Vesigothorum intingueretur. Malo igitur cum Frodoardo Hincmarum Remorum Episcopum, ampliùs CCCLXX annis distinctum à Chlodouei ætate, quàm Nicetium ei supparem erroris arguere. nec dubito, quin *limina Martini* vocauerit Nicetius Ecclesiam S. Martini apud Remos ad portam Collaticiam, vel Basilicarem, cuius mentio fit in Remigij testamento. vbi ablui voluisse Chlodoueum non mirabitur, qui Martini nomen ob signa atque virtutes summæ Gallis & Francis venerationi fuisse, votáque ei ab ipso Chlodoueo ante Vogladense prœlium nuncupata intelliget, & Rotbertum fratrem Odonis, ac Lotharium, qui Durocortori

Remorum regnum inierunt, non in primaria vrbis Ecclesia, sed in Basilica Beati Remigij Reges ab Episcopis Remensibus consecratos esse animaduertet. Nec plura de loco, vbi ablutus est Chlodoueus, dicenda occurrunt.

De tempore non magis conuenit. Fredegarius, Hincmarus, ac Frodoardus (vti suprà diximus) in peruigilio Paschæ XVI regni Chlodouei anno hoc actum esse scribunt. è quibus Fredegarius, vt sententiam suam confirmet, addit Chlodoueum, cùm Remigius *in Albis* Euangelij lectionem de Domini nostri Iesu Christi suppliciis ei exponeret, dixisse, si tum vixisset, atque Francis comitatus Hierosolymis fuisset, Christi se iniuriam vindicaturum fuisse. Deceptos credo Hincmarum ac Frodoardum verbis & auctoritate Fredegarij; Fredegarium autem, opinionis eius auctorem, veteri more institutóque Ecclesiæ, quæ non aliis diebus quàm Paschæ ac Pentecostes Catechumenis valentibus Baptismum conferri permisit. quippe Nicetius Augustæ Treuirorum Episcopus, in antedicta epistola ad Dominam Chlodosoindam Reginam, Chlodoueum *sine mora baptizatum* ait, vt appareat, post victos acie hostes subactámque Alamanniam, simul ac domum rediit, circa initium hiemis finémque anni Baptismum ei collatum instante Chrothilde, non in Pascha dilatum fuisse. Sed omnem dubitationem eximit, errorémque dissoluit Alcimus Ecdicius Auitus, Viennensis Episcopus, vir ingenio ac virtute eminens, & pro captu illorum temporum in prosa oratione carminibúsque perfectus, atque (vt in epistola ad Faustum & Symmachum Senatores Vrbis & Consulares ipse se appellat) Senator Romanus. Hic igitur Auitus in epistola, quâ Chlodoueo Regi de accepto Baptismo gratulatur, VIII Kalendas Ianuarias, quum Christi natalis nocturna peruigilatione celebrabatur, præsentibus multis Episcopis tinctum eum indicat his verbis, quæ si legissent Fredegarius & Hincmarus, in errorem non incidissent. *Gaudeat quidem Græcia habere se Principem legis nostræ, sed non iam quia tanti muneris dono sola mereatur illustrari: quòd non desit &* *reli-*

reliquo Orbi claritas sua. Siquidem & Occiduis partibus in Rege non nouo noui iubaris lumen effulgurat, cuius splendorem congruè Redemtoris nostri natiuitas inchoauit: vt eo die ad salutem regenerari ex vnda vos pareat, quo natum redemtioni suæ cæli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber est natalis Domini, sit & vestri, quo vos scilicet Christo; quo Christus ortus est mundo. Comparat Auitus hoc loco Chlodoueum Francorum Regem cum Anastasio Augusto, quem *Principem Græciæ* appellat, & *legis nostræ,* hoc est Catholicarum partium esse ait. tamquam vt Chlodoueus post Baptismum acceptum in Occidentis tractibus; sic tum in Orientis Imperio Anastasius Princeps Catholicus fuerit: quem Dioscorianorum vel Eutychianorum hæresim secutum esse, & quinque Patriarchas sibi aduersantes, ac de duabus Christi naturis rectè sentientes in exsilium misisse constat. Chlodoueum autem existimo vnum ex omnibus ætatis suæ Regibus Catholicum & orthodoxum fuisse. quippe eo tum statu res Christiana erat, vt hæresi vbique dominante Imperium Orientis Princeps Eutychianus obtineret: & Reges Barbarorum, qui in prouinciis Occidentis consederant, nimirum Sueuorum in Callæcia; Burgundionum, & Vesigothorum in Gallia; Vandalorum in Africa; Ostrogothorum in Italia; Langobardorum ~~in Pannonia secunda~~; Gipedum quoque in Dacia Transdanubiana, Arij sectam sequerentur: ceteræ gentes tenaces patrij moris idola venerarentur. Causa autem, quare omnes ferè Barbari Ariani essent, hæc erat, quòd (vt scribit Prosper in Chronico) Ariani ab Imperatoribus Arcadio & Honorio Orbe Romano expulsi ad Barbaros, in primis ad Vesigothos sese contulerant, ac plerosque eorum ex idololatria, nonnullos etiam è Catholica religione ad suam hæresim perduxerant. Quamquam Iordanes in libro de Origine Gothorum, & Nicephorus Callistus in Historiæ Ecclesiasticæ libro XI tradunt Vesigothos Fridigerno Regi parentes, auctore Vlfilà Episcopo populari suo principatu Valentis Aug. factos Arianos, Ostrogothis, & Gipedibus consanguineis suis, ac ceteris omnibus linguæ suæ nationibus Barbaris Istri

accolis, nimirum Taifalis, Vandalis,Erulis,aliíſque hanc perfidiam inſeuiſſe. à diuerticulo ad ordinem reuertor. Eadem in epiſtola Auitus Chlodoueum laudat, quòd cùm eum varij hæretici ad ſuas quiſque partes trahere conarentur, Catholicam Fidem profeſſus ſit: & veritatis ac rectæ de Deo ſententiæ *quidam arbiter* datus, dum *ſibi eligit, omnibus iudicauerit:* nec vt plerique noxio pudore, & inutili maiorum reuerentia moti facere conſueuerant; Chriſtianorum Sacerdotum monitis & cohortationibus religionem popularium & ritus patrij vetuſtatem oppoſuerit: vt qui priſcæ originis ſtemmate, ac nobilitate illuſtris proauos Reges bonorum auctores habebat, poſteris ſuis auctor eſſet ipſe meliorum. Adiicit ab Chlodoueo, quem *timendum gentibus, Regum florentiſſimum, ac feliciſſimum, ac patrem omnium* appellat; captiuos vinculis liberatos, atque dimiſſos: & per nuntium Viennam miſſum de Baptiſmo ſuſcipiendo initi conſilij ſe certiorem factum: neque opus eſſe *Fidem perfecto prædicare, quam ante perfectionem ſine prædicatione viderit:* tum nimirum cùm Chlodoueus inuocato Chriſto Alamannos acie vicit, ac (ſicuti ſuprà dicit Nicetius) quæ de religione Chriſtiana ab Chrothilde vxore audierat, *vera agnouit,* præſente Dei auxilio comprobata. Præterea ſe impetraſſe Auitus ſcribit à Domino Gundobado, *ſuæ quidem gentis Rège, ſed Chlodouei* (vti ait) *milite,* eíque ſeruire in omnibus parato, vt viri Illuſtris Laurentij cuiuſdam filium ad eum, quemadmodum petierat, mitteret. vnum orat Chlodoueum, vt quoniam gens vniuerſa Francorum per eum breui Chriſtiana futura ſit, *vlteriores gentes,* quas vnius ac ſummi Dei ignaras nondum vllæ hæreſes aut praua dogmata corruperunt, nimirum interiores Germanorum nationes, quæ ſub imperio Francorum non erant, dimiſſis quoquouersùs legationibus ad religionem Chriſtianam inuitet. Et id quidem forſitan Chlodoueus fecit. certè imitatus Conſtantinum Maximum, Francos ſaltem ditionis ſuæ (vti ait Sigebertus) cùm exemplo ſuo; tum etiã edicto ad Fidem Chriſtianam partim inuitauit, partim perduxit. vt non ſine cauſa à Remigio in II epiſto-

lis *non ſolùm prædicator Fidei Catholicæ, ſed defenſor, meritis illuſtris* appelletur.

Exemplum Chlodouei Regis intra pauciſſimos annos Francorum pars maior & melior imitata eſt. eodem plerique conſilio Preſbyteros adire, ad Epiſcopos conuenire, his magiſtris quæ credenda erant edoceri, & Chriſtianam religionem profiteri, colere, amplificare cœperunt. eámque poſtea non modò integram à contagione accolarum ſeruârunt, verùm etiam Alamannis, Baioariis, Toringis, Saxonibus, Friſiis, aliiſque gentibus idololatris domitis inſeuerunt. tantum denique ſacrarum Virginum, ſanctorum Monachorum, Abbatum, Preſbyterorum, Epiſcoporum tulerunt: tot experimentis pietatem ſuam teſtatam fecerunt, magis vt Fidem Chriſti Gallos edocuiſſe, quàm à Gallis didiciſſe videri poſſent. Quamobrem Iuſtinianus Aug. apud Procopium in libro I belli Gothici & Agathias dicunt omnes Francos rectiſſimam atque eamdem, quam Romanos, de Deo opinionem habere, eoſdem feſtos dies anniuerſarios agere, & hæreſin atque perfidiam Arianorum damnare. & Pelagius Epiſcopus vrbis Romæ in epiſtola ad Auxanium Arelatenſium Epiſcopum ait Francorum Reges cum Romanis in rectæ Fidei confeſſione conſentire. ſimiliter Gregorius cognomine Magnus, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, in litteris cùm ad Childebertum Regem Francorum, tum ad eius filios ſcriptis, affirmat, quanto Reges ceteris hominibus præſtent, tanto eorum Regnum Fidei ſinceritate, & integritate Chriſtianæ religionis omnibus omnium gentium regnis antecellere. Ex quo intelligitur Reges noſtros, qui Chlodouei inſequentiúmque Principum vt virtutis ita & pietatis heredes, & Catholicæ diſciplinæ ſemper tenaces fuerunt, iure meritóque Chriſtianiſſimos appellari.

Ceterùm poſtquam Chlodoueus Baptiſmum iniit, Galli, qui ſub Francorum imperio erant, multo placidiores & obſequentiores facti ſunt: & qui non erant, eos habere dominos plerique ſummopere cupiuere. licèt enim antea Galli, qui Veſigothis, & Burgundio-

nibus Arianis parebant, partim amore, partim metu impulsi, in Francos studiis inclinauerint: & beatus Aprunculus Lingonicæ Ecclesiæ Episcopus propterea Burgundionibus suspectus, & clàm occidi iussus sit, atque noctu de muro castri Diuionensis demissus Aruernos petierit, in locum C. Apollinaris Sidonij tùm fortè defuncti subrogandus: tamen post acceptum à Chlodoueo Baptismum multo alacriùs & pronioribus animis cùm alij, tum Episcopi, homines magnæ sanctitatis auctoritatísque, pro se quisque odio hæreseos Arianæ, & amore Fidei Catholicæ res ad Francos traxere: quippe (vt Gregorius scribit) Volusianus, stirpis Senatoriæ, Turonicæ Ecclesiæ Episcopus, & Verus eius successor, cùm Vesigothis suspecti essent fauere Chlodoueo, ac defectionem attentare, alter post alterum iussu Alarici Regis in exsilium acti sunt. & Quintianus Rutenorum Episcopus, ante prœlium Vogladense ab opidanis apud Gothos ibi habitantes accusatus initi de tradenda Francis vrbe consilij, cùm cognouisset se in periculo mortis esse, noctu profugit, & ad Euphrasium Aruernicæ Ecclesiæ Antistitem, Aprunculi Diuionensis successorem, Augustonemetum se contulit, eiúsque & liberalitate viui sustentatus, & mortui in locum anno V post Chlodouei obitum suffectus est. Postremò Aquitani, post victum cæsúmque à Chlodoueo Alaricum, quàm libenter Arianum Regem Catholico mutarent, promta omnes ac celeri deditione ostendere. Quamquam de Vero, ac maximè de Quintiano an Gregorio credi oporteat nescio. siquidem Leonem Diaconum, missum à Vero Episcopo Turonicæ Ecclesiæ, de-
IↃVI. cretis Sacerdotum, qui Messalla V. C. Consule XXII regni Alarici anno Agathæ conuenerunt, subscripsisse inuenio. ex quo cognoscitur Verum, si sede sua verè expulsús fuit, circa finem eiusdem anni aut initium insequentis, quo Alaricus interfectus est, pulsum fuisse. Quintianum autem Rutenorum Episcopum constat Synodo huic apud Agatham habitæ interfuisse, eúmque, ac similiter Euphrasium Aruernorum Episcopum
IↃXI. Felice V. C. Consule, ante paucos menses quàm Chlo-

doueus decederet, acta Concilij Aurelianensis manu suâ confirmauisse. Præterea cùm tam Aruerni, quàm Ruteni sub imperio ac ditione Vesigothorum fuerint, quoad vixit Alaricus minor: apparet Quintianum, ob supradictam rem pulsum ac profugum, viuo Alarico mortis effugiendæ causâ Aruernos petiturum, & ab Euphrasio Episcopo accipiendum, agrísque ac vineis donandum non fuisse. Denique Aprunculum quidem Burgundionibus; Volusianum, ac Verum Vesigothis suspectos facere potuit propinquitas Francorum, quæ & horum commercium proditionis adiuuaret, & illis ad occupanda retinendáque opida plurimum conferret. nam Andematunnum Lingonum non ampliùs passuum XLIII millibus aberat à Tullo Leucorum, ab Augustobona Tricassium aliquanto minùs, quæ vrbes ambæ parebant Chlodoueo. & flumen Liger, cuius ad vlteriorem ripam positum est Cæsarodunum Turonum, fines Vesigothorum à Francis diuidebat. At Ruteni, vltima Aquitaniæ gens, & prouinciæ Narbonensi contermina, regnante Alarico variis ditionis eius nationibus vndique claudebantur. minimè vt verisimile sit Quintianum tum prodendi Francis opidi Rutenorum Segoduni consilium iniisse, quò ne præsidium quidem mittere inuitatus Chlodoueus potuisset. eò enim per Bituriges, & Aruernos, gentes infestas, hoc est, per omnem ferè, quàm lata est, Aquitaniam Alarico parentem tendere oportebat. Quare existimo Quintianum Rutenorum Episcopum, si è sede sua vmquam expulsus est, post non solùm Alarici sed etiam Chlodouei mortem expulsum esse, ídque ita accidisse. Vesigothos, cùm, vti ait Gregorius, mortuo Chlodoueo multa ex his, quæ Vogladensi prœlio amiserant, armis recepissent, Segodunum opidum Rutenorum præ ceteris occupauisse, atque aliquot annis tenuisse, eiúsque Episcopum Quintianum, tamquam Francis faueret: suspectum habuisse, & interimere voluisse: qui vnà cum fidissimis seruis fugâ salutem, Aruernósque petierit, ibíque iussu Theodorici Francorum Regis, anno v post Chlodouei Magni obitum Euphrasio vrbis Sacerdoti successor sit datus.

Hincmarus in libro de vita Remigij scribit Chlodoueum, Procerésque Francorum post acceptum Baptismum omnibus Ecclesiis Regni ablata restituisse, ac prætereа plurimas possessiones per varias prouincias Remigio piè contulisse, quarum is partem, nimirum Luliacum, castrum Codiciacum, & Bernam villam, Remensis Ecclesiæ prædiis adiunxerit; partem, non modicam castro, quod Laudunum Clauatum appellant, vel Basilicæ sanctæ Mariæ ibi positæ attribuerit, eíque loco Genebaudum, nobilissimum hominem atque doctissimum, Episcopum præposuerit. Eulogium quoque virum potentissimum, clarissimúmque, vt ex nomine intelligitur, natione Gallum, cùm maiestatis reus in Ecclesiam beatæ Mariæ confugisset, vsúsque deprecatore Remigio vitam, veniámque, ac rerum suarum dominium à Chlodoueo impetrauisset, Sparnacum villam suam eidem dono dare voluisse, recusantíque in vsum Ecclesiæ Remensis argenti librarum quinque millibus vendidisse. Præterea Hormisdam vrbis Romæ Episcopum, post prœlium Vogladense, cæsúmque Alaricum, Remigio Remorum Episcopo vices suas per Regnum Chlodouei commisisse tradit Hincmarus, eóque sedem Apostolicam obtinente Chlodoueum hortatu Remigij legatos Romam misisse, qui coronam ex auro & gemmis, donum eximium, in Basilica Petri pònendam, Principíque Apostolorum dicandam & consecrandam curarent. exemplum quoque litterarum Hormisdæ ad Remigium subscribit, quas non minùs falsas atque confictas, quàm Remigij testamentum subiectum arbitror. quippe anno IV post Chlodouei obitum, nimirum Flo-
Dxv. rentio & Anthemio Coss. (sicuti ait Marcellinus in Chronico) Hormisda in locum Symmachi Romanæ Ecclesiæ Episcopus est subrogatus.

Auctor Appendicis Chronico Victoris adiunctæ pro-
cccc. xcvii. dit Anastasio Aug. II Consule *Gothos*, hoc est Vesigothos, *intra Hispanias sedes accepisse*. quod cùm falsum sit, (nam Barcinonensis regio iam inde ab Ataulfo sub ditione Vesigothorum fuit, & Theodoricus posterior, ac Euricus frater eius multas Hispaniæ clarissimas vr-

bes armis occupauerant) non dubito, quin hic error non Auctori, sed vitio exemplarium ac duabus litterulis debeat imputari, & quin Vesigothi nequaquam intra Hispaniam *sedes accepisse*, verùm *cædes occœpisse* dicendi sint. Certè hoc Auctoris ipsius verba indicant. addit enim Burdimelum, qui ante annum ab Alarico desciuerat, & in Hispania regnum inuaserat, à suis traditum, Tolosam perductum, ibi tauro æneo impositum, ac flammâ subiectâ viuum crematum esse: & Messalla V. C. Consule Dertosæ à Vesigothis opido po- IↃVI.
titis alium quemdam Tyrannum interemtum, capútque eius Cæsaraugustam allatum dicit. quæ Tyrannorum Hispaniensium cædes sine multorum cædibus, qui aut participes coniurationum fuerant, aut fuisse putabantur, fieri non potuere.

Eodem anno Verodunenses à Chlodoueo defecere, CCCC-XCVII.
móxque obsessi vbi arietibus murum quati, & aggerem exstructum proferri viderunt, pro Firmino Episcopo, qui paucis antè diebus decesserat, ciuem suum Auspicium vrbis Archipresbyterum, virum sanctissimum, ad Regem misere oratum, vt sibi ignosceret, veniáque impetratâ portas aperuere, & Chlodoueum cum suis copiis opido recepere. Hoc accidisse Anastasij secundo Consulatu vt credam facit Aimoinus Monachus, qui narrationi belli Alamannici, & Baptismi Chlodoueo Regi Francísque collati continuò defectionem Verodunensium deditionémque subtexit. Quamquam Auctor non vetus libri de vita Maximini Verodunenses ab Chlodoueo desciuisse inter ipsa *regni eius auspicia* tradit. quem tamen nihilominùs secum pugnans honoris causâ præcedentibus Clericis vrbem intrâsse, & in Ecclesia Deo gratias egisse scribit. ex quo intelligitur Chlodoueum, tum cùm Verodunum recepit, Christianum fuisse: at is non initio principatus, sed quintodecimo regni sui anno, Consulatu Paulli factus est CCCC-XCVI.
Christianus.

Patricio & Hypatio Coss. Theodericus Ostrogothorum Rex, anno VII post interemtum Odoacrem, ac IↃ.
omnem Italiam perdomitam, vrbem Romam intrauit,

ibíque Odoinum, vel, vt alij dixere, Odoindum, Comitem ac popularem suum sibi insidiantem capite truncari iussit in Palatio Sessorio. cuius Sessorij Palatij, in IV Synodo Romæ iussu Theoderici huius habita, mentionem fieri video, & in Actis Xysti Romani Episcopi, in quibus *Heleniana Basilica*, vel *Hierusalem* Basilica Sessorij Palatij, alio nomine *Sessorianum atriũ* appellatur.

13. Eodem anno bellum Burgundicum initum ac finitum esse prodit in Chronico Marius Auenticensis Episcopus. Tum Burgundiones, qui & Burgundij, tenebant in Gallia Lugdunensem primam, Sequanos, partem maiorem prouinciæ Viennensis, Alpes Peninas, & Graias, atque Maritimas, & aliquot Narbonensis secundæ vrbes, quæ pars Galliæ Burgundia ab gente cognominata est, & ita apud Senatorem in libri I epistola vltima vocatur. Horum Rex Gundiucus IV filios, Gundobadum, Godegisilum, Chilpericum, & Godomarum, superstites ac Regni sui successores reliquerat. è quibus Gundobadus Chilpericum, Chrothildis Reginæ patrem, & Godomarum interfecerat, Regnúmque totius Burgundiæ occupare conabatur. ipse Lugdunum Segusianorum Regiam delegerat: Godegisilus, quem Fredegarius Gundeghiselum, Freculfus Gundeissum, Hincmarus Godegislum appellat, Geneuam Allobrogum opidum sedem habebat. Breui apparuit inter malos fratres fidam pacem, ac diuturnam concordiam esse non posse. cùm enim alter alteri insidiaretur, bellum ciuile palàm exarsit. Godegisilus, opibus & gratiâ apud populares inferior, clàm per legatos annuum tributum Chlodoueo, quantum vellet imponere, se pensurum promisit, si eius operâ fratrem victum occidere, aut saltem Regno spoliare potuisset. Facilè à viro, qui in pace bellũ quærere solebat, accepta conditio est, & legati cum pollicitatione auxiliorum dimissi. Lætus igitur Chlodoueus spe prædæ, & occasione vindicandæ soceri cædis, maximas copias cogit, & vt erat constitutum, in Burgundiam contendit. At Gundobadus ignarus fraudis legatos ad Godegisilum fratrem suum mittit oratum, sibi vt ab Francis oppugnato celeriter opituletur: condonet inimi-

inimicitias patriæ periclitanti, & aduersus communem hostem in commune consulat: ne qui iuncti pares esse Chlodoueo possint, distracti opprimantur. Pollicetur auxilium Godegisilus, móxque cum omnibus copiis ex composito adiungitur Gundobado, simul ac pugnæ signum datum esset, ad Chlodoueum transiturus. tum ambo Chlodoueo armati occurrunt. Committitur prœlium apud Diuionem, quod erat castrum in finibus Lingonũ ad Oscaram flumen, ab Imperatore Aureliano non (vt Gregorius putat) exædificatum, sed nouis mœnibus cinctum. Vbi pugnari cœptum est, Godegisilus, quemadmodum conuenerat, cum exercitu ad Chlodoueum transit, & arma in fratrem vertit. quod posteaquam sensit Gundobadus, multis suorum amissis fugam capessiuit: nec munimentis Lugduni, ac ne Viennę quidem, aut Valentiæ satis confisus, Auenionis muris se inclusit, tanto (vti existimabat) ab hostibus tutior, quanto remotior futurus. eò frumentum comportari, pecus ex agris compelli iubet. Godegisilus autem, promissa Chlodoueo parte Regni sui, discessit, triumphánsque, tamquam iam totius Burgundiæ imperium obtineret, Viennam Allobrogum, inuitantibus opidanis ac popularibus, intrauit. Interea Chlodoueus auctis copiis suis Gundobadum quà fugerat sequi, ac interficere statuit: penetrat interiora Burgundiæ: superatóque flumine Rhodano castra ante Auenionem ponit, minimè plenam ab se latam victoriam, confectúmque ducens bellum, si Rex hostium euadere potuisset. Iam depopulatis agris, cæsis oliuetis, vineis excisis, vicis incensis, feruebat obsidio, & Gundobadus intra muros cum suis non modò de Regno, sed etiam de auxilio ac de salute desperabat. ægro animi, anxióque supradictus Aredius, amicorum eius facilè primus, consilij sui rationem aperit, & ex constituto ad Chlodoueum transfugit, affirmátque se victoriæ ipsius comitem, quàm socium Gundobadi pulsi ac obsessi esse maluisse. receptus inter familiares, vir in suadendo prudens, & in arcano sibi commisso celando fidelis, nec minùs iucundus & suauis, quàm callidus, breui in magno honore apud Regem fuit.

quem cùm diuturnæ obſidionis tædere animaduerteret, arrepto tempore veniam libertatis precatus monuit, vt irrita munitiſſimæ vrbis oppugnatione dimiſsâ, Gundobado tributum in annos ſingulos pendendum imponeret, ſuáque in eo negotio operâ vteretur. Placuit Chlodoueo conſilium, remiſſúmque confeſtim Auenionem Aredium ſubſecuti eius legati Gundobadum imperata facere paratum inuenere. itaque conditiones pacis quæ ferebantur acceptæ, & promiſſo annuo tributo, ab altero pecunia in annum; ab altero obſidio ſoluta eſt. Chlodoueus Burgundiæ ſpoliis onuſtus exercitum prædâ grauem domum reduxit.

Exſtinčto eum in modum externo, ciuile bellum de integro in Burgundia exarſit. Gundobadus enim, quem Fredegarius Gundebadum; Regino Cundibaldum appellat, poſt diſceſſum Francorum receptis viribus, opidum Allobrogum Viennam caput Regni ſui oppugnare inſtituit. id opidum Godegiſilus popularium aliquot, & Francorum auxiliariorum præſidio tenebat. qui cùm anguſta re frumentaria vteretur, multitudinem inopia preſſam opido excedere iuſſit. Eiectus præter ceteros Curator aquarum publicarum; indignabundus, ac fremens contemtum ſe, & tamquam vnum de inutili plebe expulſum, ſtatim Gundobadum adit: docet fruſtra tot operibus, tanto cum virorum fortium periculo Viennam oppugnari, cuius potiundæ compendiariam viam demonſtrare poſſit. probatóque Regi conſilio ſuo, dux ipſe armatis datus robuſtiſſimos expeditiſſimóſque militum Gundobadianorum per aquæductum ducit, & amoto ferreis vectibus magno lapide, quo ſpiraculum eius intramuranum clauſum erat, in vrbem intromittit. illi, vt imperatum erat, ſimulac ex aquæductu velut è cuniculo emerſerunt, bucinâ ſignum captæ vrbis dedere. Reſpicientibus, qui è muris propugnabant, & ſe à tergo circumuentos eſſe videntibus, Gundobadus occupatis portis cum copiis ſuis in vrbem irrupit, & defenſores perterritos ac in medio concluſos occidit. Godegiſilus in Eccleſiam Hæreticorum confugit, ibíque vnà cum Epiſcopo Ariano Arianus interficitur. at Fran-

ci, quos à Chlodoueo Godegiſilus acceperat, in turrim conceſſere, quos Gundobadus captos à militibus ſuis violari vetuit, Toloſámque perduci, (vt ait Gregorius) & Alarico Veſigothorum Regi tradi iuſſit. Quamquam Fredegarius Scholaſticus, & Aimoinus produnt Francos hoſce, V *millia* numero, vel, quod malim, II, ab Gundobadianis ad vnum omnes occiſos eſſe. Primores Viennenſium, quos Gregorius Senatores, Marius Seniores appellat, ac Burgundiones complures, qui Godegiſili partibus fauerant, multis exquiſitiſſimíſque ſuppliciis affecti ſunt, ac necati. Eum in modum Gundobadus intra finem anni, quo Patricius & Hypatius Conſules IↃ.
fuerunt, aduerſam, ac ſecundam fortunam expertus, primùm acie victus; deinde obſeſſus; paullo pòſt fratrem, à quo erat pulſus, obſedit: Regnóque ſuo tam citò & facilè recepto quàm amiſſo Regnum eius adiunxit: ac omnem Burgundiam occupauit, cædibus trium fratrum infamis. atque ſuis poſtea viribus confiſus promiſſum Chlodoueo tributum non pependit: móxque Burgundionibus leges mitiores inſtituit, ne Romanos, hoc eſt prouinciales Gallos iniuriis afficerent. Hæ ſunt leges, quas cùm Auieni Conſulatu promulgatas legamus, Auieno & Pompeio Coſſ. vel inſe- IↃI.
quenti anno, nimirum Flauio Auieno iuniore & Probo IↃII.
Coſſ. latas fuiſſe credere nos oportet, & quas Reges Francorum Burgundionibus domitis reliquerunt. Certè Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus, qui poſt CCC annos, quàm Burgundia ab Childeberto & Chlothario Chlodouei filiis in prouinciam redacta fuerat, floruit, Chriſtianiſſimum & piiſſimum Imperatorem Ludouicum ſemper Auguſtum epiſtola quadam hortatur & monet, vt (ſi fieri poſſit) Burgundiones, quos *ciues ſuos*, & *Gundebados* appellat, legibus Francorum vti iubeat, legem Gundebadi Regis Burgundionum hæretici, quam & Gundebadam vocari dicit, lites non iure & virorum bonorum teſtimoniis; ſed aut rei ipſius iureiurando, aut armis terminantem abrogando. Bello confecto Gundobadus, Chriſtum filium Dei, & Spiritum Sanctum æqualem Patri confeſſus, Auitum Viennenſem Epiſco-

pum orauit, vt clàm ipſum vngeret. Cui Auitus reſpondit non oportere Regem, qui nullum timere debeat, metu ſeditionis à publica profeſſione veritatis deterreri: meliúſque eſſe, vt multitudo Regis fidem ſequatur, quàm Rex multitudinis ſectam. illum caput eſſe gentis ſuæ, & quemadmodum cùm expeditionem facit, præire ſoleat copiis quò duxerit ſecuturis; ita exemplo ſuo ac veluti ductu populares ab errore abducere debere. At Gundobadus ob ſupradictam cauſam æqualitatem trium Perſonarum publicè confiteri noluit, nec in eiuranda hæreſi auſus eſt Chlodouei in patria ſuperſtitione damnanda animum imitari.

Et Marius quidem in Chronico, Gregorius Aruernus, Turonicæ Eccleſiæ Epiſcopus in Hiſtoriæ libro II, Fredegarius Scholaſticus in eius excerptis, Freculfus, ac Aimoinus Monachus, ita vt ſuprà retulimus, de bello Burgundico ſcripſere. at Auctor quidam Hiſtoriæ Francicæ, ætate Gregorio proximus, Hincmarus in libro de vita Remigij, & Rorico Monachus, nullâ perfidiæ Godegiſili mentione factâ, falsò dicunt Chlodoueum impulſum ab vxore ſua Gundobado & Godegiſilo iunctis bellum intuliſſe, ambóſque circa Diuionem acie fudiſſe. & aliò quidem Godegiſilum; Gundobadum verò Auenionem ſe contuliſſe, móxque obſeſſum, ſupradicto commento Aredij viri illuſtris Conſiliarij ſui, nimirum pacto penſionis annui tributi, quod ſeruaturus non erat, datíſque multis muneribus è Chlodouei manibus euaſiſſe, ac poſtea Regnum totius Burgundiæ, quoad vixit, feliciter adminiſtrauiſſe. quem Gundobadũ alij Gundobaldum; alij Gundobaudum; alij Gundebaldum; Hincmarus ac Sigebertus Gundebaudum appellant. Procopius, Cæſarienſis Palæſtinus, Rhetor in libro I belli Gothici diſſentit ab omnibus. quippe ſcribit Toringorum ac Veſigothorum Reges Herminafridum ac Alaricũ poſteriorem, cùm poſt Odoacris mortem vires Francorum iam auctas admodum timerent, eáque gens multitudini ac virtuti ſuæ confiſa finitimos omnes laceſſeret, ac apertè violaret, Theoderici Regis Oſtrogothorum affinitatem delegiſſe. ex eo Francos metu Theoderici in-

iuriis & vexationibus Toringorum ac Vesigothorum abstinuisse, bellúmque Burgundionibus intulisse. (quorum Regis filius tamen, nomine Sigismundus, Ostrogotham minorem natu filiam Theoderici in matrimonio habebat) Addit Procopius Francos postea, & Ostrogothos, quos semper Gothos appellat, hoc est Chlodoueum, & Theodericum Reges, belli Burgundionibus faciendi occupandæque Burgundiæ inîsse societatem: atque vtri forte pugnæ non affuissent, hos multari certâ pecuniâ, quam alteri operæ ac victoriæ præmium acciperent, ac nihilominùs dimidium agri ex hoste capti obtinere placuisse. Cùm diem ex die duceret Theodericus, longúmque esset eius exercitum exspectare; Francos cum magnis copiis Burgundiam ingressos esse, solósque per se aduersus Burgundiones pugnauisse: ac postquam æquo atque dubio Marte diu atque acriter dimicatum erat, & magna vtrimque cædes facta, tandem Burgundiones fusos terga vertisse, ac in extrema Burgundiæ ad Alpes versùs refugisse: quibus in partibus multa castella situ naturali & opere munita habebant. vtentibus victoriâ Francis, & reliquam omnem regionem occupantibus, celeriter aduenisse Ostrogothorum Duces cum copiis, quos lentè iter facere, atque si victos esse Burgundiones comperissent, festinare; sin autem contrà atque speraret vicisse cognouissent, non progredi vlteriùs Theodericus iusserat. Hos, accusatos grauiter & increpitos à sociis, longinquitati ac difficultatibus locorum moram suam imputauisse, pactámque pecuniam victoribus pœnæ nomine dedisse: ac mox, vti conuenerat, quidquid agri Burgundionibus ademtum erat, inter Francorum ac Ostrogothorum Reges ex æquo diuisum esse. quæ gesta esse, antequam Chlodoueus Alarico Vesigothorum Regi bellum inferret. Quibus verbis videtur indicare Procopius, ante prœlium Vogladense cædémque Alarici, duas à Francis in Burgundiones expeditiones fuisse susceptas, priorémque designare, cùm scribit Francos Burgundionibus bellum intulisse: de posteriore loqui, cùm ait eosdem postea vnà cum Ostrogothis belli Burgundici socie-

tatem iniisse, ac Burgundiam ingressos esse.

Et Procopius quidem, ita vt alius nemo, bellum Burgundicum exponit. Quominùs miror, quæ de Arboricis idem Auctor memoriæ tradidit: eos nimirum magnæ homines virtutis, Francis finitimos, & cum reliqua omni Gallia atque Hispania pridem Imperio Romano subiectos fuisse, tum verò veterem Reip. formam mutauisse. quos cùm Franci diuturno bello experti vincere non potuissent, petiere, sibi vt cum eis fœdus & connubia essent. (nam vtrique Christianam religionem profitebantur) in has leges pacem compositam, & societate ac affinitatibus ex duabus vnam gentem factam esse, talíque pacto magna Francos potentiæ incrementa quæsiuisse. At milites Romanos in vltimis Galliæ finibus custodiæ causâ constitutos, cùm numero impares nec resistere, nec in Italiam, vnde venerãt, reuerti possent, nec ad hostes Arianos transire vellent, se, & quam præsidiis tuebantur regionem in Arboricorum atque Francorum ditionem dedidisse: necdum apud eorum posteros leges patrias, disciplinam rei militaris, habitúmque Romanum sua ætate exoleuisse. Quos ego Arboricos, vel Arborychos ignoto nomine appellatos à Procopio, non alios quàm Armoricos esse indicaríque arbitror. Nam quod ait Procopius, Arboricos Francis confines, & Christianos fuisse, atque cum reliquis omnibus Gallis ac Hispanis diutissimè Romanis paruisse; id de Armoricis propriè vocatis dici posse, & verò oportere constat, qui oram prouinciæ Lugdunensis II ac III à Sequanæ exitu ad ostium Ligeris vsque promissam tenebant. quippe Armorici cum omni Gallia Christum coluere, ac Imperatoribus Rom. paruere: & Franci, dum trans Renum habitauere, tractum Neruicum & Armoricum vt proximum; sic piraticis latrociniis ac prædationibus sæpe infestum habuere. & postquam Belgicam, ac pleraque Lugdunensis Galliæ domuere, Aulercósque Cenomanos & Andecauos gentes Armoricis affines in deditionem accepere: iidem mihi videntur, ne quid inter Renum ac Ligerim hostile esset, ciuitatibus Armoricis bellum intulisse. Certè Gregorius in libro

primo de Gloria Martyrum ſcribit Chillonem quemdam à Chlodoueo Francorum Rege in Namnetes, quæ gens Armorica erat, cum exercitu miſſum eſſe, & poſt bimeſtrem eorum opidi oppugnationem ſubitâ ac occultâ formidine Francorum animis diuinitus incuſsâ obſidionem ſoluiſſe, baptizaríque voluiſſe. quod tamen opidum Namnetum poſtea, cum Venetorum, Redonum, Abrincatuorum, Conſtantinorum vrbibus, ac Rotomago, hoc eſt cum maiori parte tractus Armoricani, Chlodoueo paruiſſe indicant ſubſcriptiones Epiſcoporum, qui iuſſu eius in opido Aurelianorum conuenerunt. è quibus Veneti (vt Eginardus in Annalibus, & Aimoinus in libro IV tradunt) primùm à Britannis, metu Anglorum & amore libertatis ex patria profugis, tributarij facti ſunt: deinde ab Chlodoueo Rege domiti ſub Francorum ditione atque imperio per annos circiter XC fuerunt. donec anno XVII regni Guntchramni IↃLXXVIII. atque Chilperici à Waroco Britanno recepti ſunt. qui non multo pòſt cæſo cum ſuis copiis Beppoleno, fraude decepto Ebrachario Guntchramni Ducibus, Venetiam in poteſtàte ſua ita retinuit, vt vſque ad Pippinum Regem, qui opidum Venetos anno IↃCCLIII cepit, per annos CLXXIV non alios quàm Britannos Regulos habuerit. atque ob id Veneticam regionem à Waroco Venetorum Comite, quem Guerecum, & Werocum appellat, Broguerec Britannico nomine dictam ait Auctor libri de vita Gildæ Sapientis. Vt ad Chlodoueum reuertamur: tametſi nec Concilij Aurelianenſis, nec Gregorij auctoritate niteremur; nequaquam credere nos oporteret eum Regem, Armoricis poſt occipitium hoſtibus relictis, flumen Ligerim tranſiturum; & antequam citeriora pacauiſſet, occupandæ Aquitaniæ causâ Alarico Veſigothorum Regi bellum illaturum fuiſſe. Præterea vti Procopius tradit Arboricis, quo tempore cum Francis ſocietatem & amicitiam iunxere, Reipublicæ formam priſtinæ diſſimilem fuiſſe: ita ex Zoſimo cognoſcitur, id quod in libro IV notauimus, effuſis per Gallias Germanis, hoc eſt Sueuis, Vandalis, & Burgundionibus; Armoricos ab Honorio Aug. in

quo nullum ſibi aduerſus impotentiam Tyrannorum, & Barbarorum latrocinia, ac exactorum iniquitatem præſidium eſſe intelligebant, defeciſſe, eiectiſque magiſtratibus Romanis, Remp. ſuo arbitrio conſtituiſſe. quamobrem principatu Placidi Valentiniani à Litorio ſubacti, (vt ait Sidonius) paullo pòſt rebellauere: miſſóque ad eos compeſcendos Eocharico Alanorum Regi Germanus Auteſſiodurenſis Epiſcopus perſuaſit, vt cum ſuis copiis domum rediret: ac Rauennam profectus, Imper. Valentinianum pro ſontibus deprecatus eſt: impetraſſétque veniam, niſi ea gens naturâ mobilis & perfida per idem tempus denuo defeciſſet. Addit Procopius, milites Romanos in vltima Gallia cuſtodiæ cauſâ conſtitutos, cùm in Italiam reuerti non poſſent, Barbaris eam, ac Galliam ferè totam, per quam iter faciendum erat, occupantibus; neque ad hoſtes Arianos tranſire vellent, ſe ſuáque omnia, quæ diutiùs tueri non valebant, Francorum & Arboricorum fidei poteſtatíque commiſiſſe. quibus verbis deſignari puto deſcripta in Notitia prouinciarum Imperij Romani præſidia opidorum portuúmque oræ Armoricæ, flumine Ligere diuiſæ à Veſigothis Arianis, quorum Veſigothorum imperio milites iſti præſidiarij Francorum & Armoricorum, Chriſtianarum Catholicarúmque gentium, imperia prætulerunt. Vbi notare conuenit, cùm Procopius ſcribat Francos fuiſſe Chriſtianos, quo tempore fœdus cum Arboricis iunxerunt, & ſupradictos milites Romanos in deditionem acceperunt, poſt initum à Chlodoueo Baptiſmum ea geſta eſſe oportere. His animaduerſis, tametſi Procopius in prædicto loco libri primi belli Gothici Francos, Toringos, Burgundiones, Sueuos, & Alamannos gentes Germanicas commemorat, Francíſque ac Toringis Arboricos ſuos medios interponere videtur: tamen hoſce ego nequaquam in Germanis numerandos exiſtimo, ſed Procopium ignorantiâ veri Armoricos gentem Gallicam, mutato eorum ſitu ac corrupto nomine, in Germania poſuiſſe credo. præſertim cùm, poſt Varum Ducem tréſque legiones cæſas, conſtet Germanos Tranſrenanos Imperatoribus Ro-

Romanis minimè paruiſſe, nullámque Germanicam gentem ſedes habentem in Germania, principatu Chlodouei, quo tempore Franci Galliam occupauerunt, Chriſtianam fuiſſe.

Admoneor ſuprafacta mentione Britannorum, vt de his aliquid dicam. Britanni complures, ſiue ab Anglis eiecti domo, ſiue externam dominationem peroſi, in prouinciam Lugdunenſem tertiam aduerſam inſulæ Britanniæ tranſiere Placidi Valentiniani principatu, ibíque domitæ parti Armoricorum, nimirum Venetis, Curioſolitibus, & finitimis nationibus iura & leges, ac nomen ſuum dedere. incolæ enim Britanni, vel Brittones; regio Britannia appellari cœpta, quam alij nouam, alij Gallicam, quidam Ciſmarinam, nonnulli minorem cognominant. Hæc regio an Francorum Regibus paruerit, ambigi poteſt. nam Britannos poſt Chlodouei Regis obitum ſemper ſub Francorum ditione fuiſſe in Hiſtoriæ libro IV tradit Gregorius, quíque eis præerant, pro Regibus Comites (vel Duces, addere debuit) vocatos eſſe. & Auctor libri de vita Leonorij Epiſcopi ſcribit Childebertum Regem Chlodouei filium Franciæ imperium Britanniæque obtinuiſſe. & in libello de vita Pauli inuenio Childebertum huncce Francorum Regem *Vuithuro Comiti*, qui & *Princeps* ibidem dicitur, partem Britanniæ regendam commiſiſſe, proficiſcentíque anulum ſuum tradidiſſe, & Paulum Agnenſi Leonenſíque Britanniæ pagis Epiſcopum præponendum curauiſſe. Præterea Samſon Britannorum vel Dolenſium Archiepiſcopus dicitur Monaſterium Penetale Monaſterio Dolenſi, quod vtrumque exſtruxerat, permiſſu Childeberti Regis ſubieciſſe ac commendauiſſe. Eginardus quoque in Annalibus, Aimoinus in Hiſtoriæ libro IV, & Poëta quidam Saxo, Arnulfi Aug. æqualis, in rerum geſtarum Caroli Magni libro II produnt, *Britannos ab Regibus Francorum ſubactos ac tributarios factos, impoſitum ſibi vectigal quamuis inuitos ſoluere conſueuiſſe*. & Epiſcopi, qui in villa agri Tullenſis nomine Saponariis anno Domini IↃCCCLIX conuenerunt, in epiſtola ad Epiſcopos Britannorum ſcribunt *eam*

Nn

gentem Francis ab initio fuisse subiectam, ac tributum pependisse. Auctor etiam Annalium, quos Bertinianos appellant, scribit *Salomonem Ducem Brittonum* Carolo Francorum Regi, Ludouici Pij filio occurrisse, eíque se commendauisse, & fidem sacramento obligauisse, omnésque primores Brittonum idem facere iussisse, *& censum illius terræ secundum antiquam consuetudinem eidem pependisse* : & insequenti anno Carolo Regi, conuentum ex toto Regno apud Pistas habenti, & annua à suis dona ibidem accipienti, supradictum censum L argenti librarum, quem Salomon *more maiorum* mittebat, oblatum esse. & in Annalibus, qui Mettenses dicuntur, inuenio Saxonum, Frisiorum, Alamannorum, Baioariorum, Aquitanorum, Vasconum, atque Brittonum, *gentium quondam Francis subiectarum* Duces, antequam Pippinus auus Pippini Regis Præfectus Palatij fieret, à Francorum Regibus, quorum desidiam contemnebant, contumaciter defecisse. Et hæc quidem persuadent Britannos Francorum Regibus Merouingis paruisse. Contrà Auctor Historiæ Francicæ Gregorio proximus, ac Freculfus Lexouiorum Episcopus Chonobrum, vel Cunobertum, qui bello Chramni interfectus est, non, vt Gregorius, *Comitem*; sed *Regem Britannorum* appellant. & apud Fredegarium, ac Aimoinum, atque apud Florentinum Abbatem de vita Iudoci, & in libro de vita Dagoberti reperio Iudicailem, vel Iudichaëlum, Iuthaëli Regis filium, quem quidam Vidichailum, alij Iudicheilum nuncupant, *Britannorum Regem* & fuisse & vocari. Aimoinus etiam in Historiæ libro II versus Childeberti senioris tumulo inscriptos refert, in quibus Brittonum Regibus terrori fuisse dicitur. & Gregorius, velut secum ipse pugnans, in libro IV ac V tradit Chanaonem, seu Conanum, *Britannorum Comitem*, *Macliaui* fratris sui *Regnum* occupauisse: quo mortuo Macliauum *Regnum* recepisse, ac Theodoricum quemdam Bodici filium *Regno* patrio spoliauisse. nemo autem nescit Comitatus & Ducatus quos vocant, hoc est Præfecturas vrbium atque regionum Francis subiectarum, non armis obtineri, sed ab Regibus Francorum dari ad tempus

consueuisse. Neque ignoro Comites, & Duces, à nostris Historicis nonnumquam Reges; & subiectas eis regiones, Regna appellari: sed affirmo, id quod Gregorius scribit, Warocum Macliaui filium in agrum Namneticum, Redonicúmque pagum sæpe excurrisse, & cum Chilperici atque Guntchramni Regum Ducibus pugnauisse, nequaquam conuenire ei, qui Francorum Regibus pareret. Vt omittam non alios quàm Britannos in Britannia Cismarina regnauisse, cùm Reges Franciæ quoslibet è populis suæ ditionis vrbibus suis prouinciísque præponere solerent. Certè Fortunatus in libro IX, de Chilperico Rege scribens, inter gentes Francorum inimicas, vti Getas, hoc est Vesigothos, Vascones, Danos, Æstiones, quos alij Æstios, alij Æstos vocant, Saxones, Frisones, Sueuos; sic & Britannos numerat. è quibus Vascones Pyrenæorum montium incolæ, gens Hispaniæ Tarraconensis libera, prouinciam Nouempopulanam ætate Fortunati crebris incursionibus vastabant, omnémque tandem vsque ad Garumnam flumen, Francis sub Maioribus domus bello ciuili laborantibus, occupauere, & Vasconiam appellauere. qui in Hispania remanserant, *Hispanos Vascones*; qui Pyrenæum transgressi in finibus Nouempopulorum consederant, *Citimos Vascones* scriptores rerum gestarum Caroli Magni & Ludouici Pij vocant. vnde Asinarium in Annalibus Bertinianis *Citerioris Vasconiæ Comitem* dictum inuenio. Frisones verò vel Frisij, qui primò Francis diu paruerant, eisdem postea dominantibus in Gallia, à finitimis Saxonibus subacti esse mihi videntur, plurimíque eorum in Batauiam transiisse. vnde Frisia nonnumquam Saxonia; & Batauia cùm ab aliis, tum ab Auctore Annalium Mettensium Frisia dicta est. Miror tamen, quòd hostibus Francorum Sueuos annumeret Fortunatus, quos Procopius Rhetor eius æqualis sub imperio Francorum fuisse in belli Gothici libro primo tradidit.

Vt ad Britannos redeam, Episcopi Gallicani in Epistola ad Nomenoium Britannorum Regem, quem *Priorem gentis Britannicæ* appellant, scribunt *certos fuisse fines, quos Franci ab exordio dominationis suæ in Gallia*

ſibi vindicauerint; & certos, quos petentibus Britannis conceſſerint. & in Annalibus Bertinianis idem Nomenoius Britto anno IϽCCCXLIV *fines ſibi ſuiſque anteceſſoribus attributos inſolenter egreſſus* eſſe dicitur. quos *fines Britannicos* Auctor vetus libri de vita Ludouici Pij, alij *Britannorum limitem,* alij Germanico nomine *Marcam Britannicam* vocant. & qui de vita Caroli Magni ſcripſere, cùm Widonis Comitis ductu anno IϽCCXCIX *totam Britanniam, quod numquam antea factum erat, perluſtratam armis, & à Francis ſubactam fuiſſe* tradunt, ſatis apertè oſtendunt ante Caroli Magni principatum ſi non omnem Britanniam; ſaltem maximam eius partem Francorum Regibus nequaquam paruiſſe. Neque Fredegarius ſolùm in Chronico, de Chlothario iuniore Chlodouei pronepote loquens, ſed etiam ſupradicti rerum geſtarum Caroli Magni ſcriptores *Britannorum limitem,* vel *Marcam Britanniæ,* & *Præfectum Britannici limitis* commemorant. vt appareat Merouei poſteris regnantibus, & Carolo ipſo Magno in tot tantíſque prouinciis dominante, Britannos, veluti alienæ ditionis gentem, à Francis limite diuiſos, tribúſque per eius Principis Duces expeditionibus victos magis quàm domitos fuiſſe. Certè à Ludouico Aug. Caroli filio defecere, primùm Murmano duce, qui regium inſigne noménque ſumſit, & ab exercitu Imperatoris occiſus eſt; deinde auctore Wiomarco, qui & ipſe dolo circumuentus, ac domi ſuæ interfectus eſt. atque quatuor expeditionibus in Britannos cùm per ſe, tum per legatos factis, & depopulata regione, id vnum tantummodò Ludouicus egit, vt obſides ex more darent, & ſe imperata facturos promitterent, breui fidem violaturi. ſiquidem Nomenoius, regij ſanguinis Princeps, quem Ludouicus Aug. Iudicem, aut (vti ait Regino) Ducem Britannis dederat, rupta fide à Carolo Rege Ludouici Aug. filio deſciuit: adiunctóque ſibi Lamberto Comite, qui ſimiliter à Carolo defecerat, Reginoldum vel Rainaldum Namnetum Ducem apud Vicinoniam flumen cum magna manu Francorum occidit: nec multo pòſt alium exercitum Caroli Britanniam ingreſſum, paludibus in-

clusum prœlio fudit. Idem non solùm Venetos, quam vrbem Pippinus Caroli Magni pater ceperat, Regno suo adiunxit; sed etiam *limitem antiquum transgressus* (vt ait Adreualdus) Redonas, atque Namnetas, vrbes Francicæ ditionis, partémque pagi Andecauensis ac Cenomannici vsque ad Meduanam flumen, agris igne & ferro longè latéque vastatis, occupauit: & ex IV Episcopatibus septem factis, pulsísque legitimis Episcopis, & aliis in eorum locum suffectis, ab Archiepiscopo Dolensi regio more vngi se iussit. cum Carolo etiam, bis frustra Britanniam cum copiis ingresso, pacem æquis conditionibus fecit: Regnúmque Herispoio filio suo moriens tradidit, à quo Carolus Rex acie victus excedere Britanniâ, & pacem facere coactus est. Hic est Herispoius, quem datis vtrimque cum fide obsidibus ad Carolum Francorum Regem Iuliomagum Andecauorum venisse dicit Regino, eíque sese commisisse, magnísque muneribus honoratum in Regnum rediisse. Adiicit Auctor Annalium Bertinianorum Herispoium, quem, vt Nomenoium patrem eius, successorémque Salomonem, *Brittonum Ducem* semper appellat, regia veste & *paternæ* (vti ait) *potestatis honore*, hoc est patrio Regno à Carolo donatum esse, additis Redonis, Namnetis, & *Ratensi*, id est, Ratiatensi pago, qui ex nomine *vici Ratiatensis*, quem Gregorius, in libro de Gloriâ Confessorum, prope vrbem Namnetas in finibus Pictonum ponit, appellationem traxit. Vbi notandum est, cùm Nomenoius Redonas, Namnetas, & Ratiatensem regionem occupauisset, Herispoio eius filio ac successori Carolum Francorum Regem non tam condonauisse supradictas vrbes, quas iam habebat in potestate, quàm earum expugnationem & possessionem cessione sua comprobauisse: pagúmque Ratiatensem ex eo tempore Britanniæ, à qua flumine Ligere diuidebatur, partem esse cœpisse. Paucis pòst annis Herispoius à Salomone Duce & Almaro Britannis, posteaquam diu rebellauerant, interimitur, & Salomon à Britannis Rex salutatur. qui vt Carolum Regem placaret iratum sibi, propterea quòd Guntfridum & Gozfridum rebelles, Ludouicum

quoque filium eius receperat, & ad depopulandam Andecauiam finitimósque pagos copiis instruxerat; anno IↃCCCLXIII occurrit ei, commisítque sese: atque eidem sacramento fidem obligauit, ac argenti libras quinquaginta, eo anno, atque insequenti tributi nomine pependit, ob ídque parte agri, qui Inter-duas-aquas dicitur, & Abbatiâ S. Albini à Carolo Rege donatus est. sed post triennium, nimirũ anno IↃCCCLXVII cùm Britanni tributum pendere recusarent, adiunctíque Nortmannis opidum Cenomannos diripuissent, & iam Carolus bellum eis pararet inferre: tandem conuenit, vt Carolus Salomoni obsides daret, sícque Pasuuithenus, Salomonis gener, legatus ad Carolum veniret. tum Carolus Salomoni eiúsque filio pagum Constantinum hac conditione donauit, si fidem ambo, quam per Pasuuithenum dabant, sibi Ludouicóque filio suo sanctè præstarent, & auxilia contra hostes petentibus mitterent: atque insequenti anno coronam ex auro gemmis ornatam cum insignibus regiis Salomoni misit, quem Nicolaus Episcopus Romanæ Ecclesiæ præter ceteros in epistola quadam Regem appellat. Idem Salomon anno IↃCCCLXXIII Carolo, Iuliomagi Andecauorum Nortmannos obsidenti, in auxilium venit, nec tamen castra sua castris Caroli iunxit, sed trans Meduanam flumen cum magno exercitu consedit, ab eáq; parte opidum oppugnauit: & filium suum nomine Wigonem ad Carolum, vt ei se commendaret, fidémque coram primoribus Britannorum sacramento obligaret, misit, nec multo pòst à Ducibus Proceribúsque Britannorum Pasquitano, Vurfando vel Vurnahato, & Wigone Riuilini filio interfectus est. Túmque Carolus Rex Francorum de recipiendo Regno Britanniæ diu multúmque frustra cogitauit. Quare ipse in legibus apud Siluacum latis Redones, Namnetes, Venetos, Curiosolites, vel Coriosopites, Leonenses, Osismicum pagum, Altenses, & Aulercos Diablintes, gentes Armoricas Britannis subiectas, inter pagos suæ ditionis non numerat, nullámque eorum mentionem facit. & Asser Meneuensis est auctor Imper. Carolum Crassum Ludouici

Pij nepotem, qui Ludouici Balbi fratris sui patruelis filiis successit, præter ceteras prouincias *omnem Galliam, excepto Armoricano Regno,* hoc est, exceptâ Britanniâ, tenuisse. quo mortuo Francorum Reges, bellis ciuilibus ac externis impliciti, tantum abfuere à Britannia vindicanda occupandâque, vt ne suos quidem fines aduersus Barbaros tueri potuerint. Hæc de Britannis, digna memoriâ visa, ideò huic loco inserenda existimaui, vt omnes scirent ne Caroli Magni quidem; nedum Chlodouei posteris eos vmquam certa imperij confessione paruisse.

Messalla & Areobindo, vel Areobinda Coss. XVI Kalendas Octobres decessit Caretene Regina, quinquagesimum ætatis annum transgressa, conditáque est Lugduni in Ecclesia beati Michaëlis, quam ipsa exstruxerat: femina benefica in pauperes; cilicio, ac ieiuniis in Palatio assueta; filiósque ac nepotes suos ad Fidem Catholicam hortari solita. vt docent versus tumulo eius inscripti, relatíque ab Andrea Duchenio: qui Gundiuci Burgundionum Regis vxorem, matrémque quadrigæ Principum, Gundobadi, Godegisili, Chilperici, ac Godomari fuisse Caretenen putat, credo quòd Consulatu Messallæ, viuo Gundobado, eam de Regina Monacham obîsse ibidem legerat. IↃVI.

Dotibus his pollens, sublimi mente subire
Non spreuit sacrum post diadema iugum.

Quasi verò non & Radegundis, Bertharij Toringorum Regis filia, similiter permissu Chlotharij viri sui vestem regiam sacro velamine, & Palatium Monasterio mutauerit. Præterea Iordanes scribit, Theodericum Ostrogothorum Regem, *simul ac in Italiam venit,* hoc est, saltem statim post confectum aduersus Odoacrem bellum, Asterio & Præsidio Coss. filiam natu minorem nomine Ostrogotham Sigismundo Gundobadi Regis filio in matrimonium dedisse. tum autem Caretene plùs minùs XXXVIII annum agebat, siquidem anno XII pòst, Messalla Consule quinquagenaria erat. potuítne verò femina annorum circa XXXVIII non iam filium, sed nepotem suum maritum videre? Non igitur Caretene CCCC-XCIV. IↃVI.

Gundiuci vxor, ſed nurus; non Gundobadi mater, ſed coniux fuit, cuius filius Sigiſmundus, (ne de Godomaro loquar) nepóſque Sigiſricus poſt Gundobadi mortem, hæreſi Arianâ eiuratâ, Catholicam Fidem profeſſi ſunt. Caretenes huius pietatem, omiſſo nomine, laudat Gregorius in libro II de Gloria Martyrum: in quo ſcribit è Burgundionibus, qui Briuate vico Aruernorum Veſigothis parentium direpto, ſpoliatáque Baſilica Iuliani Martyris, ab Hillidio Vellauo cæſi erant, quatuor fuga elapſos domum reuertiſſe, & prædam ſuam, nimirum patinam ex argento, quatuor in partes diuiſiſſe, vrceum autem ſimiliter argenteum Gundobado Regi dono dediſſe. Quo cognito Reginam viro ſuo perſuaſiſſe, ne propter tantillum argentum tanti Martyris gratiam amitteret, vrceúmque, & patinam, ſicut erat diuiſa, additis multis muneribus, Eccleſiæ Iuliani reſtituiſſe.

IↃVI. Eodem anno Alaricus Veſigothorum Rex, ſecutus exemplũ Eurici parentis ſui, qui primus leges Veſigothis deſcribendas curauerat, Codicis Theodoſiani libros XVI, quibuſdam conſilio & conſenſu Epiſcoporum ac Nobilitatis partim emendatis, partim explicatis; in epitomen coëgit, ac edidit, vt his legibus Romani, hoc eſt prouinciales Galli, Hiſpaníque; ac forſitan etiam (vti Præfatio Alarici indicare videtur) Veſigothi vterentur: Epiſcopíſque Aquitaniæ & Galliæ Narbonenſis permiſit, vt Agathæ conuenirent. Certè in præfatione Canonum Epiſcopi ipſi profitentur *permiſſu Domini ſui glorioſiſsimi, magnificentiſsimi, piiſsimíque Regis* in vrbe Agatha conueniſſe. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, magnæ vir ſanctitatis atque doctrinæ, huic Synodo præfuit, ſtatutíſque primus ſubſcripſit III Idus Septembr. Meſſalla V. C. Coſ. anno XXII regni Domini Alarici Regis. cui Concilio nullos ex Hiſpaniæ prouinciis Alarico ſubiectis Epiſcopos interfuiſſe miror.

Ne quis autem forſitan miretur, quòd ſuprà dixerim Gallos & Hiſpanos vocatos eſſe Romanos: notare conuenit, cùm Barbari prouincias Imperij Romani perpetuæ poſſeſſionis causâ in Occidente occupauiſſent, prouin-

uinciales quidem nomen vnà cum dominis minimè mutauisse, & vti antea dicebantur, Romanos à Barbaris dictos esse: ipsos autem non iam, sicut antè, contumeliæ, sed honoris causâ Barbaros appellari cœpisse. Sic Theodericus Ostrogothorum Rex in Edicto suo leges *Barbaris Romanísque*, hoc est Italis, & Ostrogothis ferre se dicit, ibidémque alteros numquam aliter quàm *Romanos*; alteros non aliter quàm *Barbaros* vocat: quos posteriores Cassiodorus Senator Gothos appellare maluit, Romanísque semper præposuit. Sic in Legibus Vesigothorum Hispani; sic apud Eugepium in libro de vita Seuerini Norici *Romani* dicuntur. & Victor Vticensis Episcopus in libro III de Persecutione Ecclesiæ Africanæ scribit Vandalos, qui *Barbari* vocentur, alio conuenientiore & magis proprio nomine appellari non posse. quippe id vocabulum ferociæ, crudelitatis, ac terroris esse: Barbarósque, quantumuis muneribus donentur & colantur obsequiis, Romanis nihilominùs inuidere, splendorémque nominis Romani obscurare semper cupere, nec vllum Romanum diligere aut saluum velle. Et vt de Francis ac Gallis loquar, apud Gregorium in Historiæ libro IV Francos, Latam Monasterium spoliare parantes, Monachi suppliciter alloquuntur ac deterrent his verbis. *nolite, ô Barbari, nolite huc transire. Beati enim Martini istud est Monasterium.* & in libro II Gundobadus Burgundionibus leges mitiores tulisse dicitur, ne quam *Romanis*, hoc est Gallis iniuriam facerent. Præterea Fortunatus vt Wilithutam natione Francam fuisse indicet, sed adeò lenem & cultam, vt Galla videri posset, ita loquitur,

Romana studio, Barbara prole fuit.

Idem in libro VI Chariberto Francorum Regi, Chlodouei nepoti, hinc *Barbariem*; illinc *Romaniam* plaudere ait. & in Carmine de laudibus Chilperici Regis non ipsum quidem; sed (quod idem est) popularem eius, *interpretem Barbarum* vocat.

Chilperice potens, si interpres Barbarus exstet,
Adiutor fortis, hoc quoque nomen habes.

Hoc est, si Francus linguæ Latinæ peritus nomen tuum

interpretetur, Chilperice Rex, adiutorem fortem interpretabitur. Ex his satis intelligitur Barbari appellationem non ignominiosam tum, & opicam, vt ait Cato; sed claram & illustrem fuisse, & cùm Francos, tum alios honoris causâ Barbaros appellari consueuisse à populis suæ ditionis, atque ita se ipsos appellitauisse. Quare ridiculus mihi videtur Gundobadus, qui, credo quòd Burgundiones ante Francos in Gallia consedisse, & patrem ac patruum suum Magistros militiæ sub vltimis Imperatoribus, sociósque & amicos Romanorum fuisse norat, apud Gregorium Francos, duce Chlodoueo Auenione ipsum obsidentes, contumeliæ causâ *Barbaros* nominat. quasi non etiam Burgundionibus ea appellatio conueniret, qui, vt Franci, gens Germana erant. Sed ferendum id in Burgundionibus, quos non minùs superbos, quàm voraces, garrulos, & imbelles fuisse, & *ob superbiam toto gutture loqui* consueuisse auctor est Liutprandus. Quòd igitur Galli præ ceteris Romani dicebantur, hinc factum est, vt lex, quâ vtebantur, lex Romana appellaretur. quemadmodum apud Gregorium in libro de vita Nicetij Lugdunensis Episcopi, apud Adreualdum Floriacensem Monachum, & alios veteres Historicos reperio. Ob id quoque partem Galliæ, quæ Odoni Francorum Regi parebat, *Franciam Romanam*, hoc est Franciam Gallicam Liutprandus vocat in libro primo rerum in Europa gestarum, vt à Francia eam Germanica distinguat. & in libro de vita Odiliæ Childericus posterior, Dagoberti Regis nepos, *Romanæ, & Francicæ terræ* imperauisse dicitur, hoc est terræ Galliæ, Neustriæ appellatæ, & Franciæ Germanicæ ad Renum, vel Austriæ, quas vtrasque à Germanis, id est Francis *Germaniam*, & *Regna Germanica* Fortunatus cognominat. Ob id ipsum denique Nithardus in bellorum ciuilium libro tertio *Romanam linguam* vocat eam, quâ Galli vtebantur. Sed tandem vti Barbari suæ quisque gentis nomine appellari maluere; sic prouinciales nomen Romanum, propterea quòd Barbaris in Occidente dominantibus ludibrio erat, deposuere. quippe ætate Ottonis Aug. (vt scribit Liutpran-

dus) Franci, Burgundiones, Sueui, Langobardi, Saxones, Lotharienſes, hoc eſt pars Francorum in Regno Lotharij ſedem habens, & Baioarij ita Romanos dedignabantur, vt inimicum ſuum non aliter quàm Romanum contumeliæ causâ irati appellarent, & quidquid ignobilitatis, quidquid auaritiæ, quidquid libidinis, quidquid mendacij, quidquid denique vitiorum eſt, hoc vno nomine ſe complecti arbitrarentur. Hæc de Romanorum ac Barbarorum appellatione huic loco inſerui, vt legentibus eſſent diuerticuli loco. ad rerum ordinem redeo.

Alarico in Aquitania deſidente, & Codicis Theodoſiani libros emendante, Chlodoueus longè aliis rebus animum intendebat. quippe non contentus veteri Francia, ac omnibus ferè inter Renum & Ligerim terris, rationem excogitabat, quâ Regnum totius Galliæ occuparet. vir magni animi & inſatiabilis victum ſe, niſi viciſſet; & quidquid non cepiſſet, amiſſum putabat. cúmque fuſo cæſóque Syagrio; Toringis, ac Burgundionibus fractis; domitis Alamannis, à finitimis omnibus timeretur, ſolos Veſigothos intactos, necdum vim Francorum expertos in magna parte Galliæ dominari indignabatur. Apud eos regnabat Alaricus, à puero comiſſationibus & otio aſſuetus, deditus ſpectaculis, (nam Cethego Conſule Cæſarauguſtæ Circenſes edi- ıɔıv.
diſſe dicitur) & conuiuium quàm aciem inſtruere doctior. cuius contemtu duos in Hiſpania, alterum poſt alterum, Tyrannos exortos eſſe prædiximus, & quem futuræ ſuæ cladis præſagio monetam adulterauiſſe Auitus ſcribit. Hic excitatus famâ rerum geſtarum Chlodouei, metuénſque ne idem ſibi, quod ceteris, accideret, miſſis legatis à Chlodoueo poſtulauit, vt de re communi cum eo agere liceret. Die dicto, ac loco finito, in inſulam fluminis Ligeris, Ambaciæ tum vico, nunc opido Turonum proximam, quam Sancti Ioannis inſulam vocant, venere: collocutíque, ac vnà epulati amicitiam inter ſe iunxere. Fredegarius Scholaſticus, qui ex Gregorio epitomen fecit, & Hincmarus in libro de vita Remigij produnt, Alaricum Regem Veſigothorum,

cùm Chlodoueum per Paternum virum induſtrium decipere conaretur, ipſummet ab eodem Paterno legato Chlodouei illuſum, fraudémque eius deprehenſam, ac theſauros arte ſubarratos eſſe. Aimoinus autem & Rorico Monachi, aliíque aretalogi veriùs quâm Hiſtorici ſcribunt, Paternum legatum, exploratis omnibus rebus, ad Chlodoueum reuerſum renuntiauiſſe, Alaricum, qui cum paucis eíſque inermibus ſe in colloquium venturum dixerat, longis cultris veſte tectis armatos ad colloquium adduxiſſe: negante Alarico, magnam inter ambos Reges ortam eſſe contentionem: tandémque conueniſſe, vt ad Theodericum Oſtrogothorum Regem legatos mitterent, controuerſiámque deferrent. Hunc cognitâ causâ ſtatuiſſe, vt circum legatum Chlodouei, qui Toloſæ ante fores Palatij inſidens equo, elatam manu haſtam teneret, tamdiu ab Alarico ac Veſigothis aurum argentúmque congereretur, donec ſummus haſtæ mucro nõ appareret, vtque hic aceruus nummorum pro compoſitione Chlodoueo Regi traderetur. Reuerſis ex Italia legatis, Veſigothos Theoderici ſententiam improbauiſſe, negantes hoc ſe facere poſſe, & Paternum contumeliis affeciſſe. quibus rebus cognitis, Chlodoueum bellum parauiſſe. Et ita quidem ſupradicti Monachi de cauſis belli Veſigothici ſcripſere: quas fabellas ſi fingere eis licuit, nobis credere non libet. nemo enim non intelligit Paternum multo minùs etiam quàm Veſigothos ridiculæ huicce Theoderici ſententiæ ſtare debuiſſe, & vnà cum equo equitem priùs auro obruendum fuiſſe, quàm haſta in manu eius tota operiretur. Certè Caſſiodorus Senator in Variarum libro III nullius fraudis inſidiarúmque Alarici mentionem facit, indicátque Chlodoueum *parua de verbis contentione*, & (vt ait) *cauſis mediocribus incitatum ad primam legationem ſtatim arma mouiſſe*. & Chlodoueus ipſe, cùm apud Gregorium dicit ægrè ſe ferre, quòd Ariani partem Galliarum obtineant, ſatis apertè oſtendit ſe prætextum armorum hæreſin; libidinem prolatandi Regni cauſam belli habere. falsò vt Sigebertus tradat Alaricum rupto fœdere, quod biennio antè cum Chlo-

doueo iunxerat, insidias ei molitum, ob ídque ab Francis oppugnatum esse.

Dum bellum paratur, Theodericus Italiæ & Ostrogothorum Rex Alaricum Regem generum suum per litteras monuit, videret etiam atque etiam, quantum Vesigothis, numero quidem frequentibus, & Attilæ quondam victoribus, sed longa pace emollitis contra Francos fortissimos ac exercitatissimos committendum esset: leuem de verbis contentionem ne vltra verba progredi sineret: imperaret animo, exspectarétque, dum Francorum Rex ad mandata sua respondisset: quem, si controuersiam amicorum arbitrio componi nollet, communibus viribus oppugnari oportere. Scripsit etiam Gundobado Burgundionum Regi, quem fratrem suum appellat, Theodericus, vt Chlodoueum & Alaricum in pristinam concordiam reduceret *Regios* (vti ait) *iuuenes, & florida ætate feruentes*. nisi enim æquis conditionibus lis terminaretur, totius belli inuidiam in se recasuram. similiter Erulorum Oceano assidentium Regem, vt puto, Rodulfum à Procopio & Paullo Langobardo memoratum; Varnorum Regem gentis Germanicæ, quem Procopius Hermegisclum appellat; & Herminafridum, qui apud Toringos regnabat, idem rogauit, vt contractę secũ affinitatis, beneficiorúmque Eurici Regis memores filio eius Alarico genero suo gratiam referrent, ac Chlodoueum Francorum Regem, superbum, obstinatum, ius in viribus habentem, missis simul omnes legatis ad pacem hortarentur: tergiuersanti bellum denuntiarent, occuparéntque ambitiosa conata eius, à quo singuli, si Vesigothos vinci contigisset, sine dubio essent oppugnandi. Apud Cassiodorum Senatorem in Variarum libro III, præter tres supradictas litteras, missam per legatos ad Chlodoueum Regem Francorum à Theoderico epistolam inuenio, qua in epistola scribit mirari se, quòd Chlodoueus *causis mediocribus ac leuibus incitatus* Alarico Regi filio suo (eo nomine generum appellabat) bellum inferre statuisset, & impatiens, ac iræ immodicus ad primam legationem arma caperet: vt multi, qui vtrumque timebant, lætarentur duos

summarum gentium Reges, ac ætate florentes, dimicando infirmiores fieri. oportere ipsum pertinaciæ finem facere, arbitrósque aliquos ex affinibus sumere, dum omnia ambobus integra essent. deponeret igitur arma, & æquis conditionibus cum Alarico in gratiam rediret: neu' gentes, quæ sub parentibus eius longa pace floruissent, in periculum coniiceret, committendo prœlium, quo alteruter ab altero deleri exercitus posset. postremò iure patris Alarico; iure amici Chlodoueo minatur Theodericus se ac socios suos eum pro hoste habituros, qui tam salubre consilium spreuisset. Sed nec precibus, nec minis deterritus Chlodoueus contractos Luteciam Parisiorum Francos hortatur, vt Alaricum, à quo iniuriam acceperit, se duce aggrediantur, Vesigothósque Deo propitio vincant, ac eorum regionem armis occupent. neque enim Catholicis ferendum esse ab Arianis partem optimam Galliarum obtineri. Pari omnes consensu orationem Regis excepere: nec contenti causam belli probare, ac elatis altè dextris suum Principi auxilium polliceri, vouere (vti ait Rorico) se nisi hostibus debellatis barbam non posituros. quod Cattos sua ætate; hoc est multo antequam in Francorum gentibus numerarentur, facere consueuisse Cornelius Tacitus scribit. Rex ipse, hortante vxore Chrothilde, Luteciæ Basilicam Petro ac Paullo Apostolis vouit, si victor & saluus ex Aquitania reuertisset: auctúsque auxiliis, quæ Sigibertus Rex partis Francorum per Chlodericum filium suum pro cognatione miserat, & omnibus rebus ad expeditionem comparatis, Luteciâ proficiscitur. ac ad conciliandam sibi Aquitanorum gratiam, priusquam in Aquitaniam irrumpat, Ecclesias spoliari, deuotis Virginibus ac viduis, Clericis quoque, filiisque Clericorum, ac viduarum, & seruis Ecclesiarum vim & iniuriam fieri edicto prohibet: superatóque flumine Ligere agrum Turonum ingressus, pro reuerentia B. Martini suos præter aquam & herbam quidquam accipere vetat. Accidit, vt miles paucos feni manipulos agresti cuidam eriperet, dictitans fenum nihil aliud quàm herbam esse. Quod vbi Chlodoueus

cognouit, statim militem quidem interficit, fenum autem agresti restitui iubet: adiiciens desperandum esse de victoria, si beatum Martinum rapinis & sacrilegiis offenderent, regionémque, cui tantus Episcopus præfuisset, depopularentur. quo facto magnus exercitui iniectus est metus. Eodem tempore pueri ad sepulcrum Martini, quod à Cæsaroduno Turonum passus IↃL distabat, cum muneribus missi, votorum nuncupandorum & ominis ex more tum recepto capiendi causâ, ad Chlodoueum redeunt, renuntiántque ipsis Basilicam ingredientibus contigisse, vt versum XLIII Psalmi XVII, quo Dauid ob inimicos pedibus suis subiectos Deo gratias agit, Primicerius caneret. Quo lætus omine Chlodoueus ad Vigennam flumen peruenit. Vigenna per fines Lemouicum, Pictonum, & Turonum fertur, & post acceptos Clennum & Crosam amnes non ignobiles in Ligerim influit. Is tum fortè imbribus intumuerat. Hærentem igitur ad ripam Chlodoueum ægrum animi, quòd pontes interruptos videbat, nec aut naues habebat, aut aquis non tentatis Francos obiicere volebat, nox oppressit: quam cùm vigiliis & precibus extraxisset, postero die manè ceruâ eximiæ magnitudinis, spectante exercitu, flumen vado trânsiit. (locus hodiéque ceruæ Transitus vocatur) Agnouere Dei beneficium vniuersi, ducémque itineris feram sine mora secuti sunt.

Hilarij imperante Constantio Aug. Pictauorum Episcopi in Aquitania erat nomen illustre. quamobrem vbi Pictonum fines ingressus est Chlodoueus, iniuriam fieri cuiquam vetuit, cùm ne beatissimum Hilarium iratum haberet, si populares eius vexauisset: tum maximè vt Aquitani ad vendendum nostris, aut etiam ad gratis subministrandum frumentum ac pabulum æquitate Regis, ac militum continentiâ inuitarentur. aliter enim Chlodouei milites per Turones & Pictones Alarico subiectos iter facere non potuerunt. nisi fortè quis sibi persuadet tot armatorum millia, quot Chlodoueum habere tum oportuit, ad eam expeditionem conficiendam satis cibariorum ex Francia tulisse. Gregorius Turoni-

cæ Ecclesiæ Episcopus scribit Chlodoueum, castra posuisse ad Augustoritum, vel Pictauos, vbi Alaricus Rex Vesigothorum pridem statiua habebat: facémque ei ab Ecclesia Hilarij, grauis quondam Arianorum aduersarij, ad tabernaculum suum per cælum ferri visam esse, clarissimæ de Vesigothis Arianis omen victoriæ. Alaricus Rex, qui ingressu Aquitaniæ, transitúque Ligeris ac Vigennæ fluminum Francos non prohibuerat; siue quòd initio belli copias in vnum locum nondum coëgerat; siue quòd intra Regni sui terminos prœlio decertare statuerat; tandem cum exercitu ex opido Pictauis egreditur, & ad decimum ab opido milliarium Chlodoueo pugnandi potestatem facit. qui lætus reperta occasione, quam votis optauerat, alacriter copias eduxit, ac quemadmodum docet Rorico, post allocutionem hastæ innixus, Dominicæ Crucis signaculo milites suos signauit, signúmque *nomen Domini* dedit. In Vogladensibus campis, qui ex nomine castelli Clenno flumini appositi appellationem trahunt, directa acie dimi-
IↃVII. catum est Anastasio Aug. tertiùm & Venantio Coss. sicut scribit Auctor Appendicis Chronico Victoris Tunnunensis Episcopi attextæ, qui & locum pro Voglade Boglodoretam appellat. Neque alius, quàm sperauerat Chlodoueus, prœlij exitus fuit. Vesigothi magna strage fusi fugatíque. Alaricus XXIII regni sui anno in fuga periit, quem Chlodoueus apud Roriconem, dum dissipatos persequitur, sua manu dicitur interfecisse. at ipsum, fugientibus prociter instantem, equites duo ex aduerso inuecti repentè inuasere, & inopinantis latera contis appetiere: quos ille ictus loricâ propulsauit, periculúmque equo concitato vitauit. Cecidere in acie cum Alarico Aquitanorum nobilissimi, stirpe Senatoria orti, & magna in primis multitudo Aruernorum, quos Apollinaris ducebat, Sollij Sidonij Præfectorij, Patricij, ac demum Aruernorum Episcopi filius, Imperatoris Auiti Aruerni ex Papianilla filia nepos. Vesigothorum autem proceres Senioresque Narbone conuenere, ibíque Gesalicum, quem alius Giselicum, alius Gesalaicum, alius Gesaericum vocat, Alarici maiorem ex
con-

concubina filium, Regem ſalutauere. falſum vt ſit, quod Gregorius ſcribit, Amalaricum, Alarici & Theodegothæ filium ex acie fugiſſe in Hiſpaniam, Regnúmque patrium occupauiſſe. quem & paruum puerum fuiſſe, tum cùm patrem amiſit, & poſt Geſalici fratris, póſtque Theoderici Italiæ Regis aui materni tutoriſque ſui mortem, nimirum anno XIX exeunte poſt prœlium Vogladenſe regnare cœpiſſe conſtat. Notandum quoque eſt Roriconem Monachum, & Freculfum Lexobiorum Epiſcopum errare, qui ante Vogladenſem pugnam inter Chlodoueum & Alaricum vario marte ſæpe certatum eſſe prodant.

Victor Veſigothici belli Chlodoueus, nihil actum ratus, niſi omnem Aquitaniam ſubegiſſet, Theodericum filium natu maiorem cum parte exercitus ſui mittit ad recipiendos Albienſes, Rutenos, Cadurcos, ac Aruernos, quas *ſuperiores Regni Alarici partes* Aimoinus meliùs, quàm Fredegarius *maritima* appellat. ipſe cùm multas alias vrbes, opida, atque caſtella capit; tum (ſi recentioribus credimus) in loco agri Burdigalenſis, quem hodiéque Campum Arianorum vocant, ſuperatis qui iterum experiri voluerant Veſigothis; Burdigalam Biturigum Viuiſcorum poſitam ad Garumnam flumen in ſuam ditionem redigit, ibidémque hibernat. ac initio veris Venantio iuniore & Celere Coſſ. profectus Burdigalâ Toloſam petit caput Regni Veſigothici, Regúmque ſedem, & gaza omni regia potitur. inde in opportunis locis, præſertim in Santonico pago atque Burdigalenſi ad delendam Veſigothorum gentem relictâ parte ſuarum copiarum; Ecoliſmam, quam Auſonius Iculiſnam appellat, opidum ad ripas Carantoni ſitu & opere munitum oppugnat. ibi Veſigothi milites in præſidio conſtituti venienti portas clauſerant, obſidionémque ferre decreuerant. ſed ne quid victoris feſtinationem moraretur domum redire maturantis, maxima pars muri ſub Regis oculis repentinâ ruinâ concidit. ſic vrbs capta eſt, & Veſigothi qui ibi erant, vt ait Gregorius, eiecti; aut (ſicuti Hincmarus & Aimoinus ſcribunt) ad vnum omnes in-

ıɔVIII.

Pp

terfecti. Rorico, veterem aliquem Auctorem secutus, rem memoria dignam narrat, nimirum opidanos, cùm murus ruisset, inopinato casu perculsos Deum stare cum Francis credidisse, ac se suáque omnia Chlodoueo dedidisse, & arcem opidi machinis expugnauisse, atque milites Vesigothos, qui eam tenebant, captos Regi tradidisse, quos omnes interfici iussos esse. tum ingentem prædam inter Aquitanici belli commilitones à Chlodoueo æquiter diuisam, lectissimósque ac fortissimos militum cum coniugibus & liberis in Aquitania derelictos, magnísque muneribus donatos, qui vrbes captas tuerentur, Vesigothósque reprimerent. Receptâ Ecolismâ Chlodoueus finitimas vrbes similiter in ditionem suam redigit, vbique Vesigothis occisis præsidium suorum collocat, & post tantas res gestas, omnémque Aquitaniam subactam, Cæsarodunum Turonum peruenit. Ceterùm ex Ecolismensium facto intelligi potest Aquitanos Catholicos, odio hæreseos Arianæ & impotentiæ Vesigothorum, datâ occasione animos nudauisse, & excusso plerosque imperij iugo Francis Orthodoxis, à quibus non se, sed Vesigothos oppugnari videbant, fauisse, portásque sponte aperuisse, deletis aut eiectis præsidiis Barbarorum. quippe si Aquitani cum Vesigothis aduersus nostros consensissent, trium opulentissimarum maximarúmque prouinciarum clarissimæ ac munitissimæ vrbes intra annûm circiter ab Chlodoueo armis occupari nequaquam videntur potuisse. at omnis tamen Aquitania, diuisa in prouincias tres, quam Auctor Appendicis Chronico Victoris adiunctæ, ac Isidorus in Chronico Regnum Tolosanum appellant, post prœlium Vogladense à Francis Chlodouei ductu capta atque perdomita est. & præter prouinciam Narbonensem primam, quæ Septimania & Gothia vocabatur, ac Narbonensem Secundam, partémque Viennensis, Vesigothis in Gallia nihil fuit reliqui. quamquam has quoque prouincias eis tum ademtas, Barbarósque Arianos omni Gallia ad tempus expulsos fuisse videtur credidisse Fredegarius, apud quem inuenio, Regnum Alarici, quod mari Tyrrheno, montibus Pyrenæis, Oceano, &

fluminibus Ligere ac Rhodano continebatur, à Francis euersum & occupatum esse. ad mare autem Tyrrhenum vel potiùs Gallicum prouincia Narbonensis vtraque est. quare Sigebertus in Chronico scribit Chlodoueum, occiso Alarico Rege, quidquid in Galliis Vesigothi possidebant, occupauisse. quod de prouincia Narbonensi prima verè dici forsitan potuit, de secunda non potuisse dici infrà apparebit. Igitur Chlodoueus, post subactam Aquitaniam, per Pictones & Turones iter faciens, Pictauis Basilicam Sancti Hilarij; apud Cæsarodunum Turonum Ecclesiam beati Martini multis muneribus ditauit: vt eximiis Episcopis, quibus adiutoribus tantas res gesserat, gratiam referret, votóque se exsolueret: atque captiuos complures cùm Clericos tum Laicos, repetentibus Aquitanicis Episcopis, domum remisit. Gregorius, Hincmarus, Rorico, ac Sigebertus tradunt ad Chlodoueum, Cæsaroduni Turonum commorantem, venisse à Flauio Anastasio Aug. legatos cum muneribus, & codicillis, quibus Consulatus ei ob res gestas deferebatur. munera fuisse tunicam purpuream, & chlamydem, coronámque auream gemmis distinctam. quibus insignibus in Basilica atque ante sepulcrum beati Martini sumtis, & coronâ capiti suo impositâ, Chlodoueum equum conscendisse: & à porta atrij supradictæ Basilicæ vsque ad Ecclesiam vrbis, in qua gratias Deo acturus erat, triumphantis more procedentem, nummos aureos argenteósque in populum sparsisse: ex eóque tamquam Consulem & Augustum appellatum esse: & coronam hancce gemmatam postea hortatu Remigij Petro Apostolo in Basilica eius Romæ dicandam ponendámque curauisse. inde Luteciam Parisiorum contendisse, quò & Theodoricus, Albiensibus, Rutenis, Cadurcis, & Aruernis subactis, paullo pòst venerit, eámque captum amœnitate loci sedem delegisse. cuius Principis exemplum secuti sunt posteri. neque alia tantotum Luteciæ incrementorum, & in publicis agri Parisiorum villis, Cala, Clippiaco, Spinogilo, Rotoialo, Bonogilo, alíisque exstructarum regiarum caussa fuit.

Admonet me Conſulatus ſuprafacta mentio, vt quid eo nomine Hiſtorici noſtri ſignificari voluerint, paucis doceam. Ne quis igitur putet Chlodoueum ab Anaſtaſio Aug. Conſulem ſuffectum, quòd more Conſulum procedentium nummos in populum ſparſerit; aut ſaltem ornamentis Conſularibus donatum, quòd etiamtum multi Conſularibus codicillis ab Imperatoribus honorati, inſignibus honorarij Conſulatus decorarentur: apud ſupradictos Auctores Conſulatus nomine Patricia dignitas ſignificatur. Sanè Gregorius ipſe Hiſtoriæ libri II caput XXXVIII *de Patriciatu Chlodouei Regis* inſcribit. & Aimoinus Monachus in libro I tradit Anaſtaſium Principem in codicillis ad Chlodoueum miſſis ſcripſiſſe, ſibi & Senatoribus placuiſſe, vt amicus & Patricius Romanorum appellaretur: verſúſque ab Remigio Epiſcopo factos, & in ſepulcro eius inciſos ſubiicit, in quibus Patricius vocatur. Sic idem Gregorius in libro V Tiberium Conſtantinum Aug. comitatum *Conſulibus*, hoc eſt Patriciis, (non enim alij tum quàm Imperatores, Conſules in Faſtis legebantur) Palatium intrauiſſe prodit. & Carolum Maiorem domus, quem in breui quodam veteríque Chronico de Veſigothorum rebus Francorum Regem, ac Patricium vrbis Romæ fuiſſe inuenio, Fredegarius Scholaſticus ab Gregorio Epiſcopo Romano, aduerſus Leonem Aug. ipſi ob defectionem infenſum, & Liutprandum Langobardorũ Regem auxilium petente, ac Imperatorias ſibi partes ſumente, *Conſulatum Romanum* conſecutum eſſe dicit. Quin & nepotem eius ex Pippino quoque Patricio Carolum Magnum Francorum Regem, qui, itaut Carolomannus frater, Patricius fuit, Godiſcalcus in præfatione libri Euangeliorum *Conſulem* appellat. Denique Albericum, *Romanum Patricium* à Frodoardo dictum, Leo Marſicanus in libro I rerum geſtarum Abbatum Monaſterij Caſſinatis *Romanorum Conſulem* vocat. credo quòd Patricios, Imperatorum Patres, Conſeſſores, & Conſiliarios, primus eorum auctor (ſiue is Fl. Conſtantinus Aug. ſiue quis alius fuit) à Conſulibus proximos, neque tamen annuos, ſed perpetuos eſſe

voluit. Præterea Caſſiodorus Senator in Variarum libri VIII epiſtolâ IX *chlamydem*, calceóſque Romanos inter inſignia Patriciatus, non autem Conſulatus numerat. & Eginhardus ſcribit Carolum Magnum, petente Hadriano Epiſcopo, Romæ *longam tunicam, & chlamydem,* (qualia munera Chlodoueus Rex ab Imper. Anaſtaſio accepiſſe dicitur) calceóſque Romano more confectos induiſſe: tum nimirum cùm ſubactâ omni ferè Langobardia, & obſeſſo Ticini Deſiderio Rege, Romam contendit, & in Eccleſia Petri Apoſtoli, Hadriano Papa ſollemnia agente, Rex Francorum ac Patricius Romanorum à populo Romano eſt appellatus. Neque verò mirari conuenit Chlodoueum Regem Francorum ab Anaſtaſio Aug. Patricium factum eſſe. cùm Odoacer, & Theodericus, alter poſt alterum Italiæ Reges, (ne de aliis loquar) ab Imper. Zenone Patriciam dignitatem pro ſummo munere acceperint. & cùm Sigiſmundus, Gundobadi filius, Burgundionum Rex, ab Anaſtaſio Aug. Magiſter militiæ Patriciúſque ſit factus, exemplo Gundiuci aui ſui, & maioris patrui Chilperici, qui ſub vltimis Imperatoribus Occidentis Magiſtri militum Romanorum eſſe ac dici, quàm Reges Burgundionum appellari maluerunt. quas dignitates conferre non Imperatoribus decorum magis, quàm petere atque accipere Regibus vtile fuit, vt ſcilicet gentes Occidentales Imperio nominíque Romano dudum aſſuetæ, quemadmodum pleræque tum Imperij Orientis prouinciæ, à Patriciis regerentur, & nouum Barbarorum imperium minimè aſpernarentur, quos Romanis officiis & dignitatibus honoratos pro Romanis eſſent habituræ. De Burgundia quidem illud tranſcurſu dicendum eſt, non Sigiſmundum modò eam, ſed multo pòſt, regnante Chlothario minore Chilperici filio, Aletheum, regio Burgundionum genere ortum, Patricium habuiſſe: Patricióſque dictos eſſe Proceres, quibus Reges Francorum, qui Burgundiam tenebant, pagum Tranſiurenſem, aliáſque Burgundiæ regiones, necnon prouinciam Arelatenſem, Maſſilienſémque cum exercitibus ad tem-

pus regendas commisissent: quales Gregorius Magnus Romanus Episcopus in epistolis claro nomine *gloriosos viros Patricios Galliarum*; & Audoënus de vita Eligij *Burgundiæ Patricios* appellat.

Sed vt ad nostros reuertar, Chlodoueum *ex eo tempore tamquam Consulem & Augustum appellatum*, hoc est, vt Consulem & Augustum adoratum esse ait Gregorius. quem cùm Hincmarus, Aimoinus, & Rorico, ac Sigebertus non intelligerent, nec animaduerterent appellare apud Romanos Auctores sæpe idem esse, quod salutare & alloqui: simpliciter & absolutè Chlodoueum *Consulem & Augustum appellatum* fuisse dixerunt. atqui ante Gregorium ita præter ceteros locutus est Aurelius Victor, apud quem Diocletianus Aug. dicitur *adorari se appellaríque vti Deum* permisisse. Ceterùm eo libentiùs Anastasius Princeps Patriciam dignitatem Chlodoueo victori Vesigothici belli detulisse videtur, quo, ob cladem sub Sabiniano Consule & Magistro militum per Theodericum Regem acceptam, Gothico nomini
IↃVIII. erat infestior. Certè Venantio Iuniore & Celere Coss. qui annus prœlium Vogladense secutus est, Anastasius & classem ad depopulandam oram Italiæ, & legatos ad Chlodoueum cum supradictis codicillis ac muneribus misit. Quamquam miror Græcos huiusce legationis nullam fecisse mentionem, nec intelligo, qua ratione legati, nisi tum Septimania à Francis teneretur, & prœlium cum Iba Duce Ostrogothorum nondum commissum fuerit, tutò egredi in litus Galliæ, & ad Chlodoueum peruenire potuerint. neque enim aut per Italiam, quæ tum hostilis erat; aut per prouinciam Narbonensem secundam, quæ sub imperio Francorum non erat; aut per Illyricum tot Barbaris gentibus obseptum iter fecisse eos puto.

IↃVIII. Venantio Iuniore & Celere Coss. Gundobadus Burgundionum Rex fœdus cum Chlodoueo metu potentiæ eius iunxit, & aduersus Vesigothos belli societatem coiuit. Quamobrem Arelatum à Francis & Burgundionibus obsessum esse auctor est Cyprianus in libro I de vita Cæsarij. Ad eam vrbem, tamquam ad obi-

cem cursus victoriarum Chlodouei stetit. Theodericus enim Ostrogothorum Rex, qui forsitan Francorum celeritate occupatus Alarico auxilium ferre non potuerat, timens, ne Vesigothis omni Gallia expulsis Chlodoueus bellum in Italiam trāsferret, Ibam Ducem cum copiis in Galliam misit. qui superatis Alpibus Maritimis rectà ad Arelatū proficiscitur, adortúsque Francos, ampliùs XXX hominum millia occidit acie. vt Iordanes, & Paullus in Historiæ Miscellæ libro XV ac Sigebertus tradunt. Eâ victoriâ Alarici mors vindicata: Arelatenses obsidione liberati: & ora Galliæ à flumine Rhodano ad Alpes Maritimas vsque promissa, quam Odoacer Rex Eurico Alarici patri donauerat, Regnóque Italiæ absciderat; eidem reddita atque adiuncta est: totiúsque regionis imperium à Vesigothis ad Ostrogothos translatum. Auenio quoque, siue antea Alarico; siue (vt affirmat Gregorius) Burgundionibus paruerat, vnà cum castellis Druentiæ impositis, & Septimania in Theoderici potestatem redacta est. Ibam hunc, Iordanes Hibbam, Isidorus alíique Ebbanem vocant. eumdem plerique *Theoderici Ducem*, nonnulli *Comitem* dicunt. cuius de expeditione, victoriáque ex Francis lata, loquitur Magnus Aurelius Cassiodorus, cùm ait Venantio iuniore & Celere Coss. IↃVIII à Theoderico missum esse exercitum, qui Gallias Francorum incursione vastatas, victis eis ac fugatis, occuparet: loquitur & Auctor breuis Chronici de Regibus Vesigothorum à Duchenio editi, in quo falsò dicitur Theodericus Italiæ Rex Alarici generi sui vindicandi causâ Francos prostrauisse, & *Regnum Gothis totum restituisse.* siquidem regio vltra Rhodanum non Vesigothis, quorum fuerat, restituta est, sed in Theoderici Ostrogothorum Regis ditionem cessit: neque Aquitania Francis erepta est. Vbì notare conuenit, nec Cassiodorum Senatorem ambitiosum laudatorem Principum suorum, nec Procopium Cæsariensem istorum XXX millium cædis mentionem vllam facere. qua clade accepta, quantam ne in prœlio quidem Vogladensi intulisse Vesigothis videtur, Chlodoueus omnem Aquitaniam nondum bene pacatam citiùs quàm subegerat amissurus

fuit. Procopius Rhetor, qui à ceteris Historicis sæpe dissentit, in libro I belli Gothici de expeditione Vesigothica totóque eo bello sic scribit: Francos, quos Germanos appellat, cùm auctis viribus suis Theoderici Ostrogothorum Regis metum deposuissent, Alarico Vesigothorum Regi bellum intulisse, & ad Carcassonem opidum Volcarum Tectosagum castra fecisse: Alaricum autem coactis copiis contra eos consedisse, ibíque Theodericum socerum suum, qui accersitus cum magno exercitu in auxilium veniebat, exspectare constituisse. Cùm diutiùs sese castris tenuisset, suorúmque voluntati resistere non posset, indignantium agros ab hostibus impunè vastari, pugnámque seditiosis vocibus postulantium, ac per se negotium confici posse affirmantium, Regísque cunctationem secordiæ ac pauori assignantium; tandem inuitum prœlio decertauisse, victúmque ab Francis, & cum maxima parte suarum copiarum interfectum: & quòd Amalaricus puer admodum erat, Gesalicum, vel Gesalecum, Alarici ex concubina filium, à Vesigothis, qui prœlio superfuerant, Regem appellatũ esse. tum Francos partem maiorem Galliarum occupauisse, Carcassonémque, vbi gaza imperatoria & prasiis ornata vasa Salomonis Regis Iudæorum seruabantur, obsedisse: mox cognito Theoderici aduentu oppugnationem reliquisse, & regiones Galliæ vltra Rhodanum iacentes atque ad Oceanum pertinentes, hoc est Aquitaniam, subegisse. Theodericum verò, quod poterat, reliquam partem Galliæ Vesigothis antea subiectam, nimirum Narbonensem primam, vel Septimaniam, & Prouinciam inter flumen Rhodanum ac Alpes positam recepisse, & thesauris Carcassone sublatis Rauennam reuertisse, Gesalicóque mortuo, sub specie tutelæ Amalarici missis in Galliam & Hispaniam copiis, vtrique prouinciæ stipendium imposuisse. Quæ ferè omnia non solùm nostrorum Historicorum consensio, sed etiam res ipsa arguit ac refutat. quis enim credat fieri potuisse, vt Franci, Alarico non prohibente, totam, quàm longa est, Aquitaniam peragrarent, tot flumina montésque transirent, & ad fluuium Atacem, opi-

opidúmque Carcassonem, hoc est, ad fines Galliæ Narbonensis peruenirent, & cuius metu obsidionem soluerant, sub eius pæne oculis omnem Aquitaniam perdomarent? Omitto Auctorem Chronico Victoris adiunctum, Isidorum Hispalensem Episcopum, aliúmque scriptorem Chronici de Regibus Vesigothorum à Duchenio editi, qui, vti & nostri Historici, Alaricum Regem in agro Pictauo à Francis fusum acie cæsúmque esse memoriæ tradunt. & Cassiodoro Senatori, ac Cypriano in libris de vita Cæsarij, quàm Procopio, assentiri malo. è quibus Senator in Catalogo Consulum Romanorum scribit Theodericum Regem, à quo ipse Quæstor; Consul ordinarius; Magister Officiorum, Præfectus Præt. ac Patricius factus est, Venantio iuniore & Celere Coss. non venisse in Galliam, sed *exercitum aduersus Francos eò misisse.* IↃVIII. Cyprianus eumdem *Italiæ Regem missis Ducibus suis prouinciam Arelatensem ingressum* ait. Salomonis quidem Regis supellectilem Titum Vespasianum Hierosolymis toties iam expugnatis anno millesimo & XLV post Salomonis obitum deuexisse, eámque Vesigothos in vrbe Roma capta reperisse, & Carcasonem transtulisse non magis credo, quàm quod refert Cedrenus, Cosdroem Regem Persarum, victum absentem, atque fugientem, opes Crœsi Lydorum Regis, in opido Gazaco conditas à Cyro ante annos circiter CIↃCCLX, imminente Heraclio Aug. eruisse, secúmque abstulisse: & quod Procopius ipse in libro II belli Vandalici, & Procopium secuti Euagrius Scholasticus, Paullus Langobardus, ac Nicephorus Callistus tradunt, pretiosissima Templi Hierosolymitani ornamenta ac vasa, quæ Salomon in vsum sacrorum Deo dedicauerat, Vrbe iterum capta, Geisericum Vandalorum Regem in Africam portâsse, eadémque à Belisario Patricio, post victos Vandalos & occupatam Carthaginem, in triumphum translata Iustinianum Principem Hierosolymitanæ Ecclesiæ reddenda curauisse.

Non multo post bellum Vesigothicum confectũ Chlodoueus morbum ex continuatione laborum contraxit. cúmque Luteciæ Parisiorum per annum ferè ægrota-

uiſſet, hortante Tranquillino Archiatro, quem ars ſua deficiebat, accerſiuit ex Burgundia Seuerinum Monaſterij Acaunenſis Abbatem, virum ſanctitatis virtutúmque fama notiſſimum, rogauítque vt pro ſalute ſua Deum precaretur. quo facto ipſe quidem diuturna febri liberatus eſt, Seuerinóque permiſit, vt quos vellet vinculis liberaret, & quantam vellet pecuniam in egentes erogandam è fiſco acciperet. at Seuerinus, ſicut puto, exoratus à Rege remanſit in Francia, relictáque Lutecia, in caſtro Nantonenſi Senonum reliquum vitę egit, ibíque (vt Faſti Eccleſiaſtici docent) III Idus Februar. deceſſit, cuius in memoriam Childebertus Chlodouei filius ibidem ampliſſimam Eccleſiam exſtruxit.

Poſteaquam Chlodoueus conualuit, ab externo hoſte partim domito partim pacato in ciues arma conuertit, atque vt Regnum filiis firmum relinquat, cædibus Regum, quos ſanguine contingebat, opes amplificat. ac primùm Chloderico clàm per certos homines perſuadet, vt Sigibertum patrem ſuum admodum ſenem ac pede debilem occidat, Regnúmque eius occupet. Iuuenis malum ſecutus conſilium parentem egreſſum Coloniâ Agrippinâ, vt trans Renum in Buchonia ſilua Toringis confini venaretur, atque in tabernaculo meridiantem immiſſis latrunculis interficit, confeſtímque Chlodoueum de eius morte certiorem facit. Lætus ille nuntios iterum ad Chlodericum mittit præmonitos, quid fieri vellet, ab quibus Chlodericus, dum patris theſauros exponit, quorum partem Chlodoueo promiſerat, manúmque in arculam aureorum plenam demittit, vt erat cernuus, à tergo ſecuri capiti infixa occiditur. Chlodoueus, qui cœptorum exitum opperiens per flumen Scaldem nauigabat, vtriuſque morte cognita Coloniam Agrippinenſem contendit. eò cùm veniſſet, populum ad concionem vocat: docet Sigibertum à Chloderico filio, Chlodericum non multo pòſt ab alio quodam interemtum: affirmátque ſe amborum cædis ignarum fuiſſe, neque enim (quod facere nefas ſit) ſe in cuiuſquam propinquorum ſuorum necem durare. poſtremò vniuerſos hortatur, vt quoniam Rege ac

defensore egeant, in defuncti locum se substituant. Magnis acclamationibus & plausibus populi oratio Chlodouei excepta est, statímque impositus scuto Rex appellatur, & Regnum Sigiberti, hoc est Coloniam Agrippinam, ripámque Gallicam finitimam, ac regionem à Reno ad flumen Fuldam & Toringiæ fines vsque promissam sine pugna occupat. Hîc non possum non mirari, quòd Gregorius Turonicæ Ecclesiæ Episcopus, enarratis, quæ de Sigiberto ac Chlòderico supradixi, subiiciat Chlodoueum beneficio Dei quotidianis de hostibus victoriis fines Regni ampliauisse, propterea quòd rectissimâ voluntate esset, & (vt ipse loquitur) faceret quæ Deo placerent. tamquam aliquis ob cædes insontium & cognatorum suorum, & ob fraudes ac latrocinia gratus Deo esse acceptúsque possit.

In Chararicum Regem expeditio haud maioris molis fuit. Hic accersitus à Chlodoueo aduersus Syagrium, procul cum suis copiis constiterat euentum pugnæ speculaturus, vt cum victore fœdus iungeret. cuius perfidiæ atque iniuriæ memoriâ post annos ampliùs III ac XX nondum depositâ, Chlodoueus Chararico bellum intulit, hominémque quamuis versutum & callidum dolis circumuentum vnà cum filio cepit, ambósque vinctos tonderi, & alterum Presbyterum, alterum Diaconum ordinari iussit, deinde quòd contumeliæ impatientes minabantur se, postquam capilli recreuissent, ipsum interfecturos, vtriusque capita frustra priùs rasa abscindi imperauit, Regnúmque eorum ac thesauros occupauit. Ex quo intelligitur ambos patrem filiúmque, quacumque in Galliæ regione regnauerint, Christianos fuisse. non enim postquam ab Chlodoueo capti sunt, baptizati esse dicuntur, & Idolorum cultores Clericos fieri non potuisse nemo infitiabitur.

Regnabat tum in vrbe Camaraco finitimísque vltra flumen Suminam pagis Ragnacharius, ab Hincmaro Raganarius, à Roricone Ragnerius, ab aliis Ragenharius & Ragneharius dictus, Chlodouei cognatus & aduersus Syagrium Ægidij filium commilito, homo patriæ superstitionis tenax, & adeo in venerem præceps, vix

vt ſe à propinquarum corporibus abſtineret: habebátque Faronem vnicum amicum & conſiliarium, nulla re magis quàm morum ſimilitudine ſibi coniunctum, quocum, quidquid ſibi muneris datum eſſet, partiri conſueuerat. quibus rebus cùm grauiter Francos ei parentes offendi comperiſſet Chlodoueus, occaſione vſus quoſdam è Leudibus Ragnacharij (ſic Gregorius vocat populos, ac Proceres eius ditioni ſubiectos) armillis & balteis ex ære inaurato ad proditionem ſolicitat, armatúſque Regnum eius intrat. Ragnacharius coactis ſimiliter copiis ad certamen ſe parat, exploratoréſque, quos ſpeculatum miſerat, reuerſos interrogat, quantus hoſtium eſſet exercitus. hi corrupti à proditoribus reſpondere: tibi Faroníque tuo maiores ſunt copiæ. Quibus verbis confirmatus Ragnacharius in aciem deſcendit, ſuperatúſque prœlio cùm fugam capeſſere intenderet, à proditoribus comprehenditur, ac religatis poſt tergum manibus vnà cum Richario fratre ſuo ad Chlodoueum adducitur, illuſúſque ab Chlodoueo quærente, quare degener & oblitus regiæ ſtirpis ſe vinciri paſſus eſſet, nec tantam ignominiam voluntaria morte occupauiſſet, ab eodem ſecuri capiti infixa occiditur. Richarius, ne frater fratrem deſereret, eadem bipenni percutitur, adiectis verbis: ſi auxilium fratri tuliſſes, vinctus ille non fuiſſet. Faro captus & interfectus eſt. Tum deprehenſa fraude proditores Regem adeunt, queruntur æs inauratum pro auro ſe accepiſſe. quibus ille, vt erat meditatus, reſpondit meritò tali auro donatos eſſe voluntarios dominorum ſuorum proditores: vitam ipſis ſufficere debere, quos ob perfidiam excruciatos necari oporteret. Fulminati hacce miſeri exprobratione ſe humi proſtrauere, & nihil ampliùs præter vitam veniámque petere dixere, atque ita deriſi diſceſſere. Omittere non poſſum, quod ait Rorico Monachus Gregorij verbis non intellectis deceptus, *Francos ſuperiores* (ita Francos Ragnachario parentes vocat, credo quòd Septemtrionalia Galliæ tenebant) Ragnacharium *ob nefandum crimen & ſcelus horrendum* ſuppliciis Sodomitarum expiandum, hoc eſt, ob vſum puerorum exoſos

esse. Quod verò addit eos Chlodoueum in Ragnacharij bellum impulisse, idem vetus Auctor Historiæ Francicæ, Theoderici Merouingorum Regum penultimi æqualis, & Aimoinus in libro primo scribunt, nimirum primores Francorum Ragnacharij imperio subiectorum, Regi suo ob libidines ac desidiam infestos, missis clàm nuntiis Chlodoueo promisisse, si pretium operæ esset, & Ragnachario bellum inferre vellet, se ad ipsum armatum citra prœlium transituros, & Ragnacharium viuum tradituros esse. quibus Chlodoueus, vt libentiùs exsequerentur quæ obtulerant, pro auro æs inauratum miserit, móxque cum copiis Regnum Ragnacharij ingressus sit. quem ego Ragnacharium existimo, cùm in vrbe Camaraco quondam à Chlodione Francorum Rege capta regnauerit, Chlodionis pronepotem fuisse. Regnabat in vrbe Cenomanis Regnomeris, aliis Rignemirus, aliis Ragnimirus dictus, qui ne Ragnacharij & Richarij fratrum suorum mortem vlcisceretur, iussu Chlodouei Regis interemtus est, singulorúmque regna & thesauri vni cessere. Eum in modum interfectis præter supradictos Principes multis aliis Regibus, & propinquis suis, Chlodoueus quidquid Francis subiectum erat, nimirum pagos Germaniæ Transrenanæ complures, & partem maximam Galliarum occupauit, atque ita prouidit, ne quisquam in Francia regnaret, qui ipso mortuo liberis suis, tum excepto Theodorico admodum iuuenibus, bellum inferre aut Regnum adimere posset. Idem tamen, vt erat callidus, adstantibus Optimatibus Francorum & populo, qui ex more iussi conuenerant, dixisse fertur miserum se, qui destitutus, tamquam hospes & peregrinus, inter externos in aliena terra remansisset, amissis propinquis omnibus suis, à quibus in rebus aduersis adiuuari posset. quod ideò dicebat, vt si quis superesset longa ipsum cognatione contingens, affectata orationis simplicitate deceptus sponte se proderet, professúsque stirpem regiam ac propinquitatem Chlodouei interimeretur.

Dum in Septemtrionali Gallia dolo res geritur, ad Meridiem virtute certabatur. Fusos fugatósque ab Iba

Theoderici Oſtrogothorum Regis Duce Francos ſupradiximus. ſæpe poſtea inter Theodericum, & Chlodoueum eiúſque filios graui bello & variâ victoriâ de Gallia, nimirum de ea parte, quæ inter Alpes Maritimas & Pyrenæum interiacet, pugnatum eſſe ex verbis Leontij ad Theodebaldum Francorum Regem apud Procopium cognoſcimus, *nec vmquam* (vt ait Iordanes) *dum vixit Theodericus, Gothi Francis ceſſere*. Quippe Importuno V.C. Conſule Mammo quidam, *Dux Gothorum*,
IↃIX. (margin) hoc eſt Oſtrogothorum, à Mario in Chronico dictus, partem Galliæ, quam Chlodoueus Veſigothis ereptam
IↃX. occupauerat, depopulatus eſt. & Boëthio Coſ. Gundobadus Rex Burgundionum, Chlodouei tum ſocius & amicus, quem Senator Gundibadum, Marius Gundobagaudum appellat, Narbonem Martium cepit ac diripuit, victo fugatóque Geſalico Rege. qui tantâ acceptâ clade cùm turpiter Barcinonem ſe cõtuliſſet, Hoericúmque in Palatio interfeciſſet, ob ignominioſam fugam (vt ait Iſidorus in Chronico) à Theoderico Oſtrogothorum Rege Regno ſpoliatus eſt. Quamquam Theodericus ipſe apud Caſſiodorum Senatorem in libri V epiſtola XLIII Geſalicum propterea pulſum ſcribit, quòd dum à ſe foueretur, hoſtibus ſuis, hoc eſt Francis, clandeſtino fœdere eſſet adiunctus. Et ille quidem vir, neſcias infelicior, an inertior, ab Iba Theoderici Regis Duce Hiſpaniæ finibus expulſus in Africam perfugit. vbi à Thraſamundo Vandalorum Rege Theoderici ſororis viro non impetratis, quæ petierat vt in Regnum reſtitui poſſet, auxiliis, ſed acceptâ tantummodò pecuniâ, Aquitaniam petiit, in qua annum vnum permiſſu Chlodouei latuit. poſtremò cum Francorum copiis ingreſſus Hiſpaniam obuium habuit ſupradictum Ibam, quem Auctor Appendicis Victoris Chronico inſertæ pro Hebbane Helbanem; Paullus Hippam vocat. Igitur commiſſo prœlio ad duodecimum à Barcinone milliarium funditur fugatúrque Geſalicus, captúſque trans Druentiam flumen Galliæ, cùm ad Burgundiones
IↃXI. confugeret, Felice & Secundino Coſſ. quarto regni ſui anno interficitur. Quas ob victorias Ibam *virum Spe-*

ſtabilem, Ducem bello clarum & glorioſum, ſuíſque fa-
ctis commendabilem apud Senatorem in libri IV epi-
ſtola XVII ad eum ſcripta appellat Rex ipſe Theode-
ricus.

Interea Chlodoueus Francorum Rex, oblatam ſibi
rei bene gerendæ facultatem ratus, Indictione III Boë-
thio ſolo Conſule magnas copias, quæ Arelatum obſi- IↃX.
derent, miſit. Et iam Franci agris Prouinciæ igne &
ferro vaſtatis vrbem oppugnabant, atque ad vltimum
inopiæ opidanos adduxerant: cùm venere miſſi à Theo-
derico cum exercitu Duces, in his Tolum, vel Tholuit
Oſtrogothus, poſtea ab Athalarico Rege Patricius fa-
ctus, & in affinitatem receptus. quorum aduentu Fran-
ci primùm à ponte nauali flumini Rhodano impoſi-
to; deinde ab vrbe repelluntur, & Arelatenſes iterum
obſidione liberantur. Eo Gallicanæ expeditionis exi-
tu lætus Theodericus muros ac turres vrbis huius de
ſe tam bene meritæ pecuniâ ſuâ refecit, & Prouinciali-
bus ob recentem calamitatem agrorúmque ſuorum po-
pulationem; Arelatenſibus ob fidem ſibi exhibitam in
annum ſequentem Indictionémve quartam tributum
remiſit, ac inſuper frumentum gratuitum præbuit. Eo- IↃXI.
dem anno Indictione IV Felice & Secundino Coſſ. non,
vt ait Auctor ſupradictæ Appendicis, Probo Coſ. Geſa- IↃXIII.
licus Veſigothorum Rex ab Iba Duce victus interfici-
tur, vt antè diximus. poſt quod factum Theodericus
Oſtrogothorum Rex ſub ſpecie tutelæ Amalarici pue-
ri nepotis ſui Regnum Veſigothicum occupauit, at-
que annos XV, quamdiu ſuperuixit, Galliæ & Hiſpa-
niæ prouincias, quæ Veſigothorum Regibus paruerant,
abſens adminiſtrauit: & Galliæ quidem Petrum Mar-
cellinum Felicem Liberium V. C. & Illuſtrem Præfe-
ctum Prætorij Galliarum atque Patricium; Hiſpanienſi
autem exercitui, & tutelæ Amalarici Theudim Armi-
gerum ſuum præpoſuit: & pecunias ac ſtipendia ex his
prouinciis Rauennam ad ſe quotannis à Quæſtoribus de-
portari iuſſit. quare inter Veſigothorum Reges ab Ala-
rico maiore vndecimus numeratur. Quæ feciſſe Theo-
dericum exiſtimo non tam impulſum cupidine profe-

rendi fines, quàm quòd Amalaricum puerum admodum consilio & auxilio suo plurimùm egere, nec nisi armis & viribus suis regnum aduersus Francos defendere posse intelligebat.

Tum quidem pacem cum Gundobado Burgundionum Rege fecisse videtur Theodericus, & certis cum eo finibus Prouinciam diuisisse: quam ob id Auitus Viennensis Episcopus, in epistola ad Faustum & Symmachum Senatores Vrbis, *Prouinciam præfixis Regnorum terminatam limitibus* appellat.

IↃXI. Felice & Secundino Coss. Chlodouei Regis iussu XXXII Episcopi in Aurelianensi vrbe conuenere, & de quibus ab eo consulebantur Ecclesiæ Gallicanæ rebus egere. Synodo præfuit, primúsque subscripsit Cyprianus Episcopus Burdigalæ Metropoleos, is qui Con-
IↃVI. cilio apud Agatham Messalla Consule permissu Alarici Regis Vesigothorum habito interfuerat, secundúsque subscripserat. Interfuere Episcopi vtriusque Aquitaniæ, & Nouempopulorum; prouinciarum Lugdunensium tertiæ, secundæ, atque Senoniæ; & Belgicæ secundæ. in his viri sanctissimi, & omnium virtutum gloriâ celeberrimi, Gildaredus, vel Gildardus Rotomagensis Ecclesiæ Metropolitanus; Quintianus Rutenicus; Euphrasius Aruernicus; Heraclius Parisiacus; Lupus Suessionicus; Camillianus Tricassinus, à quibusdam corrupto nomine Camelianus dictus; Auentinus Carnutenus, successor Sollemnis eius, qui Francos fidem Christianam laboriosissimè edocuit, multósque ad veram religionem perduxit; & Melanius Redonicus, quo auctore Chlodoueus Rex multas Ecclesias partim nouas exstruxisse, partim dirutas aut vetustate collapsas refecisse, Monasteria excitauisse, egentes pauisse, ius cuique suum seruauisse, Dei seruis, cuiuscumque essent ordinis, honorem habuisse, atque diuinum cultum pro viribus amplificauisse dicitur. Quo magis miror, cùm Episcopi prouinciæ Belgicæ, nimirum Lupus Suessionum, Hedybius Ambianorum, Sophronius Veromanduorum, Libanius Siluanectum, in vrbem Aurelianos conuenerint; Remigium eiusdem prouinciæ Metropolitam,

litam, Chlodouei Regis amicum & Consiliarium, ac
Francorum (vt ita loquar) Apostolum; & Vedastum
Atrebatum Episcopum sanctæ tot tantorúmque Sacer-
dotum Synodo non interfuisse: atque neminem vnum
de Episcopis Belgicæ primæ, & superioris, inferiorísque
Germaniæ, quæ tres prouinciæ tum sub imperio Chlo-
douei erant, eò se contulisse. Sacerdotes, postquam de
rebus Ecclesiæ profuturis egerant, VI Idus Iul. Felice IↄXI.
V.C. Consule statutis subscripsere, & ad Chlodoueum,
quem *Dominum suum, Catholicæ Ecclesiæ filium, glorio-
sissimum Regem* appellant, legatos cum litteris misere
petitum, vt Synodi decreta, si tamen iudicaret recta
esse, consensu & auctoritate regia confirmaret, & pro
sua fide ac religionis Catholicæ colendæ cura à populis
suæ ditionis seruanda curaret. in Canone V supradicti
Concilij oblationum & agrorum, quos Chlodoueus
Rex Ecclesiis contulerat, fit mentio.

Paucis post dimissum Concilium mensibus Chlodo-
ueus Luteciæ Parisiorum decessit, anno ætatis quinto
& quadragesimo, regni tricesimo, post prœlium Vogla-
dense quinto semipleno, Felice & Secundino Coss. atque IↄXI.
quatuor filios, ex vno etiam nepotem, superstites reli-
quit, & in sacrario Basilicæ Sanctorum Apostolorum,
quam ipse paullo antè hortatu coniugis exstruxerat,
Canonicísque attribuerat, humatus est. vir, cui ad au-
gendas Francorum opes stabiliendúmque Regnum nec
fortitudo cum felicitate coniuncta, nec calliditas de-
fuit. meritò vt Gregorius in Præfatione libri V Histo-
riæ, dum in bellum ciuile Sigeberti ac Chilperici inue-
hitur, Chlodoueum *caput*, hoc est initium, *victoriarum*
Regum Francorum, & alio in loco *Magnum* appellet;
Remigius, in epistola ad Heraclium, Leonem, & Theo-
dosium Episcopos, *præcellentissimum Regem, regionum
præsulem, gentium triumphatorem.* qui etiam in alia epi-
stola, in qua mæstum eumdem sororis morte consolatur,
vigorem prouidentiæ eius ingenitæ, hoc est, innatæ pru-
dentiæ laudat. Sepultus est Chlodoueus in Basilica A-
postolorum V Kalendas Decembres, vti docent duo
vetera Kalendaria manuscripta eius Ecclesiæ, in quibus

v Kal. Decembr. *depoſitio magni Regis Chlodouei* notatur, quam depoſitionem, ſiue humationem hodiéque ibidem eo die anniuerſariis precibus celebrari conſtat. Gregorius in libro Hiſtoriæ II Chlodoueum morte functum ſcribit anno vndecimo poſtquam Licinius factus erat Turonicæ Eccleſiæ Epiſcopus, atque à Martini obitu ad Regis mortem annos CXII computat. idem tamen, in fine libri X atque operis ſui Turonicos Epiſcopos ordine enumerans, Briccio, vel Bricchioni Martini ſucceſſori Epiſcopatus annos XLVII; Euſtochio XVII; Perpetuo XXX; Voluſiano VII; Vero XI; Licinio XII, ac menſes ferè III aſſignat. itaut ſi Sacerdotij Licinij anno XI Chlodoueus deceſſit, à Martini morte ad eius interitum annos eſſe CXXIII oporteat.
CCCXC-VII. Præterea ab Attici & Cæſarij Conſulatu, quo anno (non
CCCC. autem, vt Proſper ſcribit, Stilicone & Aureliano Coſſ.) Martinum octogenario maiorem obiſſe tradit Grego-
IↃXI. rius, ad Felicem & Secundinum Coſſ. ſiue ad Chlodouei mortem anni ſunt non CXII, ſed CXIV. Quod porrò ait Gregorius, Licinium Andecauum Eccleſiæ Turonicæ præfuiſſe, tum cùm Chlodoueus Cæſarodunum Turonum Veſigothis victis intrauit, verum quidem eſſe poteſt. ſed quod dicit, vndecimo Epiſcopatus eius anno Chlodoueum deceſſiſſe, haud dubiè falſum
IↃVI. eſſe debet. quippe Meſſalla V. C. Conſule Verus Turonicam adhuc Eccleſiam regebat, ſicuti ex Synodo apud Agatham permiſſu Alarici Regis habita intelligitur. à
IↃVI. Meſſalla autem & Areobindo Coſſ. Felicis & Secundini Conſulatus annus eſt quintus. itaut Licinius, tametſi Meſſalla Coſ. ſub finem anni pulſo Vero Epiſcopatum
IↃXI. inierit, tamen Felice & Secundino Coſſ. cùm Chlodoueus obiit, annum Sacerdotij quintum tranſgreſſus non fuerit. Nemini autem mirum videri debet, quod ait Gregorius, Chlodoueũ anno ętatis quinto & quadrageſimo, regni triceſimo è vita exceſſiſſe, ac nihilominùs Theodebertum ex Theodorico filio ſuo nepotem pulchrum & iam tum ſtrenuum reliquiſſe ſuperſtitem, qui anno quinto poſt eius mortem à patre aduerſus Danos cum exercitu miſſus ſit. Nam ſi Childericus non am-

pliùs XXIV regnauit annos, quorum pars ſunt octo exſilij eius anni, atque ſi idem anno octauo, quàm pulſus fuerat, reſtitutus in Regnum mox Baſinam duxit vxorem, Chlodoueúmque ex ea tulit: apparet Chlodoueum, cùm paterno Regno ſucceſſit, XV tantùm annos natum fuiſſe, quibus adiecti triginta imperij Chlodouei anni annos ſolummodò quinque & quadraginta conficiunt. Theodoricus verò, Chlodouei ante ductam Chrothildem ex concubina filius, cùm patrem amiſit, annos XXVIII habere potuit: Theodebertus, Theodorici ex iuſta & legitima vxore filius annum duodecimum tum agere potuit, itaut quinto pòſt anno copias duceret. niſi ſi negare quis velit hominem maſculum anno ætatis ſeptimodecimo generare poſſe. Sigebertus in Chronico, quo nihil ferè eſt in temporum notatione confuſius, anno II poſt Synodum Aurelianenſem, Chriſti IↃXIV Chlodoueum deceſſiſſe tradit.

Non alienum erit hoc loco ſubiicere verſus, quos Remigium Remorum Epiſcopum feciſſe, & tumulo Chlodouei inſcripſiſſe haud falsò forſitan ait Aimoinus: in his enim Chlodoueus *felix meritis* dicitur, vt à Remigio in duabus epiſtolis *Dominus illuſtris meritis*, item *Dominus inſignis & meritis magnificus Chlodoueus Rex* appellatur. Verſus tales ſunt.

Diues opum, virtute potens, clarúſque triumpho
Condidit hanc ædem Rex Chlodoueus, & idem
Patricius magno ſublimis fulſit honore.
Plenus amore Dei, contemſit credere mille
Numina, quæ variis horrent portenta figuris:
Mox purgatus aquis, & Chriſti fonte renatus
Fragrantem geſſit infuſo Chriſmate crinem:
Exemplúmque dedit, ſequitur quod plurima turba
Gentilis populi, ſpreto quæ errore ſuorum
Auctorem eſt cultura Deum, verúmque parentem.
His felix meritis ſuperauit geſta priorum,
Semper conſilio, caſtris, belliſque tremendus:
Hortatu Dux ipſe bonus, ac pectore fortis:
Inſtructas acies firmauit, in agmine primus.

Quibus in verſibus virtutem ac fortitudinem Chlodo-

uei, agmen ducere & inter primos dimicare ſoliti, prudentiam, felicitatem, naturalem quamdam eloquentiam, quoties milites alloqui & ad pugnam hortari oportebat, non immeritò laudari fateor. Vna eſt, in qua iure culpetur, prolatandi Regni libido. Quippe Chlodoueus cauſas bellorum ex interminata auiditate animi finitima quæque tenere cupientis plerumque accerſiuit, & omnem occaſionem promouendorum imperij finium quamuis iniuſtam auidè ſemper arripuit. præterea inerat in eo Principe plurimum Germanæ feritatis, adeò vt non minùs propinquis quàm hoſtibus perniciosſus fuerit. Primus ille omnium Franciæ Regum, vt Francicum Regnum in Gallia, ſic potentiam inter populares valdè auxit ſuam. neque enim ſucceſſores eius prædæ partem cum militibus ſuis æquo iure ſortitos, aut in conciliis à populo Duces delectos fuiſſe legimus. quod vtrumque regnante Chlodoueo factum eſſe vrceus Remenſis Eccleſiæ in fine ſuperioris libri memoratus, & Remigius Remorum Epiſcopus in epiſtola ad Chlodoueum ipſum miſſa docere videtur his verbis. *Rumor ad nos magnus peruenit adminiſtrationem vos ſecundùm rei bellicæ ſuſcepiſſe. Non eſt nouum, vt cæperis eſſe, ſicut parentes tui ſemper fuerunt.* quibus verbis nihil aliud (niſi fallor) Remigius indicat, quàm Chlodoueum Regem in Campo Martio delegatam ſibi iterum à populo armato curam magni alicuius belli, ſummámque imperij ſuſcepiſſe.

Ceterùm notandum eſt, quod in libro II ait Gregorius, Chrothildem Reginam poſt Chlodouei viri ſui obitum Turonos, hoc eſt Cæſarodunum Turonum ſe contuliſſe, vt Baſilicam Martini, cuius memoriæ magnum honorem habebat, adire frequẽtiùs poſſet, ibíque, quamdiu vixit, ſummâ pudicitiæ & benignitatis famâ moratam eſſe, raróque Luteciam Pariſiorum veniſſe. Quamquam idem Gregorius in Hiſtoriæ libro III tradit Chrothildem viduam *Pariſiis moratam* eſſe, eáque in vrbe Chlodomeris Regis filios nepotes ſuos, patre orbatos educauiſſe. Adiicit eam ita ſe poſt viri mortem geſſiſſe, vt omnibus venerationi eſſet: caſtitatis & pudici-

tiæ magnam curam habuisse: nocturnis precationibus in Ecclesia agi solitis interfuisse: egentibus benignè fecisse: Ecclesiis, Monasteriis, & quibusque locis sanctis prædia, quorum Clericos & Monachos indigere animaduerterat, largè contulisse: ac se non tam Reginam, quàm humilem Dei ancillam esse meminisse, quæ nec Regno filiorum, nec potentia sua, nec amplissimis opibus ac possessionibus insolesceret. Chrothildis autem, cùm puella admodùm Chlodoueo nupserit, annum regni duodecimum agenti, & annos duodeuiginti cum eo vixerit, anno ætatis circiter XXXVI virum videtur amisisse. quam Francorum Reginam, Burgundionum Regis filiam, Anna verè Felix Augusta Francorum Regina, regio Ducum Burgundiæ genere orta, cùm in aliis; tum in circumeundis ac locupletandis Ecclesiis vidua viduam imitatur.


Initio eius anni, quo Synodus apud Aurelianos habita est, vt ait Sigebertus, hoc est, Felice & Secundino Coss. tertio Nonas Ianuarias Beatissima Genouefa Parisiorum patrona decessit: femina professione virginitatis venerabilis, nec minùs vitæ quàm pudicitiæ integritate sancta. cuius & virtutes viuæ admirata Lutecia est, & cælo receptæ præsens auxilium contra febres, nimiósque imbres ac siccitates experitur. Sepulta est in Basilica Apostolorum, nonnumquam à Gregorio Basilica Sancti Petri dicta: quam ob id postea *Ecclesiam Sancti Petri, & S. Genouefæ* coniunctim; sæpe etiam simpliciter *Ecclesiam S. Genouefæ* appellauerunt. Genouefam natione Francam fuisse nomen Germanicum docet, compositum vt Genobaldus, Marcouefa. siue eius maiores à Romanis bello capti, & in vico agri Parisiaci Nammetoduro vel Nemptodoro collocati fuerant: siue sponte patriâ relictâ ibi consederant, atque inter Gallos Gallicis moribus & ritibus assuescendo, cultum idolorum Christiana religione mutauerant. Aimoinus Monachus Genouefam Virginem, natam Honorij & Theodosij minoris principatu, atque ab Germano, Autessiodurensi ciue & Episcopo, in Britanniam proficiscente consecratam, post parentum suorum obi-

1311.

tum, regnante Childerico Luteciam Parisiorum commigrauisse tradit, ibíque vsque ad Childebertum & Chlotharium Reges vixisse. at octogenariam obisse Genouefam præter ceteros Sigebertus scribit: & à morte Honorij Aug. ad Chlodouei Genouefæque obitum anni sunt LXXXVIII: vt non computentur anni, quos & Honorio Principe, & Childeberto ac Chlothario regnantibus Genouefa vixisse super apud Aimoinum dicitur. Sed & quidam à Villico Carnuteno Episcopo, non à Germano, (vt Vsuardus & Aimoinus produnt) sacro velamine capiti imposito, Deo dicatam Genouefam tradunt. certè Germanum vnà cum Lupo Tricassino
CCCC-XXIX. Episcopo Florentio & Dionysio Coss. hoc est annis LXXXIII ante Chlodouei & Genouefæ mortem, in Britanniam traiecisse reperio in Fastis Tironis Prosperi Aquitani, quem tamen Beda non sequitur. Præterea Auctor libri de vita Genouefæ Virginis, multo antequàm Childericus in parte Galliæ regnaret, nimirum Placidi Valentiniani principatu Luteciæ Parisiorum consedisse eam putat. siquidem cùm Attila in Gallias irrupisset, omnésque perterriti fugâ sibi consulere pararent, sanctam Virginem conuocatis opidanis persuasisse ait, vt ieiuniis, peruigiliis, ac precationibus Deum iratum placarent, domíque remanerent. nam vrbes, quàs insulâ suâ munitiores existimarent, & quò se ac sua conferre statuissent, expugnandas ab Hunnis, & Barbarorum sæuitiam ac auaritiam experturas esse: Luteciam saluam & intactam fore. ab Attilæ autem aduentu in Galliam ad Chlodouei & Genouefæ obitum anni sunt LXI. mirum vt sit ac pæne incredibile puellam, vix annorum viginti, virorum se circulis inseruisse, atque de fuga cogitantes auctoritate sua ab incepto deterruisse. Denique quis non miretur eumdem Auctorem affirmare, Genouefam ob merita atque virtutes Childerico Francorum Regi, Comitibúsque Childerici tantæ venerationi & amori fuisse, vt ei Rex (quod & Chlodoueus fecisse veriùs dicitur) damnatorum supplicia condonauerit. cùm non solùm Childericus idola coleret, sed etiam Chlodionis & Merouei exemplo

Samarobriuæ Ambianorum; (vti ait Rorico) non autem Luteciæ Parisiorum habitaret: quam vrbem à Chlodoueo eius filio primo nostrorum Regum, post fusum acie cæsúmque Alaricum, sedem delectam dicit Gregorius. à quo ita dissentit Auctor libri de vita Genouefæ, vt non modò Luteciam Parisiorum diu obsessam, habitante ibi Genouefa, ac tandem captam esse à Childerico Rege Francorum; (quod verum esse potest) sed etiam sedem Regni statutam scribat.





HADRIANI VALESII

RERVM FRANCICARVM LIBER SEPTIMVS.



MORTVO Chlodoueo Francorum Regi quatuor filij succeſſere: quorum cum ætate corporis animíque virtutes in tantum adoleuere, vt pro vno quatuor Chlodouei Francis dati eſſe viderentur. quippe ſicut eorum pater Alamanniam Sueuiámque ſubegerat, & Aquitaniam Veſigothis eripuerat: ſic ipſi Regna Toringorum, & Burgundionum, validiſſimarum gentium, ſub imperium ſuum ditionémque ſubiunxere. Maior natu Theodoricus vocabatur, quem Chlodoueus, antequam Chrothildem vxorem duceret, ex concubina ſuſceperat. tres aliós, nimirum Chlodomerem, Childebertum, & Chlotharium, ex Chrothilde vxore genuerat. Hos Agathias, in libro primo rerum auſpiciis Iuſtiniani Aug. geſtarum, *Childibertum*, *Chlotharium* vel *Lotharium*, *Theudericum*, & *Chlothomerum*, ſuo quemque nomine, ſed non ſeruato ordine natalium appellat: minimum enim natu Chlotharium maximo præponit. At Iordanes manifeſto errore tres tantùm filios Chlodoueo fuiſſe putat. ſic enim in libro de Origine Gothorum ſcribit,

Theo-

Theodericum Ostrogothorum Regem, post victum & interfectum Odoacrem, póstque occupatum Regnum Italiæ, Audefledam Chlodouei filiam in matrimonium petiisse: quam libenter Theoderici legatis Chlodoueus tradiderit, futurum credens, vt *filij sui Ildebertus, Cheldebertus, & Tuidepertus* hac affinitate cum gente Gothorum inito fœdere sociarentur. sed non multùm ad pacem atque concordiam affinitatem istam profuisse, quia sæpe propter Galliam grauia inter se bella gesserunt. Vbi nemo non videt Ildebertum, & Cheldebertum, vnum vnius eiusdémque, nimirum Childeberti, nomen esse: Tuidepertum verò, vel potiùs Tiudepertum, Chlodouei ex Theodorico nepotem fuisse, non filium. itaut tres Chlodouei filij ab Iordane commemorati ad vnum redigantur. Theodoricus, cùm patrem amisit, XXVIII annos habere potuit, vt supradiximus. Chlodomeres maximus Chlodouei ex Chrothilde filiorum saltem decennio minor fuit.

Igitur quatuor Chlodouei filij Regnum paternum inter se diuisere, & in ea parte, quæ cuique sortitò obtigerat, singuli regnauere. vnde factum est, vt singulæ partes, vel Regna *sors* appellarentur: quemadmodum in decretis Concilij apud Aruernos habiti, & Synodi Aurelianensis tertiæ vocari inuenio. Rorico Monachus, vnus ex omnibus nostris Historicis, à Chlodoueo ægrotante, paullo antequam decederet, conuocatis Francorum Optimatibus, quorum consensu & iureiurando diuisionem approbari oportebat, Regnum inter filios diuisum esse scribit. quod Dagobertum, Chlodouei abnepotem, Regum Francorum ~~primum~~ optimum fecisse, & postea (ne de Præfectis Palatij loquar) Pippinum Paruum, Carolum Magnum, ac Ludouicum Pium animaduerto. Quæ singulis vrbes atque prouinciæ sorte obuenerint, scire non possumus: cùm quòd nostri Auctores eius rei nullam mentionem faciunt: tum maximè quòd Chlodomeres anno XIII post Chlodouei parentis sui obitum à Burgundionibus interfectus est, eiúsque Regnum Theodoricus, Childebertus, & Chlotharius inter se partiti sunt. vnum omnino ex Fredegario Scho-

laſtico, Aimoino, & Roricone Monacho diſcimus, Theodoricum Diuoduri Mediomatricum; aut (vt Roriconi placet) Durocortori Remorum ſibi domum conſtituiſſe: Chlodomerem vrbem Aurelianos regiam delegiſſe: Childebertum Luteciæ Pariſiorum Regni ſedem ſtatuiſſe, à qua *Rex Pariſiorum* is Gregorio dicitur: Chlotharium Auguſtæ Sueſſionum habitauiſſe. Nihilominùs tamen facile eſt intelligere falsò Gregorium tradidiſſe, Regnum paternum *æqua lance*, & optima fide inter fratres eſſe diuiſum. quippe ſiue diuiſioni & ſortitioni faciendæ præpoſitos Theodoricus pecuniâ corruperat, ſiue quo alio dolo & fraude fratres ſuos admodum adoleſcentes & rerum imperitos deceperat, conſtat Regni paterni partem maiorem atque meliorem Theodorico natu maiori ſorte obueniſſe. is enim Albienſes, à quibuſdam Albigenſes dictos, Rutenos, Cadurcos, & Aruernos, Aquitanorum populos, quos patris auſpiciis poſt prœlium Vogladenſe ſubegerat, præterea prouinciam Belgicam primam, ſuperiorem inferiorémque Germaniam, Alamanniam vnà cum Sueuia, & Franciam veterem vel Tranſrenanam ſortitò obtinuit: itaut fines eius initium caperent à Rutenis prouinciæ Narbonenſis primæ conterminis, & ad Saxoniam pertinerent. Tum primùm noua nomina ab Francis excogitata ſunt, & Galliarum prouinciis impoſita. Auſtriam, vel Auſtraſiam appellauere Franci partem Galliæ ad orientem Solem meridiémque ſpectantem, quæ Reno ac Moſa fluminibus continetur, cum Tranſrenanis gentibus Francicæ ditionis. partem ad Septemtriones occaſúmque Solis vergentem, quæ inter Moſam & Ligerim interiacet, Neuſtriam, vel Neuſtraſiam, nonnumquam Neptricum vel Nepτriam vocauere. Burgundiæ, & Aquitaniæ ſua nomina reliquere. & Franci quidem, qui Neuſtriam incolebāt, Neuſtraſij; qui Auſtriam habitabant, Auſtraſij ſunt dicti.

Recens Auctor, non tam Epiſcopatu quàm doctrina illuſtris, Nouempopulanam, vel Vaſconiam, & Aquitanicam primam, ac ſecundam, Regni Aurelianenſis, quod Chlodomeri obuenerat, prouincias fuiſſe ſcribit: è quibus Nouempopulana, poſt Chlodomeris mortem, Chil-

deberto in partem cesserit. quod ego à tanto viro scriptum nollem. cùm Gregorius præter ceteros initio libri tertij Historiæ tradat, post quadriennium quàm Chlodoueus decesserat, apud Aruernos in locum Euphrasij Quintianum electione populi Episcopum subrogatum esse. at Apollinarem, Sidonij quondam Aruernorum Episcopi filium, impulsum à Placidina vxore, & Alcima sorore, ad Regem (nimirum Theodoricum) venisse, oblatísque multis muneribus Episcopum ordinatum esse, atque menses non ampliùs IV Episcopatu malè vsum obiisse. qua re cognita *Theodoricum* Aruernæ Ecclesiæ Quintianum præponi iussisse. Ex quo intelligitur Aruernos, gentem validam Aquitaniæ, (ne de Albiensibus, Rutenis, & Cadurcis loquar) anno quinto post Chlodouei mortem, hoc est octo annis ante Chlodomeris cædem, Theodorico Mediomatricorum vel Mettensium Regi paruisse, partémque Regni eius, non Chlodomeris fuisse.

Et quoniam suprà de Apollinare & Alcima mentio facta est, notare conuenit Apollinarem hunc fuisse Apollinaris Sidonij, qui primò Præfectus Vrbis, & Patricius, deinde Aruernorum Episcopus fuit, filium, Auiti Augusti ex Papianilla filia Sidonij coniuge nepotem, qui in acie Vogladensi Aruernis præfuit, & ad quem sunt Auiti Viennensis Episcopi aliquot epistolæ, *Apollinari Illustrissimo*, & *viro Illustri Apollinari* inscriptæ, in quibus eum *Dominum & fratrem*, ac in epistola ad Euphrasium *virum Sublimem ac piissimum, fratrem suum Apollinarem, Domni Sidonij filium, Magnificúmque* Auitus appellat. Hic Apollinaris, à Sidonio patre in epistola IX & XI libri V memoratus, sororem habuit nomine Alcimam, & ex Placidina vxore Arcadium genuit. vnde *Placidinam, matrem Arcadij;* & *Alcimam, sororem patris eius;* hoc est amitam Arcadij; Arcadium autem ipsum, *Senatorem Aruernum* in libro Historiæ III vocat Gregorius. qui & in libro de Gloria Martyrum Apollinarem vnà cum Victorio Aruernorum séxque finitimarum ciuitatum Duce Italiam petiisse tradit, Victorióque Romæ ob adulteria interfecto, comprehensum

à Romanis, ac Mediolanum in liberam custodiam missum esse: & equo fugientem, comite puero, custodes euasisse, ac in opidum Aruernos reuertisse. Arcadio, Apollinaris filio, Apollinaris Sidonij & Papianillæ nepoti, Auiti Principis pronepoti, filia fuit Placidina, quæ Leontio, homini nobilissimo prouinciæ Aquitaniæ, postea Burdigalensi Episcopo futuro nupsit, eíque superstes fuit. vt Venantius Clementianus Fortunatus in libri I Carmine XV docet his versibus.

Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre,
Quæ tibi tunc coniux, est modò cara soror.
Lumen ab Arcadio veniens genitore refulget,
Quo manet Augustum germen, Auite, tuum:
Imperij fasces toto qui rexit in Orbe,
Cuius adhuc pollens iura Senatus habet.
Sed genus ipsa suum sensus moderamine vicit,
Cuius ab eloquio dulcia mella fluunt.
Clara, serena, decens, sollers, pia, mitis, opima,
Quæ bona cuncta gerit, quidquid honore placet,
Moribus, ingenio, meritorum luce coruscans.
Ornauit sexum mens pretiosa suum.

Hic est Leontius, qui iuuenis (vti significat Fortunatus) Childebertum Regem Francorum in Hispaniam secutus est: posteáque Episcopus Burdigalæ Basilicam S. Mariæ; Mediolani Santonum in patria sua Ecclesiam exstruxit: Bissonnum, Vereginim, & Præmiacum villas Burdigalenses restituit & excoluit: ac mille aureis à Chariberto Rege multatus est, propterea quòd Emerium, quem Chlotharius apud Santonos Episcopum faciendum curauerat, post Chlotharij mortem Episcopatu deiecerat. Ceterùm cùm ex aliis, tum ex facto vtriusque Placidinæ auiæ & neptis cognoscitur mulieres nobiles à viris suis libenter secubuisse, dummodò eos Episcopos viderent: vímque omnem suam ad id contendisse. Hæc in gratiam Apollinaris Sidonij scripsimus, cuius nepotis Arcadij nobis infrà mentio facienda erit. ad rerum ordinem reuertendum est.

Gregorius Aruernus, Turonicæ Ecclesiæ Episcopus, in libro Historiæ tertio morti Chlodouei, diuisioníque

Regni eius nuptias Chrothildis ſubtexit, quam Chlodoueus ex Chrothilde vxore ſuſceperat: ſcribítque, cùm Chlodouei filiis multum virium & roboris eſſet, Amalaricum Alarici filium, *Regem Hiſpaniæ* ſororem eorum Chrothildem in matrimonium petiiſſe, quam fratres *cum magna ornamentorum mole* ad virum in Hiſpaniam miſerint. At cùm Chlodoueus obiit, Chrothildis puella admodum infans; Amalaricus puer tum adhuc & paruulus erat, vt Iordanes, Procopius, & Auctor Appendicis Victoris affirmant. nec tum ipſe, ſed Theodericus Oſtrogothorum Rex, maternus eius auus, ſub ſpecie tutelæ Regnum Hiſpaniæ ac Veſigothorum obtinebat. vnde Concilij Tarracone Petro V. C. Coſ. coacti, ɪↄxvɪ.
& Synodi Gerundæ Agapeti Conſulatu habitæ decre- ɪↄxvɪɪ.
tis anni regni Theoderici, non verò Amalarici adſcribuntur. Præterea cùm nonniſi anno vndeuiceſimo poſt Chlodouei mortem Amalaricus à Childeberto Francorum Rege victus ſit & interfectus: ſi paullo poſt Chlodouei parentis ſui obitum Chrothildis ei nupſerat, credendum erit (id quod parum veriſimile eſt) mulierem tamdiu ſæuitiam viri tuliſſe, & poſt annos circiter duodeuiginti de contumeliis ſuis, quibus diuturna aſſuetudo callum obducere debuit, fratri per fidum ſeruum queſtam eſſe. vt omittam, quod alio in loco notabo, Merouei poſteros filias, & ſorores ſuas, virginéſque ſtirpis regiæ non aliis quàm Regibus collocare conſueuiſſe. quare ſi tum (ſicuti ait Gregorius ipſe) *Rex* erat *Hiſpaniæ* Amalaricus, cùm Chrothildem duxit vxorem; nonniſi Olybrio ſolo Coſ. quo anno III Kal. Septembr. ɪↄxxvɪ.
Theoderico mortuo Hiſpaniæ Regnum obtinuit; aut potiùs inſequenti anno eam in matrimonium accepit. Ob id apud Aimoinum in libro II dicitur Amalaricus, *cùm partem Regni paterni, quæ à Francis non fuerat occupata, ſuſcepiſſet regendam*, miſſis ad Childebertũ & Chlotharium legatis rogaſſe, vt inito fœdere ſororem ſuam ipſi nuptum darent. Certè Amalaricum, quo tempore Alaricum parentem ſuum amiſit, paruulum & infantem fuiſſe putandum eſt, ſi poſt Conſulatum Lam- ɪↄxxxɪ.
padij & Oreſtis, hoc eſt anno XXIV poſt patris mortem,

quo anno periit, adoleſcens erat: vti ait Iordanes, qui in libro de Origine Gothorum Amalaricum *in ipſa adoleſcentia Francorum fraudibus irretitum Regnum cum vita amiſiſſe* ſcribit. & ne quis ſit dubitationi locus, auctor eſt Procopius in libro I belli Gothici poſt Theoderici mortem, póſtque ſubactam à Francis Toringiam, atque Burgundiam, (in qua tamen Godomarus etiamtum regnabat) Amalaricum Veſigothorum Regem, Francorum arma viréſque metuentem, ſororem Theodeberti Francorum Regis (Childeberti debuit dicere) in matrimonium petiiſſe & accepiſſe. Theodebertum autem, quem Theudibertum appellat, ſicut ſuprà Iordanes, Chlodouei filiis annumerare videtur Procopius, vxorem Amalarici, quæ Chrothildis Chlodouei filia fuit, Theodeberti ſororem vocando. Ceterùm an præter Chrothildim alias Chlodoueus filias habuerit, dubitare quis poteſt. Nam (ne de Audefleda loquar) Robertus Monachus Autiſſiodurenſis, in Chronico anno MCCX ſcripto, à *Theudechilde Chlodouei Regis filia,* pia Virgine Monaſterium Apoſtolorum in vrbe Senonis exſtructum ait: quod Monaſterium apud Odorannum Monachum *Theuchildis Regina* dicitur excitauiſſe. Quæ Theudechildis, vel Theuchildis non magis mihi Chlodouei filia videtur fuiſſe, quàm Emmia, aut Emma pridie Nonas Octobres Martyrologio Vſuardi inſerta, & *Sancta Emmia, Virgo eximiæ ſanctitatis, filia Chlodouei Regis* dicta.

Poſtquam Quintianus apud Aruernos in locum Apollinaris Epiſcopus eſt ſubrogatus, hoc eſt anno V vel VI poſt Chlodouei Francorum Regis mortem, Dani, qui ſinus Codani Septemtrionale latus poſſidebant, oram Saxoniæ Friſiæque præteruecti, Galliam claſſe petiuere, egreſsíque nauibus pagum vnum de Regno Theodorici, hoc eſt forſitan Batauiam, igne & ferro vaſtauere. iámque in naues captiuos, ac omnem prædam impoſuerant: iam reuerti domum parabant: Réxque eorum nomine Chochilaicus, quem alij Cochilagum appellant, exſpectabat cum paucis in litore, dum naues altum tenerent, ipſe mox ſecuturus. quum Theodebertus à patre ſuo Theodorico aduerſus prædones miſſus

cum magno exercitu apparatúque armorum de improuisò superuenit, qui & Regem interfecit, & Danis inopinantibus oppressis, ac nauali certamine superatis, maxima cæde facta, captiuos & prædam recepit. Vetus Auctor Historiæ Francicæ, Theodorici Merouingorum Regum penultimi æqualis, pagum à Danis depopulatum vocat Attuarias. quod si verum est, ex eo cognoscitur Attuarios, gentem Franciæ veteris Reno conterminam, si non omnes, saltem eorum partem tum in Gallia prope Riparios sedes habuisse, regioníque, in qua consederant, nomen suum dedisse. Hi sunt Dani, quos postea Nordmannos vel Nortmannos Franci vocauere, qui regnantibus Caroli Magni posteris omnem Galliam cædibus, latrociniis, ac incendiis deformauere. Danorum primi mentionem fecerunt Iordanes, atque Procopius. è quibus Iordanes eos Cogenorum, hoc est Cognorum gentis Germanicæ, stirpe ortos esse, viros proceritatis eximiæ, Erulósque finibus expulisse scribit, & Scanziæ suæ cultoribus adnumerat. Procopius in belli Gothici libro primo Danorum gentes prope Varnos ponit, qui à Senatore Guarni, ab Iordane Warni appellantur.

Florentio & Anthemio Coss. Theodericus Rex Italiæ Amalasuentham filiam suam, quam ex Audefleda Chlodouei Regis sorore tulerat, Eutharico Cillicæ collocauit. qui anno I V pòst collega Iustini Aug. factus delatum sibi à socero Cõsulatum Romæ iniit, eúmque in Vrbe primùm, deinde Rauennæ ludis Circensibus, venationibus, ac sparsione nummorum in populum celebrauit, atque ante Theodericum decessit, ex Amalasuentha, vxore sua liberis genitis Athalarico, & Matasuentha. è quibus Athalaricus Theoderico auo materno successit; Matasuentha Vitigi Regi, ac postea Cõstantinopoli Germano Patricio nupsit. Natus erat Eutharicus in Hispania patre Veterico, vel Viderico, auo Beremundo, Thorismundi Ostrogothorum Reguli filio, qui vt Hunnorum se dominationi eximeret, patriam reliquerat, & ad Vesigothos populares suos, regnante Theodorico maiore, commigrauerat. Thorismundus autem Rex, proauus Eutharici, consobrinus fuerat Wandalarij, aui Theoderici

Italiæ Regis. Eutharicum hunc Cillicam vel Cilligam, regio Amalorum genere ortum, ac iuuenem prudentem fuiſſe, magníſque animi & corporis virtutibus eminuiſſe tradit Iordanes. incertus Auctor Chronici nuper editi aſperum, & Fidei Catholicæ infeſtiſſimum eum fuiſſe dicit, quem in Chronico Victoris malè Heraclium; apud Marium Euthetiũ pro Eutherico appellari reperio.
IↃXVI. Petro V. C. Conſule Rex Burgundionum Gundobadus deceſſit, ſuperſtitibus relictis Sigiſmundo & Godomaro filiis. è quibus tamen ſolus Sigiſmundus, Sigimundus Gregorio dictus, Regno paterno ſucceſſit. cùm antea in Burgundia, quemadmodum apud Francos, Regnum patrium fratres inter ſe diuidere, & in ſua ſinguli parte regnare conſueuiſſent. Vir doctiſſimus Sigiſmundum viuo patre Regis nomen obtinuiſſe putat, propterea quòd apud Auitum legitur epiſtola ad Symmachum vrbis Romæ Epiſcopum ſic inſcripta: *Epiſtola ab Auito Epiſcopo dictata nomine Sigiſmundi Regis ad Symmachum Papam:* Symmachus autem obiit Se-
IↃXIV. natore ſolo Coſ. ante biennium quàm Gundobadus decederet. & quòd Marius Auenticenſis Epiſcopus in
IↃXV. Chronico Florentio & Anthemio Coſſ. anno ante Gundobadi obitum Monaſterium Acauni *à Rege Sigiſmundo* exſtructum dicit. Quo argumento ſi quid probari poſſet, credere nos oporteret Sigiſmundum, ante annos minimùm XXII quàm Gundobadum patrem amitteret, hoc eſt, ſaltem anno poſt Odoacris cædem, viuo ac regnante in parte Burgundiæ patruo ſuo Godegiſilo, Regem fuiſſe, regníque participem & conſortem egiſſe. cùm Iordanes in libro de Origine Gothorum ſcribat Theodericum Oſtrogothorum Regem, vbi in Italiam venit, mox finitimis *Regibus* Alarico & Sigiſmundo filias ſuas in matrimonium dediſſe. At Auctor Chronici ab Henrico Valeſio fratre meo editi meliùs quàm Iordanes Theoderici filiam Sigiſmundo *filio Gundobadi Regis*, non autem Regi nuptum datam ait. *Regem* igitur ab Auito, & à Iordane ac Mario appellatum Sigiſmundum exiſtimo, non quòd viuo patre regnauerit, ſed quòd Regis filius, ac poſtea Regni ſuc-

ſucceſſor fuerit. Regum enim liberos Reges vocare mos erat. ſic Gregorius Guntharium, & Chramnum Chlotharij Regis filios; Fortunatus in libro IX Chlodobertum & Dagobertum infantes, eius ex Chilperico nepotes, Reges appellat. ſic & Brunichildis Regina Athanagildum, ſuum ex Ingunde filia nepotem, non priuatum modò ſed exſulem ac egentem, Cõſtantinopolim à Græcis abductum, & Childebertus Francorum Rex eumdem ſororis ſuæ filium in litteris *Dominum glorioſum Athanagildum Regem* vocat. Certè Gregorius, cùm tradit, *mortuo Gundobado, Regnum eius Sigiſmundum obtinuiſſe,* & Marius ipſe in Chronico, cùm ait Petro Coſ. ɪↄxvɪ. Regem Gundobadum obîſſe, *& leuatum eſſe filium eius Sigiſmundum Regem,* ambo ſatis apertè indicant eum non ante patris mortem Regem appellatum eſſe. Quod autem ſcribit Fredegarius in Epitome, Sigiſmundum apud Geneuam in villa Quadriuio iuſſu patris Regem ſalutatum eſſe, id ſi verum eſt, ita intelligendum & accipiendum videtur, vt maiorem natu filium Sigiſmundum Gundobadus moriens ſolum, excluſo Godomaro natu minore, à Burgundionibus Regem iuſſerit appellari. Eidem Sigiſmundo inter initia principatus Anaſtaſius Aug. Patriciam dignitatem, atque etiam (vt exiſtimo) Comitiuam Sacrarum largitionum, vulgò Comitiuam Sacrarũ dictam, codicillis detulit. Quapropter Alcimus Ecdicius Auitus, Viennenſis Epiſcopus, in epiſtola ad Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, *Dominum ſuum Patricium Sigiſmundum* vocat. & in epiſtola ab Auito dictata nomine Sigiſmundi ad Imperatorem Anaſtaſium, Sigiſmundus ipſe *militiæ faſcibus, Aulæ pollentis contubernio,* (hoc eſt, militiâ Palatinâ) *& veneranda Romani nominis participatione* honoratum ſe ab Imperatore dicit. præterea Auiti epiſtola XLII ſic inſcribitur: *Epiſtola ab Auito Epiſcopo dictata nomine Domini C. S. ad Vitalianum Senatorem:* & epiſtola XXCVI, ita inſcripta legitur: *Epiſtola ab Auito E. dictata nomine Domini Regis C. S. ad Imperatorem Anaſtaſium,* hoc eſt, nomine Domini Regis, *Comitis Sacrarum,* potiuſquàm (vt putat vir doctiſſimus) *Comitis Sigiſmundi.* Notandum

autem eſt, quod Sigiſmundus Rex Burgundionum, apud Auitum in epiſtola XXCIII, ad Anaſtaſium Aug. ſcribens, ait ſe gratiæ debitorem non magis parentis debitis, quàm beneficiis ſibi datis factum, proauóſque & auctores ſuos nomini Imperióque Romano ſemper fuiſſe deuotos, & *militiæ titulos* ab Imperatoribus ſibi oblatos magni feciſſe, magíſque ſemper ambiiſſe, quod à Principibus acciperent, quàm quod à patribus attuliſſent. Quibus verbis videtur indicare Sigiſmundus ab Anaſtaſio Principe dignitatem aliquam Gundobado patri ſuo delatam eſſe, Gundiucúmque auum ſuum, & Chilpericum maiorem patruum, Burgundionum Reges, ab vltimis Imperatoribus Occidentis, nimirum à Seuero & Anthemio Magiſterium militum obtinuiſſe.

Florebat tum non minùs pietate quàm doctrina ſupradictus Alcimus Auitus, Heſychij primùm clariſſimi Senatoris, deinde Viennenſis Epiſcopi filius, ſedíſque ſucceſſor: Apollinaris Valentiæ Epiſcopi, & Fuſcinæ Virginis Deo ſacratæ frater. qui, quod Gundobado perſuadere non potuerat, eius filio Sigiſmundo initio regni perſuaſit, vt Ariana Hæreſi damnata, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnius eiuſdémque maieſtatis ac virtutis eſſe publicè profiteretur. quo facto, Auitus orationem apud populum habuit, cunctóſque ad Fidem Catholicam inuitauit. Facilè impetratum eſt à Burgundionibus, vt Regis ſui imitarentur exemplum, & religionem Catholicam, in qua eorum maiores verſati erant, eiurato errore ſequerentur. Erant Sigiſmundo ex Oſtrogotha vxore liberi, puella virgo, & Sigiſricus adoleſcens, à Gregorio Sigiricus, ab Auito *Dominus Segiſricus* dictus. è quibus prior puella Arij Hæreſim damnauit, poſtridie Sigiſricus: vt docent inſcriptiones duarum Homiliarum, vel orationum ab Auito tum habitarum. Oſtrogotham vel Oſtrogothonem, Theoderici Oſtrogothorum & Italiæ Regis filiam, Sigiſmundi coniugem fuiſſe dixi, ſecutus præter ceteros Procopium, qui in belli Gothici libro I Theudichuſam, hoc eſt, Theodegotham ſororem Oſtrogothæ, Alarico minori Veſigothorum Regi nupſiſſe tradit. vt ap-

pareat errare incertum Auctorem supradicti Chronici nuper vulgati, apud quem dicitur Theodericus alteram filiam nomine Areuagni (ita eam solus appellat) Alarico Regi Vesigothorum in Gallia; alteram nomine Theodegotham Sigismundo filio Gundobadi Regis collocauisse. Ceterùm Burgundiones vnà cum Sigismundo Rege, eiúsque liberis Anastasio & Agapeto Coss. videntur ıↃXVII.
Catholicam Fidem secuti esse. quippe eo anno, qui II regni Sigismundi annus est, Episcopi Burgundiæ Epaone conuenerunt, de antiquis regulis, & de nouis controuersiis sententiam dicturi. cui Concilio præfuit, Sacerdotúmque decretis primus subscripsit Alcimus Auitus Episcopus XVII Kalend. Octobr. Agapeto V. C. Consule: ıↃXVII.
subscripsisse dicitur & Pelagius Presbyter missus à Domino Salutare *Episcopo ciuitatis Auennicæ*, nisi si potiùs, vt puto, Episcopus ciuitatis *Auenticæ* is fuit, nam Auenticum Burgundionum Regibus parebat. Auenionem autem Senator in Variarum libri III epistola XXXVIII docet Theoderici tum fuisse.

Magno solo Cos. Anastasius Aug. decessit. quo mor- ıↃXVIII.
tuo Amantius Præpositus sacri cubiculi, magnâ eunuchus potentiâ Iustinum Comitem Excubitorum accersit, ingentémque ei pecuniam dat, militibus Theocriti nomine dispertiendam. qua ille pecunia Imperium sibi quàm alij emere maluit, atque à populo & ab Excubitoribus largitione deuinctis VII Idus Iul. Imperator est consalutatus, vxorem eius coronatam & Augustam nuncupatam, pro Lupicia vel Lupicina, quod nomen inhonestum ac indecorum videbatur, Euphemiam Constantinopolitani vocauerunt. Erat Iustinus natione Thrax, vel potiùs (vt ait Victor) Illyricianus. quippe Agathias in libro V Bederianam eius patriam *vrbem Illyricam Bederianamam* vocat: à qua apud Auctorem Chronici Alexandrini Iustinus Bendarites mendosè cognominatur, cùm dicendus sit Bederianites. & Iustinianum, sororis eius filium, natum ait Procopius in quodam loco Dardaniæ Europææ Illyrici prouinciæ dicto Tauresio; alij in vrbe Pelagoniæ Achride, quæ regio Macedoniæ Illyrici quoque prouinciæ attribuebatur. Iustinum, ob-

ſcuriſſimis parentibus genitum, primò paſtorem ac ſuarium fuiſſe ſcribit Zonaras, deinde inter gregarios milites ſtipendia meruiſſe, tum per omnes militiæ gradus ad Senatoriam dignitatem, & ad Comitiuam Excubitorum, ac tandem ad Imperium perueniſſe. Quo libentiùs credo, id quod Euagrius Scholaſticus, Syrus Epiphanenſis, in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro IV tradit, Iuſtinum, ſenem ignotæ originis, tam liberalium ſtudiorum expertem, vt nomen ſcribere neſciret, præter ſpem cùm ſuam tum ceterorum omnium Imperatorem factum eſſe, prælatúmque multis Anaſtaſij Aug. propinquis opulentiſſimis, potentiſſimíſque, ac ætate florentibus, in primis Hypatio, Pompeio, & Probo, genere conſobrinis, & Anaſtaſij ſororum filiis, Conſularibus viris, & Patriciis. è quibus Hypatius auunculi ſui Anaſtaſij Aug. principatu Magiſter Præſentis militiæ, vnà cum Areobindo Olybrij Aug. & Nobiliſſimæ Placidiæ genero, Magiſtro militum Orientis, aduerſus Perſas, ac deinde aduerſus Vitalianum bellum infeliciter geſſerat, atque anno XIV poſt Anaſtaſij mortem, orta Conſtantinopoli ſeditione, à populo per vim Imperator appellatus, & rebellibus per Beliſarium fuſis ac cæſis captus, Iuſtinianíque Principis iuſſu vnà cum Pompeio fratre interfectus eſt. Hîc animaduertere libet, Conſtantinopolitanos metu malorum, quæ Orientales paſſi erant grauiſſima, Arcadio & Theodoſio pueris dominantibus, qui *delicati & luxurioſi* Principes (vt ait Iordanes) *per annos ferè* LX *imperantes Regnum minuerant,* poſt vtriuſque obitum non alios quàm ætate prouectos Imperatores creauiſſe. ſiquidem Marcianus LVIII ætatis ſuæ anno, & Leo iam ſenex, & Zeno XLVII tranſgreſſus annum, Anaſtaſius etiam LXIII emenſus, ad Imperij inſignia viri conſilio & pace optimi, nec rerum imperiti peruenere. & Iuſtinus ſenex annorum LXVIII recepit Imperium. qui petentibus Proceribus, vt Iuſtinianum ſororis filium, XL tum circiter annos natum, in conſortium imperij reciperet, purpuram manu tangens reſpondit: quin vos potiùs oratis, ne hoc inſigne Imperatorium à me iuueni deferatur. Idem ſimul ac Imperiũ obti-

nuit, Amantium Præpositum cubiculi, & Theocritum, quem Domesticum suũ Amantius Imperatorem facere voluerat, & Andream Cubicularium, velut insidiantes sibi, vnà cum aliquot aliis in Palatio Consulatu suo & Eu- ıɔxıx.
tharici interemit, corporáque iugulatorum in Rheuma deiici iussit. cúmque Apionem Patricium, Diogenianum, & Philoxenum, Magistros militiæ, iussu Anastasij relegatos, ab exsilio reuocauisset, Vitalianum similiter, Patricioli filium, belli ab ipso Anastasio illati memor, ex Thracia ad se in vrbem Regiam inuitauit, vt hominem Imperij cupidum, & gloria ac potentia præstantem, quoniam aliter non poterat, fraude & insidiosa simulatione amicitiæ deceptum opprimeret. Hunc igitur VII die quàm Constantinopolim venerat, Ducem vnius è duobus exercitibus, quos Præsentes vocant, id est, Magistrum vel equitum, vel peditum Præsentium; ac mox cum Rusticio Consulem ordinarium fecit, septimóque mense Consulatus sui in loco Palatij, quem ıɔxx.
Delphicam vocant, per Iustinianum Patricium sororis filium vnà cum Celeriano & Paullo satellitibus suis interemit. quo anno Ioannes Præfectus Illyrici, qui ante Iustinum à quibusdam Imperator electus fuerat, Heracleæ Thraciæ Episcopus est ordinatus. Tum Iustinianus, quem auunculus ex Candidato Patricium fecerat, Magister militum ordinarius est constitutus, & proximis ıɔxxı.
Kalendis Ianuar. Consulatum iniit, nec multo pòst Nobilissimus à Senatu appellatus est, eáque appellatio Imperatoris decreto comprobata, qui tandem æger, postulantibus Senatoribus, inuitus (vt ait Victor) participem eum imperij & successorem creauit. Hæc de Iustino dicta sufficiant. in Occidentem reuertendum est.

Circa initia principatus Iustini Aug. bellum Franci Toringis intulere, quod priusquam exponam, de Toringorum Regibus pauca dicenda sunt. Toringi, quos Senator, & Græci Auctores Thoringos; Iordanes, aliíque Thuringos appellant, gens Germaniæ valida magis quàm vetusta fuere. Incertus Auctor, qui de Lantgrauiis Toringiæ scripsit, & Sifridus Presbyter in Epitomes suæ libro I tradunt Meruuigum quemdam cog-

natum Regis Francorum, de ſententia conſilióque eiuſdem Regis à Toringis anno CCCCXXX Regem electum eſſe, qui caſtrum prope Erpfesfurtum exſtruxerit, ac Meruuigiburgum ſuo nomine appellauerit. poſt Meruuigum regnauiſſe in Toringia Baſſinum, à noſtris Hiſtoricis Biſinum, ab Aimoino Biſſinum dictum, ad quem Childericus Francorum Rex, Regno expulſus, confugerit, & cuius vxorem Baſinam, quæ ipſum reuerſum in Franciam ſecuta erat, in matrimonium acceperit, ex qua Chlodoueum, tréſque filias, nimirum Audefledim, Lanthildim, & Albofledim tulit. Baſſino ſucceſſiſſe Irmenfridum, qui non ſororem Theodorici Regis Francorum, (vt aiunt) ſed ſororis Theoderici Oſtrogothorum Regis filiam vxorem duxit. Hic eſt Irmenfridus, quem Procopius Hermenefridum, Caſſiodorus Senator Herminafridum, Iordanes & Fortunatus Hermenefredum, aliqui Hermenfredum, & Ermenfridum appellant. Herminafridus, Biſini Regis (vt exiſtimo) filius, fratres habuit Badericum, atque Bertharium, à quibuſdam Bertecharium, ac Brittharium dictum. è quibus Badericum, tamquam natu maiorem, Gregorius ac Fredegarius Herminafrido præponunt. hi fratres apud Toringos in ſua quiſque parte regnauere. quo magis miror apud Caſſiodorum Senatorem, tamquam ſolus tum Herminafridus in Toringia regnaret, Theodericum Oſtrogothorum Regem de bello Chlodouei litteras *Toringorum Regi* ſcripſiſſe. De vxore liberíſque Baderici, quem Aimoinus Baldricum, quidam Baldericum appellant, nihil accepimus. Herminafridus autem in matrimonio habuit Amalabergam, Amalafridæ ſororis Theoderici Oſtrogothorum Regis filiam, Procopio Amelobergam, noſtris Hiſtoricis Amalbergam dictam: quam Aimoinus filiam Theoderici Italiæ Regis pro ſororis filia appellat. Auctor Chronici à C. V. Henrico Valeſio fratre meo vulgati ſororem eam Theoderici falsò vocat, & cùm Theodericus menſe Auguſto Româ Rauennam reuertiſſet, Herminafrido Toringo-
10. rum Regi collocatam eſſe dicit, hoc eſt Patricio & Hypatio Coſſ. quo anno Theodericus Rex Vrbem in-

greſſus eſt, poſt interfectum Odoacrem anno V II. Sic Procopius in belli Gothici libro I Odoacris Regis morti Amalabergæ nuptias; hiſce nuptiis bellum à Francis Burgundionibus illatum continuò ſubtexit: quod bellum Patricio & Hypatio Coſſ. geſtum auctor eſt Ma- IↃ.
rius in Chronico. At apud Caſſiodorum Senatorem, poſt Arelatenſes obſidione liberatos, póſtque Indictionem IV, hoc eſt, poſt Conſulatum Felicis & Secundi- IↃXI.
ni, quo anno Chlodoueus obiit, Theodericus ſororis filiam, aut (vt loquitur) *neptem* ad Herminafridum Regem Toringorum mittit. vt appareat Senatorem in ſuis Variarum libris non ſemper rerum ordinem ſequi. Nam exempli causâ liber eius ſecundus à Conſulatu Fe- IↃXI.
licis incipit, finitúrque epiſtolâ Theoderici Regis, ad Chlodoueum Regem Francorum ſcriptâ, orantis vt victis Alamannis parcat, quos anno quintodecimo ante Conſulatum Felicis huius ac Secundini, nimirum Paul- CCCC XCVI.
lo Conſule ab Chlodoueo conſtat prœlio eſſe ſuperatos.

Nupta Herminafrido Amalaberga Amalafridum, & Ranicundam genuit, de quibus infrà pauca dicemus. Hæc femina Toringis excidij, & primùm leuiris, deinde viro ipſi ſuo mortis cauſa fuit. quippe vti erat inſolens ac ſuperba, nec minùs ſanguinis quàm regni auida, Herminafrido perſuaſit, vt Berthario fratre ſuo interemto anguſtos imperij terminos promoueret. quo facto minimè contenta, virum hortari cœpit, vt Baderico alteri fratri Regnum ac vitam eriperet: atque vt magis cunctantem ſtimularet, poſt multas verborum rerúmque contumelias menſam ei dimidia parte nudam iuſſit apponi, ac interrogata, quid hoc ſibi vellet, reſpondit meritò dimidiam eum menſam nudam habere, qui dimidia parte Regni ſpolietur. His aliíſque verbis increpitus, ac muliebri furore inſtinctus Herminafridus Baderico fratri bellum inferre conſtituit: legatíſque clàm miſſis Theodorico Francorum Regi dimidiam partem Regni fratris pollicetur, ſi eius operâ victum interficere potuiſſet. Lætus oblato præmio belli Theodoricus mox copias cogit, Toringiam, Cattis genti ditionis ſuæ confinem, ingreditur, & cum Herminafrido

collocutus, data inuicem fide, societatem iungit. tum ambo iunctis viribus Regnum Baderici intrauere. Nec dubitauit Badericus instructo exercitu obuius hosti procedere, commissóque prœlio multis suorum amissis fusus est & interfectus. Victor, & compos votorum suorum Herminafridus Theodorico persuasit, vt domum rediret, affirmans se, simul ac Toringiam omnem pacauisset, promissa eum parte Regni donaturum. quo in Franciam reuerso, datæ fidei oblitus Regnum Toringiæ totius occupauit, & quod Theodorico pollicitus erat, præstare neglexit. quamobrem magnæ inter eos ortæ sunt inimicitiæ, breui Herminafrido exitio futuræ.

Dum Herminafridus in Toringia, impulsus ab vxore, fratres interimit, Sigismundus in Burgundia, imitatus Gundobadum patrem trium fratrum suorum interfectorem, hortante coniuge, filium natu maiorem occidit. Habuerat hic in matrimonio Ostrogotham, Theoderici Ostrogothorum & Italorum Regis filiam, puellæ virginis, & Sigifrici matrem, eáque amissâ aliam duxerat vxorem, quæ nouercali odio priuignum prosequebatur. Accidit, vt festo die Sigifricus nouercam cultum Ostrogothæ matris indutam videret, quo agnito grauiter commotus negauit dignam eam esse, quæ dominæ suæ vestibus vteretur. At mulier, se contemtam fremens, ac furore accensa Sigifricum falso parricidij crimine in secreto ad virum suum accusat, tamquam adolescens cupiditate principatus impulsus, patre interfecto totius Burgundiæ imperium, atque etiam (vti ait Gregorius) Regnum Italiæ, quod Theodericus auus eius maternus obtinuerat, occupare vellet. Vbi notandum est errare Gregorium, qui cum Theodericum Regem Ostrogothorum mortuum arbitretur. cùm is non modò Sigifrici nepotis sui, sed etiam Sigismundi generi superstes exstiterit: si verum est, quod tradit Marius Auenticensis Episcopus in Chronico, Sigifricum, quem
Iↄxxii. Segericum appellat, Symmacho & Boëthio Coss. iussu patris sui occisum esse, & Sigismundum insequenti an-
Iↄxxiii. no Maximo Cos. captum à Francis & interfectum. Theodericum autem Ostrogothorum & Italorum Regem anno

anno tertio post Consulatum Maximi, nimirum Olybrio Consule decessisse omnes Auctores magno con- IↃXXVI.
sensu tradunt. Igitur Sigismundus, cùm vera esse crederet, quæ ab vxore ficta crimina deferebantur, Sigisricum filium, somno ac vino sopitum, meridiantémque nefariè iussit occidi, intromissis, qui circumdatum collo eius orarium ad se vtrimque trahendo innoxium adolescentem strangularent. Interfectus est Sigisricus (vt ait Marius) Symmacho & Boëthio Coss. Cuius fa- IↃXXII.
cinoris magnitudinem Sigismundus serò perpendens, quem viuum oderat, sublatum mox lugere ac flebiliter dolere cœpit: super filij corpus eiulans afflictánsque sese procubuit, & omnibus questibus, quos dolor dictare consueuit, consumtis, Acaunum petiit, locum Penninis Alpibus proximum, abditúsque in Monasterio, quod ibidem exstruxerat, per dies multos lacrimis, ieiuniis, precatione veniæ, & assiduitate psallendi iratum sibi Deum placare conatus est. Tum etiam Sigismundus Monachi habitum induisse mihi videtur. quippe idem apud Marium in Chronico insequenti anno Maximo IↃXXIII.
Cos. à Burgundionibus Francis traditus, *& in Franciam in habitu Monachi perductus* esse dicitur. & Vsuardus in Martyrologio scribit Sigismundum Regem Burgundionum, cùm videret se Francis obsistere non posse, solum fugisse, atque capite raso habitum religiosum, hoc est pallium sumsisse, & dies atque noctes ieiuniis peruigilijsque continuantem, à Francis cum vxore & liberis captum esse. Quod fecisse Sigismundum statim post occisum filium, non autem post commissum cum Francis prœlium credendum est. amisso enim exercitu cùm Acaunum fugâ peteret, mox à Francis captus est, neque euadendi, neque ad Monasterium perueniendi, nedum pallij sumendi spatio dato. Hoc Monasterium, in loco Vallis Penninæ Acauno, quem multi Agaunum appellant, exstructum, maximè illustre effecerunt sepulcra beatissimorum Martyrum legionis Felicis Thebæorum, nimirum Mauricij, commilitonúmque eius ibidem occisorum, quos Gregorius *Sanctos Agaunenses* vocat. vnde Monasterium ipsum Fredegarius

Vu

Monasterium Sanctorum Agaunensium; Vsuardus *Monasterium Agaunense;* Anastasius *Monasterium S. Mauricij* appellat. è quibus Vsuardus, atque etiam Aimoinus precibus votísque Seuerini *Monasterij Acaunensis Abbatis* Chlodoueum Francorum Regem diuturna valetudine liberatum esse produnt. cùm Marius Auenticensis Episcopus in Chronico Florentio & Anthemio
IↃXV. Coss. hoc est anno quarto post Chlodouei mortem Monasterium illud à Sigismundo exstructum dicat: quod apud Gregorium Sigismundus post Gundobadi obitum; apud Fredegarium & Aimoinum post occisum filium dicitur ædificauisse, domibúsque & basilicis magnificè ornauisse, ac prædiis locupletâsse. itaut non videam, quomodo Seuerinus viuo Chlodoueo Abbas esse potuerit Monasterij Acaunensis, quod nonnisi post eius mortem exstructum est.

Posteaquam igitur Sigismundus Burgundionum Rex in Monasterio Acaunensi diu multúmque Sigisricum filium suum luxit, Lugdunum Segusianorum reuertit, credo quòd iam Francos expeditionem Burgundicam parare cognouerat. quam nubem belli vt à se auerteret, Theodorico Francorum Regi, filiorum Chlodouei maximo filiam suam in matrimonium dedit, cuius nomen, vt & prioris Theodorici coniugis, Theodeberti matris ignoratur. Brouuerus quidem, qui Fortunatum notis illustrauit, Theodechildim Reginam, à Fortunato tantopere laudatam, vxorem Theodorici, matrémque Theodeberti Franciæ Regum fuisse credit. cùm quæ Fortunatus de Theodechilde dicit, vxori Theodorici minimè conueniant. Nam Theodoricus Francorum Rex duas duxit vxores. ex priori Theodebertum genuit, quâ amissâ, Sigismundi filiam in matrimonium accepit. si verum est, quod ait Gregorius, Theodoricum, cui iam filius adolescens, victor Danici belli, Theodebertus erat, paullo post Sigisrici cædem, hoc est anno regni vndecimo, filiam Sigismundi Regis vxorem duxisse. at Theodechildis, vel Theodechilda Regina, Fortunato teste, viro superstes fuit, ac quinque & septuaginta annos vixit.

Ter quino lustro vixit in Orbe decus.

itaut non potuerit esse mater Theodeberti, quam ante Theodoricum virum suum decessisse docui. Sed nec Theodechildis ista, Theodorici posterior coniux, filia Sigismundi fuit. Sigismundi enim filia, posterior Theodorici vxor, Regem fratrem non habuit, contrà iussu patris iugulatum eum vidit. at Theodechildi Reginæ non modò pater, auus, proauus, vírque, sed etiam frater Reges fuerunt, vt in libri IV Carmine XXV auctor est Fortunatus,

Hic properante die Theodechilda iacet:
Cui frater, genitor, coniux, auus, atque priores,
Culmine succiduo regius ordo fuit.

Ex quo etiam intelligitur fratri eam, & viro superstitem fuisse. & in libri VI Carmine V.

Currit in Orbe volans generis noua gloria vestri,
Et simul hinc frater personat, inde pater.

Ego Theodechildim hanc, non Theodorici Francorum Regis vxorem, sed ex posteriore vxore filiam; non Theodeberti Regis matrem, sed sororem; Sigismundíque ex filia neptem fuisse existimo, Hermegisclo primùm, deinde Radigeri Varnorum Regibus nuptam. de qua Procopius in belli Gothici libro IV sic scribit. Hermegisclum quemdam regnasse apud Varnos, quæ gens oram Septemtrionalis Oceani, & ripam inferiorem ostiáque fluminis Reni occupabat, eóque flumine à Francis diuidebatur. eum Regem amissa coniuge, ex qua Radigerem filium tulerat, vt Regnum suum affinitate confirmaret, sororem Theodeberti Francorum Regis in matrimonium petiisse, atque duxisse. & aliquanto pòst cùm mortem sibi adesse intelligeret, Radigeri coram Optimatibus mandauisse, vt sponsam natione Brittiam sororem Regis Anglorum repudiaret, sinerétque habere sibi, quas sponsaliorum nomine dedisset, pecunias pretium iniuriæ, nouercámque, ex qua ipse nihil liberorum tulisset, in matrimonium acciperet, conciliandorum sibi Francorum causâ, quæ gens, & finitima, & validissima, vt facilè Varnos auxiliis iuuare; sic non difficulter eosdem causis belli ex voluntate sua accer-

ſitis opprimere ac euertere funditus poſſet. His dictis Hermegiſclum quadrageſimo pòſt die morbo interiiſſe, Regnúmque Varnorum Radigeri vnico filio per manus tradidiſſe: qui patris conſilium ſecutus de ſententia Optimatium, repudiatâ ſponsâ, nouercam ſuam, ſororem Theodeberti Francorum Regis, vxorem duxerit. Qua re cognitâ puellam virginem impatientem iniuriæ, propterea quòd mos erat Barbaris ſponſas niſi ob ſtuprum non dimittere, miſſis ad Radigerem legatis de contumelia queſtam eſſe, & poſtulaſſe, vti cauſam repudij aperiret. Radigerem, cùm nihil haberet, quod reſponderet, legatos re infecta dimiſiſſe. Tum ſponſam virginem permiſſu fratris Regis Anglorum quadringentis nauibus armata millia bellicoſorum hominum centum impoſuiſſe, atque vno è fratribus ſuis expeditionis ſocio, ex inſula Brittia in continentem regionémque Varnorum traieciſſe. ibi circa oſtium Reni caſtris poſitis cum paucis ſeſe continuiſſe, & fratrem vnà cum reliquis omnibus copiis aduerſus Varnos, qui non longè à litore Oceani & oſtio ſupradicti fluminis conſederant, miſiſſe. à quibus fuſus acie Radiger Varnorum Rex, amiſſa magna parte militum, terga cum reliquis verterit, quos fugientes Angli, propterea quòd more Varnorum pedeſtria omnes prœlia inire conſueuerant, non longiùs perſecuti in caſtra reuertere. At victorem militem malè acceptum, fratrem etiam conuiciis à regia virgine proſciſſum eſſe, clamitante nihil actum, quoniam Radiger euaſiſſet: confeſtímque perniciſſimos ac fortiſſimos iuuenes ex omnibus copiis delectos, & ad comprehendendum Radigerem miſſos eſſe, qui latentem eum in ſilua ceperint, vinctúmque ad ſponſam adduxerint. Captiuum verò mortis exſpectatione tremulum atque pallentem, interroganti virgini, cur ſe nullius probri inſimulatam repudiauiſſet, & ſolutis ſponſalibus, aliam duxiſſet vxorem, reſpondiſſe, ſupremæ patris voluntati, Procerúmque ſtudio ſe obſiſtere non potuiſſe, culpámque neceſſitati imputauiſſe, poſtremò precibus ſuppliciter admotis adieciſſe, paratum ſe eſſe, ſi modò vellet, ipſam in matrimonium du-

cere. ab hac voce continuò Radigerem vinculis liberatum, Theodeberti Francorum Regis ſorore domum remiſsâ, Brittiam ſponſam matrimonio ſibi iunxiſſe anno belli Gothici ſextodecimo. IↃL.

Et ita quidem Procopius de Theodorici Francorum Regis filiæ nuptiis refert. Vbi fateor mirari me, qua ratione fieri potuerit, vt Varni tum in Francia regnarent. quippe ripa Reni dextra, vel Germanica, ad oſtia fluminis Oceanúmque Septemtrionalem pertinens, quam Varnos incoluiſſe ait Procopius, pars veteris Franciæ Theodorico Regi tum ſubiectæ erat. Non igitur Varni Reno diuidebantur à Francis, qui vltra Renum longè latéque dominabantur. Vt veriſimiliùs idem Auctor in libro II belli Gothici Varnos prope Danos ponere videatur, quos à Warna, vel Waharna fluuio in Viſurgim exeunte cognominatos puto. Hi Varni non multo pòſt (id quod Hermegiſclus Rex timuerat) illato à Francis bello victi atque domiti ſunt, quos Fredegarius in Chronico tradit anno IↃXCVII rebellauiſſe, atque ab exercitu Childeberti minoris ita victos acie cæſóſque eſſe, vt gente pæne exciſa pauci ex eo prœlio ſupereſſent. Præterea cùm Procopius, vt facere debuit, Anglos diſtinguat à Brittonibus, quorum alteros Angilos, quemadmodum Ptolemæus; alteros ſæpe Brittios vocat: nihilominùs tamen ſponſam Radigeris Varnorum Regis, quæ Angla erat, ſorórque (vti ait ipſe) Regis Anglorum, Brittiam ſemper; eius verò commilitones, modò Anglos, modò Brittios appellat. Certè Brittiam inſulam, patriam pactæ Radigeris, incoli tradit Procopius à tribus frequentiſſimis gentibus, nimirum Anglis, Friſonibus, & Brittonibus, vel Brittiis, inſulæ cognominibus: quarum gentium ſingulæ Regem ſuum habeant, tantæque fecunditatis ſint, vt abundante multitudine plurimi quotannis vnà cum coniugibus & liberis ex inſula in Galliam tranſeant, & à Regibus Francorum in incultis agris collocentur. Adiicit Regem Francorum, hoc eſt, ſicuti exiſtimo, Theodebertum, cum legatis ſuis Anglos quoſdam ex his, quibus agros dederat, Conſtanti-

nopolim misisse, vt Iustiniano Aug. persuaderet Brittiam insulam sub ditione sua imperióque esse. Ego apud Auctores, qui res nostras, vitásque Sanctorum scripsere, multos quidem Brittones ex insula Britannia; Scotos quoque non paucos sæpe cùm ex Britannia, tum ex Ibernia in Galliam transiisse inuenio: ab Anglis, & Frisonibus idem factum esse non reperio. Quæ autem de Brittia insula, id est Ibernia, tradit Procopius, insulæ Britanniæ pleraque magis, quàm Iberniæ conueniunt. Nam Brittones vel Britanni, atque Angli præter ceteros in Britannia sedes habuere, non in Ibernia, quam à Scotorum gentibus incoli Orosius & Iulius Honorius produnt. Vnde Ibernia apud Isidorum, & in libro de vita S. Fursei, alio nomine *Scotia* appellatur: apud Eginardum, Aimoinum, aliósque Auctores rerum gestarum Caroli Magni *Ibernia Scotorum insula* dicitur; apud Bernardum de vita Malachiæ *vlterior Scotia;* apud alios *Scotia maior*, vt distinguatur à Scotia citeriore vel minore, parte insulæ Britanniæ. Frisones verò, vel Frisij nec in Britannia, nec etiam in Ibernia sedem cepisse, atque regnauisse ab alio quàm Procopio dicuntur. Deinde quod ait ibidem Procopius, Brittiam insulam in Septemtrionali Oceano Reni ostia spectare, eáque ex parte à continente non ampliùs ducenta stadia abesse, id de Britanniâ à Geographis dici, nequaquam de Ibernia, nemo nescit. Præterea quod scribit Procopius, in ora Oceani ex aduerso Brittiæ insulæ vicos esse plurimos, qui à piscatoribus, agricolis, & mercatoribus Francorum imperio subiectis incolantur, de ora Galliæ aduersa insulæ Britanniæ tantummodò intelligi potest. cùm Ibernia nihil præter insulas, eásque Francorum Regibus minimè parentes, circum se haberet. Vt omittam murum illum vetustum, quo Procopius scribit Brittiam insulam bifariam diuidi, murum esse videri, quem Seuerus Aug. imitatus Hadrianum, per transuersam insulam duxit, vt eo vallo prouinciales à Barbaris dirimeret.

Vt ad Theodechildim Reginam reuertar, quam supradixi Theodorici filiam, sororémque Theodeberti

mihi videri: hæc ab Radigere Varnorum Rege inuito inuita dimiſſa, & domum reuerſa, magna experimenta pietatis dedit, in viduas, pupillos, egentéſque benefica, munifica Eccleſiarum ornatrix, ita ſuauis & mitis, vt ab omnibus amaretur magis quàm metueretur. quemadmodum ait Fortunatus, apud quem eadem *prole potens* cùm dicitur, prolis nomine genus, non liberi ſignificantur. ſic enim non ſemel loquitur Fortunatus, exempli causâ in libri quarti Carmine ſeptimodecimo.

Hic puer Arcadius, veniens de prole Senatus,
Feſtinante die raptus ab Orbe iacet.

Et in Carmine XXVI.

Vvilithuta decens, Dagaulfi cara iugalis,
Romana ſtudio, Barbara prole fuit.

Hæc eſt Theodechildis, quam Gregorius in libro de Gloria Confeſſorum Theudechildam Reginam appellat, cùm ait Nonninum, vel Nantinum quemdam Tribunum ex vrbe Aruernis in Franciam veniſſe ad Theudechildam Reginam tributa deferentem, quæ ei forſitan Theodebaldus Rex fratris filius domum reuerſæ aſſignauerat. Aruerni enim vt Theodorico; ſic Theodeberto, ac Theodebaldo paruerunt. Huius Theodechildis matrem, quam Sigiſmundi Regis Burgundionum filiam, & Theodorici Francorum Regis poſteriorem vxorem fuiſſe dixi, vnus Frodoardus in Hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis libro II *Suauegottam Reginam, Theudechildis Reginæ matrem* appellat. Ceterùm non dubito, quin Theodechildis hæc eadem ſit, quam Odorannus & Robertus Monachi in Chronicis tradunt ad vrbem Senonas Monaſterium Apoſtolorum, S. Petri Viui nomine hodie notum, exſtruxiſſe, multis atque amplis ædificiis ornauiſſe, & prædiis locupletauiſſe, ibíque ſepultam eſſe. è quibus Odorannus truncato nomine *Theuchildim Reginam* appellat in verſibus tumulo eius inſcriptis; Robertus Theudechildim, quam magno errore Chlodouei Regis filiam, deuotámque Virginem fuiſſe dicit. Agendici igitur, vel Senonis Theodechildis conſenuit, atque deceſſit. quæ vrbs Theodeberto, ac Theodebaldo eius filio paruit, vt docet Leonis Se-

nonicæ Ecclesiæ Episcopi ad Childebertum Regem epistola. De exstructione supradicti Monasterij mentionem f^cit Fortunatus his versibus ad Theodechildim Reginam scriptis.

Ecclesia sacra te dispensante nouantur,
Ipsa domum Christi condis, & ille tuam.

Fuit & alia ætate Fortunati Theudechildis, vel Theodegildis, opilionis filia, Chariberti Francorum Regis *vxor* Fredegario; *Regina* Gregorio dicta, cùm Dominæ Ingobergæ Reginæ pellex potiùs vocanda fuerit. de qua Fortunatum suprà loqui nemo sanus credet. Nec de Theodechilde Regina plura, quæ memorentur, occurrunt. Res Francicas, vt cœpimus, persequamur.

Gundobadus Burgundionum Rex, sicut in libro V diximus, Chilpericum Regem quartæ partis Burgundionum, fratrem suum, Chrothildis Reginæ patrem interfecerat, vxorémque eius in flumen merserat. quod nefandum facinus cùm in auctorem, patruum suum, vindicare non potuisset Chrothildis, in eius filios Sigismundum atque Godomarum, fratres patrueles suos, paterni sceleris immunes vindicare cupiebat. Igitur cùm Luteciam Parisiorum venisset, Chlodomerem, Childebertum, ac Chlotharium Francorum Reges, filios suos hortata est, vt iniuriam suam, cruentámque patris sui ac matris, aui ipsorum & auiæ mortem vlciscerentur, atque hanc sibi pro nutrimentis & educatione gratiam referrent. Non erat difficile iuuenes impatientes otij in bellum impellere. Itaque Reges matris precibus, & sceleris atrocitate, ac maximè sua sponte moti expeditionem suscipiunt, ingresśique Burgundiam, obuios cum magnis copiis Sigismundum, atque Godomarum fundunt acie. quos ambos vetus Auctor Historiæ Francicæ Reges appellat, quasi Godomarus, viuo & sospite Sigismundo, in Burgundiæ parte regnauerit. Victi Burgundiones, multis suorum amissis, terga verterunt. Godomarus fugâ salutem sibi peperit. at Sigismundus Rex, cùm Monasterium Sanctorum Acaunensium peteret, à Chlodomere vnà cum vxore & liberis, quos ex ea tulerat, captus, atque in agro Aurelia-

relianenſi diligenti cuſtodia aſſeruari iuſſus eſt: vt ait Gregorius. quamquam auctor eſt Marius in Chronico Maximo Conſule Indictione I Sigiſmundum Regem à IↃXXIII.
ſuis Francis traditum, & in Franciam in habitu Monachi perductum, & cum coniuge ac liberis in puteum abiectum eſſe. Marium ſequitur Aimoinus, cùm ſcribit Chlodomerem cæde Sigiſmundi non diu eſſe lætatum, ſed *inſequenti anno* in Burgundia periiſſe. at Gregorius, ceteríque noſtri Hiſtorici iuſſu Chlodomeris Burgundiam repetentis, hoc eſt Indictione II Iuſtino Aug. II & Opilione Coſſ. Sigiſmundum interfectum dicunt. IↃXXIV.
Ex Mario igitur intelligimus ſuperiorem in Burgundiones expeditionem à Francorum Regibus Conſulatu Maximi Indictione I factam eſſe. IↃXXIII.

Poſtquam tres Francorum Reges, Chrothildis filij, contenti victoriâ, cum captiuis & præda in Franciam reuertere, Godomarus, Gundobadi Regis filius, Sigiſmundi frater, quem alij Godmarum, alij Godemarem appellant, cladis reliquias collegit, receptíſque viribus Burgundiæ Regnum obtinuit. Rex Burgundionum factus eſt Godomarus (vt ait Marius) Iuſtino II & Opilione Coſſ. IↃXXIV.
Indictione II. cui priuſquam Chlodomeres bellum inferret, Sigiſmundum interficere ſtatuit. Florebat tum in pago Aurelianenſi Auitus, Mitiacenſis Monaſterij Abbas, Maximini diſcipulus, vir ſanctiſſimus atque grauiſſimus, qui certior factus de inito atroci conſilio Chlodomerem Regem adiit, nec dubitauit affirmare, ſi Sigiſmundo vitam non eripuiſſet, victoriam eum ex Burgundionibus laturum: ſin eumdem interemiſſet, ipſum in manus hoſtium venturùm, eadémque cum vxore & liberis paſſurum, quæ Sigiſmundo coniugíque ac liberis eius feciſſet. Damnauit Chlodomeres ſalubre conſilium, negans prudentis eſſe hominis foris bellum gerere, hoſtibus domi poſt tergum relictis, quibus occiſis faciliùs reliquos vincere & interficere poſſet: ſtatímque Burgundiam petens Sigiſmundum cum vxore & liberis iugulari apud Columnam agri Aurelianenſis vicum, Aimoino Calumniam dictum, & in puteum abiici iuſſit. Has Sigiſmundus Burgundio-

num Rex, eiúsque coniux occisi Sigisrici pœnas pependere. Non omittendum est, quod ait Vsuardus in Martyrologio, Sigismundum Regem Burgundiæ, quem Sanctorum ordinibus adscribit, à Francis cum coniuge & liberis captum esse, ac in profundum putei mersum Kalendis Maiis exspirauisse, atque postea sepultum à quodam Abbate, *etiam miraculis claruisse*. In quo videtur Vsuardus secutus esse Marium Episcopum, qui Sigismundum vnà cum suis in puteum proiectum esse tradidit: cùm eum Gregorius, Aimoinus, ceteríque nostri Historici, antequam deiiceretur, interemtum dicant. è quibus Florentius Gregorius in libro de Gloria Martyrum, & Aimoinus Monachus in Historiæ libro II produnt corpus Sigismundi postea Acaunum delatum, (qui est locus Sedunis, gentis Sedunorum capiti, proximus) ibíque in Monasterio S. Acaunensium Martyrum honorificè sepultum esse.

Igitur Chlodomeres Francorum Rex, maximus Chrothildis filiorum, comperto Godomarum vires Regnúmque recepisse, Sigismundum (vt diximus) interficit, atque ad societatem belli Theodoricum maiorem natu fratrem suum inuitat: qui Sigismundi soceri sui iniuriam vindicare volens, cum eo sese expeditionem suscepturum confirmauit. apud Visorontiam, vel Viseronciam, locum agri Viennensis, in Burgundiæ finibus coniunguntur exercitus. tum ambo fratres cum Godomaro prœlio conflixere. Fusi Burgundiones cum Rege terga verterũt. quos fugientes Chlodomeres, vt equo pernicissimo vehebatur, incautiùs insecutus est. at illi Francorum Regem longè à suis remotum vbi agnouere, simulant se Francos esse, signum eius vsurpant, dubitantémque quid ageret ad se inuitant. quippe Burgundionibus eadem, quæ Francis, vt origo, sic lingua, nimirum Germanica erat. Chlodomeres, non minùs in credendo, quàm in persequendo temerarius, ad Burgundiones accedit, dúmque Francis adiungi putat, in medios hostes incidit, circumuentúsque interficitur. Eius caput Godomarus amputatum conto præfigi, ostentaríque Francis iussit. quo viso agnitóque, nostri

contrà atque ſperauerat, non conſternati, ſed ad vltionem incitati prœlium redintegrauere. funditur fugatúrque Godomarus: qui non multo pòſt Regnum recuperauit. cæſi ad internecionem Burgundiones. Burgundia omnis igne ferróque vaſtata, & in Francorum poteſtatem redacta eſt. ſenibus quoque, & infantibus parci ira dolórque vetuere. ſic bellicoſo Regi hoſtium cæde parentatum eſt. Nupta fuerat Chlodomeri Gundeuca, quam Fredegarius Gunthiucham, aliqui Godeucam appellant. Hanc Chlotharius poſt fratris mortem inceſto ſibi matrimonio iunxit. Ex Gundeuca tres filios ſuſtulerat Chlodomeres, Theodoualdum, multis Theudoaldum dictum, Guntharium, vel Gunthacharium, & Chlodoaldum: quos auia Chrothildis Regina, diebus luctus exactis, apud ſe educauit. Interfectus eſt Chlodomeres XIII regni ſui, XXX circiter ætatis anno Iuſtino Aug. II & Opilione Coſſ. vt ſcribit Marius in Chronico, qui & eodem anno Boëthium Conſularem atque Patricium iuſſu Theoderici Oſtrogothorum Regis in agro Mediolanenſi occiſum dicit. Agathias à Gregorio, & reliquis noſtris Auctoribus, quos in ſuperiore expeditione ſcribenda ſecutus ſum, diſſentit. quippe in Hiſtoriæ libro I tradit Chlodomerem quartæ partis Francorum Regem, quem ipſe Chlothomerum, alij Chlodomirum appellant, cum Burgundionibus pugnantem, telo pectori infixo, cecidiſſe. cuius comam promiſſam & compoſitam, atque ad dorſum pertingentem vt Burgundiones videre, Regem hoſtium ab ſe interfectum eſſe intellexere. propterea quòd moris erat Francorum Regibus capillum à pueris inconſum retrò per ceruicem & dorſum effundere, eumdémque à fronte diuiſum in humeros demittere, atque ingenti diligentia pexum & ornatum pro inſigni regio habere: cùm priuati omnes eſſent circumtonſi, nec facilè cuiquam permitteretur, vt comam promitteret. Addit Agathias Burgundiones abſciſſum Chlodomeris Regis caput in haſta fixiſſe, Franciſque oſtendiſſe. quo ſpectaculo tantum ſingulis ac vniuerſis timorem iniectum, tantámque deſperationem illatam eſſe,

ↄxxiv.

vt infractis animis certamen detrectauerint, & conditiones pacis à victoribus latas acceperint. ita bello composito reliquias Francici exercitus celeriter libentérque domum rediisse. Regnum autem Chlodomeris (cui nihil liberorum fuisse falsò ait Agathias) fratres eius statim inter se diuisisse, quod tamen Gregorius nonnisi post interemtos Chlodomeris filios diuisum esse indicat in libri tertij capite duodeuicesimo. Vt manifestus sit error Aimoini Monachi, qui Chlotharium Regnum cum vxore Chlodomeris fratris confestim post eius mortem obtinuisse tradit, quasi Theodoricus & Childebertus Reges æquo animo passuri fuerint sua se à fratre natu minore supradicti Regni parte priuari. Idem Aimoinus, paullo aliter quàm ceteri nostri Historici, de posteriore hacce & nouissima Chlodomeris aduersus Burgundiones expeditione refert, nimirum Chlodomeri Burgundiæ fines ingresso Godomarum armatum occurrisse, prœliúmque cum eo non dubitasse committere : sed Burgundiones more suo, cùm Francorum vim & impetum sustinere non possent, terga vertisse. tum Chlodomerem Regem iuuenta & successu exsultantem, dum audaciùs hostes insequitur, incitato equo suos longè post se reliquisse: quem Burgundiones, quia cominus incessere non audebant, procul telis appetere cœperint. ipsum in confertissimam hostium partem irrupisse, & quem primum obuium habuit, equo deiecisse, circumuentúmque confossis lateribus concidisse, Principem magnum animo, impigrum, & manu strenuum, ac eximia specie venerabilem, sed consilio parum prouidentem. Francos verò cognita Regis morte non, vt ceteræ nationes facere consueuerant, fugam capessiuisse, sed ira incitatos magnam Burgundionum cædem fecisse, vastatáque omni Burgundia Franciam repetiuisse.

Ceterùm vt suprà retuli, apud Gregorium dicitur Theodoricus, *iniuriam soceri sui vindicare volens*, Chlodomeris fratris legatis de belli Burgundici societate ad se missis venturum se promisisse. quo autem is modo Sigismundi soceri sui mortem in auctorem vltus

ſit, tribus verbis indicat Fredegarius Scholaſticus in Epitome, cùm ait, apud Viſorontiam pugnâ conſertâ, Chlodomerem interfectum & capite truncatum eſſe, *deceptum ab auxiliis Theodorici*, qui filiam Sigiſmundi habebat vxorem. Ex quibus intelligi poteſt Theodoricum Francorum Regem ſignum, quod Chlodomeres militibus ſuis dederat, clàm ad Godomarum Burgundionum Regem vxoris ſuæ patruum deferendum curauiſſe, auctorémque ei fuiſſe, vt Chlodomerem, incautum iuuenem, & auidum pugnæ ſimulatione fugæ deciperet, atque vt Sigiſmundum ſocerum vindicaret, fratrem ſub oculis ſuis interfici paſſum eſſe, circumuentóque ſubſidium ferre noluiſſe. Præterea notare conuenit, id quod aiunt Gregorius ac Fredegarius, Burgundiam tum nihilominùs *in Francorum poteſtatem redactam* eſſe. Nam cùm nonniſi Indictione XII Iuſtiniano Aug. IV. & Paullino Iuniore Coſſ. Childebertus
IↃXXX. IV.
& Chlotharius Francorum Reges Burgundiam obtinuerint, ſicuti tradit Marius in Chronico: tamen Synodo XXII regni Childeberti anno, hoc eſt Indictione XI Iuſtiniano Aug. III Conſule apud Aurelianos
IↃXXX. III.
habitæ interfuere, decretíſque in primis ſubſcripſere Iulianus Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis, Agrippinus Æduorum Epiſcopus, & Aſclepius Preſbyter pro Adelphio Epiſcopo Rauracenſi. Vienna autem, & Auguſtodunum Æduorum, & Auguſta Rauracûm, vel Rauricorum, Burgundiæ vrbes erant. Vt appareat, antequam Childebertus & Chlotharius Regnum Burgundiæ armis occupauiſſent, partem eius, præſertim ſupradictas vrbes Francis paruiſſe. quam Burgundiæ partem nouiſſima Chlodomeris aduerſus Burgundiones expeditione à Francis, Regis ſui mortem vlciſcentibus victoribúſque, ſubactam fuiſſe credendum eſt. ídque eo veriſimilius videtur, quòd tum & Theodericus Oſtrogothorum Rex, qui Prouinciam tenebat, hoc bello tamquam ſua occaſione vſus, partem Burgundiæ finitimam Prouinciæ, miſſo ex Italia cum copiis Tolum vel Tholuit Duce, occupauit. Vt apud Caſſiodorum Senatorem in libri Vatiarum VIII epiſtola X Athalaricus Rex docet

his verbis. *Mittitur igitur, Franco & Burgundio decertantibus, rursus ad Gallias tuendas, ne quid aduersa manus præsumeret, quod noster exercitus impensis laboribus vindicasset. Adquisiuit Reip. Romanæ, aliis contendentibus, absque vlla fatigatione Prouinciam, & factum est quietum commodum nostrum, vbi non adiuimus bellica contentione periculum: triumphus sine pugna, sine labore palma, sine cæde victoria. tantum ergo eius gloriæ debemus, quantum vtilitatis accepimus.* Certè Synodo Opi-
IↃXXIV. lione V.C. Cos. hoc est eo ipso anno, quo Chlodomeres in Burgundia interfectus est, apud Arelatum permissu Theoderici Ostrogothorum Regis habitæ interfuere præter ceteros Philagrius, Prætextatus, Iulianus, Florentij duo, & Constantius Episcopi, ij omninò, qui
IↃXVII. Agapeto V. C. Consule vnà cum ceteris Burgundiæ Episcopis Epaonem venerant, decretísque subscripserant. è quibus Philagrium Episcopum Cabellicum, Prætextatum Aptensem, Iulianum Carpentoratensem, Florentium Arausicum, Florentium Tricastinum, Constantium Vapincensem Episcopum fuisse subscriptiones docent. Ex quo cognoscitur Cabellionem, Aptam Iuliam, Carpentorate, Arausionem, Augustam Tricastinorum, & Vapincum, atque, vt Synodus Carpentoratensis docet, vicum Vasensem, hoc est, Vasionem, vrbes Burgundiæ à Theoderico Ostrogothorum Rege post Sigismundi mortem ex occasione esse occupatas, Godomarúmque post cædem Chlodomeris Francorum Regis totum Burgundiæ Regnum minimè recepisse.

IↃXXV. Probo iuniore & Philoxeno Coss. Theodericus Ostrogothorum Rex Ioannem sedis Apostolicæ Antistitem Rauennam euocauit, & vnà cum Episcopis Ecclesio Rauennate, Eusebio Fanestri, & Sabino Campano, cúmque Senatoribus Theodoro, Importuno, & Agapeto Consularibus viris, & Agapeto Patricio, Constantinopolim ad Iustinum Principem legatum misit, qui peteret, vt in partibus Orientis ademtæ iussu Imperatoris Hæreticis, in primis Arianis Ecclesiæ restituerentur, & qui damnata Hæresi facti erant Catholici, Hæreticis

redderentur. ſi id Auguſtus non feciſſet, minabatur Theodericus ſe in Italos Catholicos ſæuiturum. Ioanni omnium Romanorum Epiſcoporum primo Conſtantinopolim venienti Imperator Iuſtinus cum Clero vrbis occurrit, eúmque honorificentiſſimè accepit. qui (vti ait Marcellinus) Conſtantinopoli dexter in dextro Eccleſiæ Magnæ ſolio conſedit, *Paſchámque plena voce Romanis* (id eſt Latinis) *precibus celebrauit.* Anaſtaſius Bibliothecarius, & Aimoinus Monachus in Hiſtoriæ libro II produnt Ioannem, tamquam B. Petri Vicarium, Iuſtini Aug. capiti diadema impoſuiſſe, eúmque Principem omnium Imperatorum primum à Romano Epiſcopo inſignia imperij accepiſſe. quod nullus alius Græcus, aut Latinus Auctor memoriæ tradidit. nequaquam enim veriſimile eſt Iuſtinum Aug. qui ante annos ferè ſeptem à Conſtantinopolitano Epiſcopo coronatus fuerat, iterum ab Ioanne coronari voluiſſe. conſtátque Carolum omnium primum, à Leone Epiſcopo Romano coronâ capiti impoſitâ, Imperatorem Auguſtum appellatum eſſe, eiúſque exemplum ſecutos eſſe filium, nepotes, pronepotéſque, & abnepotem, vt non antè Imperatores dicerentur, quàm ab Eccleſiæ Romanæ Epiſcopo fuiſſent coronati. quo ætatis ſuæ more decepti Anaſtaſius ac Aimoinus Ioannem quoque Rom. Epiſcopum capiti Iuſtini Aug. coronam impoſuiſſe exiſtimauere. Dum Conſtantinopoli morantur legati, Theodericus Rex Symmachum Principem Senatus, ex Conſule, atque Patricium, cuius filia nomine Ruſticiana Boëthio nupta fuerat, Româ Rauennam perduci iuſſit, virum ſanctitate, doctrina, & nobilitate non minùs Boëthio eminentem, & gloria ac fauore populi florentem: metuénſque, ne ob generum ſuum falſo crimine damnatum res nouas moliretur, eum ſimiliter falſo maieſtatis crimine inſimulatum occidit, reuerſúmque Ioannem cum ſociis coniecit in vincula.

Breui impietatis & ſæuitiæ merita Barbarum pœna conſecuta eſt. quippe inſequenti anno, quo Olybrius, ıɔxxvi.
Arcobindi ex Magiſtro militum Orientis, ex Conſule, atque Patricij, & Iulianæ Nobiliſſimæ feminæ filius,

Imperatoris Olybrij & Placidiæ Aug. nepos, Placidi
Valentiniani Aug. & Eudoxiæ pronepos Conſulatum
iniit; Theodericus, dum Baſilicas Catholicorum per vim
occupare, & ſuarum partium viris, nimirum Arianis
tradere parat, morte præuentus eſt. Deceſſit Theo-
dericus Rex Gothorum & Italorum III Kalendas Se-
ptembres; aut, vt ait Auctor Chronici à Cuſpiniano
IƆXXVI. editi, menſe Septembri, Olybrio V.C. vnico Conſule:
cùm XXXIII annos menſéſque ferè ſex poſt interfe-
ctum Odoacrem Regem in Italia; poſt occiſum Geſali-
cum Veſigothorum Regem annos XV in Hiſpania Se-
ptimaniáque regnauiſſet. Quamquam Synodus Tarra-
IƆXVI. cone habita *anno* VI *Theodorici Regis Conſulatu Petri*
dicitur, item Synodus habita Gerundæ *anno* VII *Theo-*
IƆXVII. *dorici Regis, Agapeto V. C. Conſule.* cùm Conſulatus Pe-
tri, quintus regni Theoderici in Hiſpania; Conſulatus
autem Agapeti, ſextus ſit annus. niſi Theodericum, cui
Auctor Appendicis Chronico Victoris adiunctæ, & Iſi-
dorus, aliíque XV tantùm regni Veſigothici annos tri-
buunt, Veſigothis Hiſpanienſibus annos XVI impera-
uiſſe credimus. quod aliter facere non poſſumus, quàm
quartum & vltimum regni Geſalici annum, quo is pro-
fugus, & à Theoderico Regno expulſus, in Aquitania
latuit, Theoderico attribuendo. Apud Iordanem dicitur
Theodericus, paullo antequàm obiret, Athalaricum,
ſuum ex Amalaſuentha filia nepotem, patre Eutharico
orbatum, puerum vix decem annorum, Regem conſti-
tuiſſe: Comitibúſque, & primoribus Oſtrogothorum,
quos conuocari iuſſerat, mandauiſſe, *vt Regem colerent,
Senatum populúmque Rom. amarent, Principémque O-
rientis placatum ſemper propitiúmque haberent.* cuius
mandati memores Athalaricum Regem, & matrem eius
octo annos in pace regnauiſſe. Ceterùm Theodericus,
quem alius Theudoricum; alius Theodoricum; quidam
Græcos ſecuti Theudericum appellant, Procopius in li-
bro I belli Gothici verbo quidem *Tyrannum;* re autem
verum Regem fuiſſe ſcribit: Tyrannum inquam, credo
propterea quòd iniuſſu Anaſtaſij Aug. Rex à ſuis fuerat
appellatus. vt idem Odoacrem Tyrannum vocat, qui
ſine

ſine Zenonis Aug. conſenſu Regnum Italiæ occupauerat. Idem eodem in libro Noricos, & Dacos Theoderico Oſtrogothorum Regi, eiúſque ſucceſſoribus paruiſſe tradit. è quibus tamen Daci, nimirum Tranſdanubiani tum ſub Gipedum ditione erant, (vt ait Iordanes) Daci Ripenſes, & Daci Mediterranei Imperatoribus Rom. obediebant. Baioarij verò, qui, teſte Paullo in rerum Langobardicarum libro III, Noricum incolebant, Theodorico Francorum Regi paruere. quippe is leges Alamannorum, *Baioariorum*, ac ~~Ripariorum~~ corrigendas curauiſſe dicitur. Ex quo etiam intelligitur, id quod in libro VI diximus, Chlodoueum poſt prœlium Tolbiacenſe Alamanniam ſubegiſſe, partémque minimam Alamannorum ad Theodericum Regem Italiæ perfugiſſe. cùm Chlodouei filius ſucceſſórque Theodoricus Alamannorum leges emendauerit. Non negauerim tamen partem aliquam Noricorum ſub Oſtrogothorum imperio fuiſſe. quod videtur docere Epiſtola Theoderici Regis ad *prouinciales Noricos*, Senatoris Variarum libro III inſerta.

Mortuo Theoderico Gothorum Rege, nepotes eius, IↃXXVI.
Athalaricus, puer annorum circa octo vel decem, in Italia ſub tutela Amalaſuenthæ matris ſuæ; Amalaricus Alarici filius in Hiſpania regnare occœpere. qui conſobrini Galliæ partem Gothicæ ditionis ita inter ſe diuiſere, vt regionem inter Alpes Maritimas ac Rhodanum iacentem, vulgò Prouinciam dictam haberet Athalaricus: Septimaniam, vel Gothiam à flumine Rhodano ad Pyrenæum vſque promiſſam Amalaricus obtineret, ac tributa, quæ antea Theoderico pendebantur, deinceps ipſe exigeret. theſauri quoque, qui (vt ait Procopius) Carcaſſone ſublati fuerant, Amalarico ſunt redditi. & quoniam Oſtrogothi & Veſigothi, dum vtrique Theodericum Regem habebant, affinitatibus connubiorum alteri alteris ſeſe commiſcuerant, ſingulis, qui extra fines gentis ſuæ eiuſmodi matrimonia contraxerant, optio facta eſt, vt vel vxor virum, vel vir vxorem ſequeretur. Athalaricus, poſtquam rerum potitus eſt, legatos cum litteris ad Imper. Iuſtinum miſit,

qui peterent, vt eorum, quæ paullo antè à Theoderico auo ſuo facta erant, obliuiſceretur, memórque Eutharici patris, quem per arma adoptauiſſet, pacem & amicitiam eiſdem conditionibus, quibus à Zenone & Anaſtaſio Auguſtis cum auo ſuo iuncta fuerat, ſecum iniret. Iordanes de Origine rebúſque Gothorum, & in libro de Succeſſione Regnorum, ac Freculfus in Chronico tradunt Francis, contemtu regni puerilis ac muliebris tutelæ bellum parantibus, quidquid Theodericus in Gallia occupauerat, conceſſum, hoc eſt, partem Galliarum, quam annos circiter XVIII Oſtrogothi tenuerant, Francis repetentibus redditam eſſe. Aſſentitur Iordani ac Freculfo Sigebertus in Chronico, quippe ait *Francos extorſiſſe è manibus Athalarici, quidquid Galliarum auus eius Theodericus tenuerat*. Sed Iordanem, Freculfum, ac Sigebertum falli Caſſiodorus Senator, in Variarum libri VIII epiſtola VI, & libri XI epiſtola I, & Concilium Arauſicanum indicant, ex quibus diſcimus Prouinciam Athalarico Regi paruiſſe, atque à Felice Liberio V. C. & Illuſtri, Præfecto Prætorij Galliarum atque Patricio adminiſtratam eſſe. & diſertis verbis Procopius in libro I belli Gothici ſcribit partem hanc Galliæ à Vitige Oſtrogothorum Rege Francorum Regibus Childeberto, Chlothario, ac Theodeberto datam fuiſſe.

Operæpretium eſt Caſſiodorum Senatorem V. C. & Illuſtrem, ex Conſule, Præfectum Prætorij, atque Patricium in libri Variarum XI epiſtola I de initiis principatus Athalarici & Amalaſuenthæ loquentem audire. *Franci, tot Barbarorum victoriis prapotentes, quàm ingenti expeditione turbati ſunt? Laceßiti metuerunt cum noſtris inire certamen, qui præcipitatis ſaltibus prœlia ſemper gentibus intulerunt. Sed quamuis ſuperba natio declinauerit conflictum, vitare tamen proprij Regis nequiuit interitum. Nam Theodericus ille, diu potenti nomine gloriatus, in triumphum Principum noſtrorum languoris potiùs pugnâ ſuperatus occubuit: ordinatione (credo) diuina, ne nos aut affinium bella polluerent, aut iuſtè productus exercitus vindictam aliquam non haberet. Macte*

procinctus Gothorum omni felicitate iucundior, qui hostem Regalem capite cadis, & nobis nec vnius vltimi fata subducis. Burgundio quinetiam, vt sua reciperet, deuotus effectus est, reddens se totum, dum accepisset exiguum. elegit quippe integer obedire, quàm imminutus obsistere. tutiùs tunc defendit Regnum, quando arma deposuit. recuperauit enim prece, quod amisit in acie. Beatam te, Domina, laude multiplici, cui diuino beneficio necessitas tollitur cuncta certaminis. Quibus verbis indicat Cassiodorus Senator Theodericum, vel Theodoricum Francorum Regem Athalarico Regi Amalasuenthæ filio bellum intulisse, cúmque Ostrogothi nihilo seciùs se ad resistendum pararent, morbo ipsum obiisse. quem affinem Athalarici & Amalasuenthæ non sine causa appellat, quippe Amalasuentha, Theoderici Ostrogothorum Regis ex Audefleda Chlodouei sorore filia, Theodorici Francorum Regis amitina erat. & Athalaricus, ac Theodorici huius vxor, Sigismundi Regis filia, consobrini Theodericum Ostrogothorum Regem communem auum maternum habebant. Quod autem suprà ait Cassiodorus Senator, Theodoricum Francorum Regem, dum aduersus Ostrogothos bellum gereret, morbo interiisse circa initia principatus Athalarici, videtur conuenire cum his, quæ nostri Historici scribunt, Theodoricum, misso cum copiis aduersus Gothos Theodeberto filio suo, decessisse. nisi quòd nostri mortuum eum dicunt anno regni XXIII, hoc est Iustiniano Aug. IV & Paullino Coss. quo ipso anno Athalari- ıↄxxx-
cus Rex obiit. Porrò quod ibidem ait Senator, *Bur-* ıv.
gundiones tum *sua precibus recepisse*, hoc est, Godomarum Burgundionum Regem vrbes Burgundiæ, post Sigismundi fratris sui captiuitatem & mortem à Theoderici Ducibus occupatas, pace cum Athalarico inita recuperauisse: id initio regni Athalarici factum esse non potest. quippe Concilium apud Carpentorate vrbem Burgundiæ Mauortio V. C. Consule habitum legimus. ıↄxxvii.
& Synodum apud Arausionem, vrbem quoque Burgundicæ antea ditionis, Decio Iuniore V. C. Consule ıↄxxix.
coactam esse constat, cùm ad dedicationem Basilicæ,

quam Illustrissimus Præfectus & Patricius Liberius ea in vrbe exstruxerat, inuitati ab ipso Episcopi conuenissent. eodémque anno paucis pòst mensibus Concilium apud Vasensem vicum, hoc est, apud Vasionem opidum antea Burgundiæ, est congregatum. cui Concilio, vt & duobus superioribus Conciliis, nimirum Arausicano, & Carpentoratensi, præsedit Cæsarius, Episcopus Arelatensis vrbis, vti antea Theoderico Ostrogothorum Regi; sic tum Athalarico subiectæ. Ex quo cognoscitur nonnisi Episcopos vrbium Athalarico parentium hisce tribus Conciliis interfuisse, & Carpentorate, Arausionem Cauarum, ac Vasionem Vocontiorum, vrbes Sigismundo Burgundionum Regi quondam subiectas, (vt Synodus Epaonensis docet) fratri eius successoríque Godomaro ab Athalarico, III regni sui anno exacto, nondum fuisse restitutas; quemadmodum nec Vapincum, Cabellionem Cauarum, & Aptam Iuliam. Neque enim dubito, quin Constantius & Philagrius Epi-
IↃXXVII. scopi, qui Carpentoratensi Concilio Mauortio Cos. interfuerunt, & Prætextatus, qui Arausicano affuit, iidem sint, qui decretis Concilij Epaone coacti inter
IↃXVII. Episcopos Burgundiæ Agapeto V. C. Cos. subscripsere, nimirum *Constantius Episcopus ciuitatis Vapincensis, Philagrius Episcopus ciuitatis Cabellica, & Prætextatus Episcopus ciuitatis Aptensis.*

IↃXXVII. Indictione v. Mauortio solo Consule Iustinus Aug. ex vlcere, quod in pede habebat, in languorem incidit, cúmque ingrauescente vi morbi de vita pæne desperaret, Iustinianum, sororis suæ filium, annos XLV natum, quem iamdudum Nobilissimum designauerat, Kalendis Aprilibus in consortionem potestatis recepit, Epiphanio Constantinopolitano Episcopo, Senatoribúsque, ac primoribus militum conuocatis, Imperatorémque appellauit, atque eius capiti diadema sua manu imposuit. Tum Iustinianus cum insignibus imperatoriis ad populum, qui in Circum venerat, ex more processit, faustísque acclamationibus, & solitis laudibus exceptus, in Palatium rediit: ac statim vxor eius Theodora Augustæ nomen accepit. vt Marcellinus, Euagrius,

Auctor Chronici Alexandrini, & Zonaras, ac Cedrenus tradunt. Ex quo apparet errare Victorem Tununnensem Episcopum in Chronico, cùm ait post Consulatum Iustini A. II & Opilionis, quem malè Apionem appellat, Philoxeno & Probo Coss. Iustinianum, orante Iↄxxv.
Senatu, à Iustino Principe inuito *Cæsarem* tantummodò factum. Imperauit Iustinianus cum auunculo suo menses IV. quippe Iustinus ex vulnere pedis, quod quondam, in prœlio sagittâ ictus, acceperat, Mauortio Consule Kalendis Aug. interiit, LXXVII ætatis, IX impe- Iↄxxvii.
rij anno, ac die XXII, vir Catholicus & pius.

Decio solo Consule *Stephanum Præfectum Hispania-* Iↄxxix.
rum factum, tertio anno Præfecturæ suæ, hoc est post Consulatum Lampadij & Orestis, quo anno Amalaricus periit, *Gerundæ in Concilio discinctum esse* scribit Auctor Appendicis Chronico Victoris adiunctæ. Vbi notandum est Amalaricum Vesigothorum Regem absentem Hispanias per Præfectos administrauisse, propterea quòd, Gesalici fratris sui exemplo, Narbone in Gallia habitabat, post occupatam à Chlodoueo cum Aquitania Tolosam, quæ Regum Vesigothorum domus fuerat. Post Amalaricum autem omnes Vesigothorum Reges in Hispania, cuius partem maximam obtinebant, habitauere, vno excepto Liuua, qui Regno Galliæ Narbonensis contentus, Narbone triennio regnauit: videturque primus Vesigothorum Principum Athanagildus, Iustiniano imperante, Toleti regni sedem statuisse.

Herminafridus Toringorum Rex, vt supradiximus, Theodorico Francorum Regi dimidiam partem Regni Baderici fratris sui daturum se promiserat, si Francicis viribus victum eum interficere potuisset. sed cùm adiutore Theodorico fusum acie fratrem occidisset, quod pollicitus erat, reuerso in Franciam Rege facere neglexit. Cuius periurij non immemor Theodoricus, deceptum se ac derisum fremens, Herminafrido bellum inferre summo opere instituit; Chlothariúmque fratrem suum socium sibi adsciuit, parte ei prædæ promissa, si ex hoste victoriam tulisset. Deinde conuocatos Francos hortatus est, vt cùm priuatam iniuriam suam,

tum cædem popularium vlciſcerentur, reminiſcerentúrque crudelitatis ac perfidiæ Toringorum, qui quondam incurſione in Franciam facta obſides, quos à Francis bellum deprecantibus acceperant, necauiſſent, pueros neruis femorum ex arboribus ſuſpendiſſent, captiuas puellas partim equis pernicibus alligatas diſtraxiſſent, partim grauibus plauſtris obtriuiſſent. (quod ego X regni Chlodouei anno factum retuli, quoniam ea mihi belli tum à Chlodoueo Toringis illati cauſa fuiſſe viſa eſt) Poſtremò adiecit Theodoricus Herminafridum, violata fide, quod pollicitus ſit, facere recuſare, ab eóque pœnas periurij Deo ſecundo iuſta vltione expetendas eſſe: quoniam ipſe fruſtra ſæpe per legatos promiſſa repopoſciſſet. Quo Franci audito indignãtes Regem ſuum tanto ſcelere circumuentum fuiſſe, vno animo vnáque ſententiâ cauſam belli probauere, & quò duceret ſequi paratos ſe eſſe confirmauere. Igitur Theodoricus, Chlothario fratre & Theodeberto filio comitibus, Renum traducit copias, ac Toringiæ fines ingreditur. At Herminafridus, qui Francos virtute à ſuis ſuperari non poſſe intelligebat, dolo eos decipere conatur. campum, in quo prœlium committere conſtituerat, foſſis intercidit, eáſque denſo ceſpite operit. Poſtquam pugnari cœptum eſt, multi Francorum equi in foſſas decidere, donec noſtri cautiores facti cognitam fraudem euitauere, & circuito inſidiarum loco Toringos inuaſere. quorum cùm magnus numerus eſſet interfectus, reliqui omnes vnà cum Herminafrido Rege terga verterunt, nec priùs fugere deſtiterunt, quàm ad Oneſtrudem fluuium peruenerunt. Ibi Franci fugientes conſecuti tantam cædem fecere, vt alueus fluminis cadaueribus repleretur, & victoribus amnem tranſeuntibus aceruus corporum loco pontis eſſet. Sic apud Fortunatum in libro, quem de Virtutibus Hilarij ſcripſit, inuenio Chlodoueum Theodorici patrem, media noctè monitum in ſomniis ab Hilario Pictauorum Epiſcopo, vt votis in Baſilica ſua nuncupatis confeſtim cum hoſtibus prœlio decertaret, poſt id factum tam feliciter pugnauiſſe, vt intra horam diei tertiam ex gente Hære-

tica victoriam ferret, & propter Vesigothorum coaceruatorum cumulos ex longinquo campus in collem mutatus esse videretur. quod suo loco omissum hîc retuli, vt ex his duobus prœliis, Vogladensi, atque ad Onestrudem, quisque colligat, quales tum Francorum pugnæ esse consueuissent, qualésque victoriæ. Hic est Onestrudes, vel Vnestrodes fluuius, ad quem postea Sigibertus, Dagoberti filius, Austrasiorum Rex à Radulfo Duce Toringiæ rebelli eruptione facta victus est, & magna clades accepta.

Cæsis circa Onestrudem Toringis, Herminafridus Rex cum paucis fugâ salutem petiit, atque in munitam se vrbem cum coniuge & liberis contulit. Franci autem victores, agris igne & ferro vastatis, & depopulata regione, magnum hominum numerum in seruitutem abduxere. Gregorius Turonicæ Ecclesiæ Episcopus Toringiam tum captam, & in Francorum potestatem redactam dicit. quod si verum est, ita intelligi debet, vt non omnis Toringia, sed pars eius à Theodorico Francorum Rege post victos Toringos armis occupata fuerit. cùm Herminafridum Toringorum Regem fuga mortem euasisse, muris munitæ vrbis se inclusisse, nec in Francorum manus venisse constet. Regiam quidem sedémque Regum Toringorum (siue ea Erpfesfurtum, siue alia vrbs fuit) tum à Theodorico & Chlothario Francorum Regibus captam fuisse ex eo iudicari potest, quòd Chlotharius, cui ex pacto pars prædæ debebatur, Bertharij Toringorum Regis filium, filiámque nomine Radegundim, qui in aula Herminafridi patrui sui educabantur; captiuos abduxit. nisi adolescentulum & virgunculam cum patruo profectos ad bellum, ibíque captos esse credimus.

Non fuit cõtentus victoria belli Toringici Theodoricus Rex, sed vt erat Chlodouei parentis sui sæuitia & auiditate animi simillimus, Chlothario fratri, quo adiutore & socio Toringos fuderat, pro auxilio nefariam in Toringia mortem persoluere voluit, vt eius Regnum adiungeret suo: cúmque viros armatos post aulæum stare iussisset, qui inopinantem deimprouisò interficerent, Chlotharium

ad ſe vocauit, tamquam cum eo ſine arbitris de ſummis rebus acturus. Domum intranti Chlothario propter aulæi breuitatem pedes inſidiatorum apparuere detecti. qua re diſſimulata haudquaquam territus ſuos armatos ſequi ſe iubet, domúmque fratris comitatus ingreditur. Tum Theodoricus, vbi intellexit detectas eſſe inſidias, cauſam comminiſcitur, cur armatos domi poſt aulæum collocauiſſet, & alia ex aliis turbatus loquitur, vagis ſermonibus fictíſque fabulis innocentiam ſimulans: atque vt fratrem deliniat, catinum ei magnum dat ex argento. Vix Chlotharius vale dicto, & pro munere gratiis actis domum redierat, cùm Theodoricus, queſtus apud ſuos ſe ſine cauſa catinum perdidiſſe, Theodebertum filium poſt eum miſit, qui à patruo munus peteret, quod ipſe ei dediſſet. hac arte relatum à Theodeberto catinum recepit. Ex quo apparet Regibus Francorum, quamuis maxima tum Galliarum parte potirentur, non multum argenti fuiſſe. Vnde Gregorius Turonicæ Eccleſiæ Epiſcopus in Præfatione libri V Hiſtoriæ tradit, Chlodoueum, Theodorici & Chlotharij patrem, cùm hoſtilium gentium Reges interficeret, regionéſque ſubigeret, *neque aurum, neque argentum* (ſicut Chlotharij filij, eius nepotes, ætate ſua in theſauris habebant) *habuiſſe*.

Victis Toringis, Theodoricus, & Chlotharius Francorum Reges exercitus ſpoliis graues in Franciam reduxere. è quibus Theodoricus, domum reuerſus, Herminafridum Toringiæ Regem, à quo fuerat promiſſis deceptus, pari fraude decepit; & data cum fide euocatum ad ſe, cùm veniſſet Tolbiacum, accepit honorificè, magníſque muneribus donauit. móxque cùm ambo ſuper murum opidi colloquerentur, Herminafridus impulſus, & de ſummo muro in terram deiectus, effuſo cerebro exſpirauit. ita vir peſſimus dignum crudelitate ſua habuit exitum, Regnúmque, propter quod fratres ſuos interemerat, deformi morte ſublatus amiſit. Gregorius in Hiſtoriæ libro III neſcire ſe ait, à quo Herminafridus deiectus fuerit, multos tamen affirmare Theodorici dolum ea in re maniſeſtò

feſtò patuiſſe. Fredegarius in Epitome Herminafridum à Theodeberto Theodorici filio interfectum; Aimoinus à Theodorico ipſo de muro præcipitatum dicit. Addit Aimoinus, ſecutus (vt ſolet) veterem Auctorem Hiſtoriæ Francicæ, Theoderici Merouingorum Regum penultimi æqualem, Herminafridi liberos iuſſu Theodorici interfectos eſſe, totúmque Regnum Toringiæ (vti & Fredegarius tradit) ab eodem ſubactum & occupatum.

Nouiſſimum hoc aduerſus Toringos bellum Indictione IX poſt Conſulatum Lampadij & Oreſtis geſſiſſe at- ıɔxxxı.
que confeciſſe videtur Theodoricus. quippe Gregorius ſcribit Theodorico in Toringia morante, Childebertum fratrem eius Aruernos opidum occupauiſſe, móxque cognito eiuſdem reditu ex Aruernia in Hiſpaniam ad vindicandam Chrothildis ſororis ſuæ iniuriam contendiſſe, Amalaricóque Regi Veſigothorum bellum intuliſſe, vt appareat vno eodémque anno duos potentiſſimos Reges Herminafridum Toringum à Theodorico; Amalaricum Veſigothum ab Childeberto fuſos acie, interfectóſque eſſe. Conſtat autem poſt Conſulatum Lampadij & Oreſtis Amalaricum à Childeberto Fran- ıɔxxxı.
corum Rege prœlio ſuperatum atque cæſum eſſe. quemadmodum prodit Auctor Appendicis Chronico Victoris Tununenſis Epiſcopi adiunctæ.

De expeditione Theodorici Regis Francorum aduerſus Toringos Procopius in libro primo belli Gothici ſic refert. Toringos Barbaros beneficio ac permiſſu Cæſaris Aug. (poſt cuius obitum tamen annis ampliùs quadringentis nulla eorum fit mentio) ſedes, quas nunc obtinent, poſſediſſe. quibus Francos, poſt Theoderici Gothorum Regis mortem nemine ampliùs ipſis reſiſtente, bellum intuliſſe, & Herminafrido eorum Rege interfecto, totam Toringorum gentem regionémque ſubegiſſe: vxorem Herminafridi Amalabergam cum liberis ad Theodahadum fratrem ſuum Oſtrogothorum Regem in Italiam perfugiſſe. Quamquam Athalaricum tum in Italia regnauiſſe, nec niſi anno III poſt expeditionem Toringicam, nimirum Iuſtiniano Aug.

IↃXXXIV. IV & Paullino Coss. Theodahadum ei successisse non minùs certum est, quàm falsum, quod suprà vetus Auctor Historiæ Francicæ & Aimoinus produnt, Herminafridi liberos à Theodorico Francorum Rege post patris sui cædem interfici iussos esse. Amalaberga enim vnà cum liberis fugâ Italiam petiit, ex Regina facta priuata, amisso Regno, propter quod virum in cædem fratrum suorum impulerat. Femina digna, quæ publica ruina protereretur, nec Toringiæ excidio, cuius causa erat, superesset; ambitiosa, superba, intolerabilis, matris demum filia. siquidem Amalafrida eius mater, post mortem Thrasamundi Vandalorum Regis viri sui, cùm freta Gothis, quos circum se habebat, res nouas moliretur, atque Hilderico Thrasamundi successori insidiaretur, capta & in custodia priuata mortua est. Herminafrido Toringorum Regi ex Amalaberga vxore liberi fuerunt Amalafridus, auiæ maternæ cognominis, Hamalafredus Fortunato, Procopio Amalafridas dictus, & Ranicunda. è quibus Amalafridum Procopius in belli Gothici libro IV Gothum virum, Amalafridæ sororis Theoderici Gothorum Regis nepotem, Herminafridi Toringorum Regis filium fuisse ait, atque à Belisario cum Vitige Constantinopolim abductum, ibi ab Imperatore Iustiniano Romanis copiis esse præpositum: sororem eius Audoino Langobardorum Regi in matrimonium datam: eumdem iussu Imperatoris Iustiniani cum militibus Romanis, quibus præerat, auxilium Langobardorum Regi Audoino aduersus Gipedes tulisse, à quo hostes prœlio superati sint, & magna cædes facta. Siue igitur Amalaberga in Italia decessit, antequam Vitigis caperetur, siue cum Ostrogothorum Optimatibus Constantinopolim abducta est: constat eius liberos primùm ab Amalasuentha, & Athalarico Rege, sobrino suo, tum à Theodahado, Ostrogothorum Rege, auunculo suo, deinde à Matasuentha Regina, vxore Vitigis Regis, sobrina quoque sua Ra-
IↃXXXIX. uennæ in Palatio esse educatos, & Indictione II Apione viro clarissimo solo Consule, vnà cum Virige, Ostrogothorum Rege, qui Rauennæ obsessus à Beli-

ſario, ſeſe dediderat, cúmque Mataſuentha Conſtantinopolim captiuos abductos eſſe: vbi Amalafridi ſoror, Herminafridi & Amalabergæ filia, à Iuſtiniano Aug. Audoino Langobardorum Regi collocata eſt, vti ait Procopius. Accedit Procopio Iordanes, apud quem in libro de Succeſſione Regnorum dicuntur Langobardi, ſocij Principum Romanorum, *Theodahadi ſororis filiam*, traditam ſibi ab Imperatore, *Regi ſuo* matrimonio iunxiſſe, ac cum Gipedibus Romanorum æmulis prœlio commiſſo, eos pæne caſtris exuiſſe, & vtrimque hominum millia ampliùs ſexaginta cecidiſſe. Hæc eſt Audoini Langobardorum Regis aduerſus Thuriſindum Gipedum Regem magna pugna atque victoria, cui Amalafridus interfuit. vt appareat *Regem Langobardorum* à Iordane dici Audoinum, qui Amalabergæ Theodahadi ſororis filiam, Amalafridi germanam in matrimonium duxit. At Paullus in Rerum Langobardicarum libro 1 *Ranicundam filiam Regis Turingorum*, (hoc eſt Herminafridi) primam Waconis, qui ante Audoinum apud Langobardos regnauit, vxorem fuiſſe ſcribit, & nullis eam genitis liberis deceſſiſſe indicat. ſiue falsò Ranicundæ, pro Audoino, Waconem virum fuiſſe credidit: ſiue duæ Herminafridi filiæ (plures enim ex Amalaberga ſuſcepit) duobus Langobardorum Regibus; maior nomine Ranicunda Waconi; minor Audoino nupsêre. Amalafridus Herminafridi filius à Iuſtiniano Principe Magiſter militum factus eſt, atque in Orientis partibus obiit, quem apud Fortunatum Preſbyterum Radegundis, ſoror eius patruelis, mortuum luget his verſibus.

Quid mihi flere vacet? preſſam hanc an funere gentem?
An variis vicibus dulce ruiſſe genus?
Nam pater antè cadens, & auunculus inde ſecutus
Triſte mihi vulnus fixit vterque parens.
Reſtiterat germanus apex: ſed ſorte nefanda
Me pariter tumulo preſſit arena ſuo.
Omnibus exſtinctis, heu viſcera dura dolentis!
Qui ſuper vnus eras, Hamalafrede iaces.
Tale venire diu exſpectaui munus amantis,
Militiaque tua hanc mihi mittis opem.

Cernere non merui viuum, nec adeſſe ſepulcro.
Perfero in exſequiis altera damna tuis.
Non fuit ex longa conſanguinitate propinquus,
Sed de fratre patris proximus ille parens.
Nam mihi Bertharius pater; illi Ermenefredus.
Germanis geniti, nec ſumus orbe pari.

Vbi miror, quòd Radegundis de patris quidem ſui Bertharij, & de Herminafridi patrui (quem *auunculum* parum proprio nomine appellat) déque fratris cæde, ac de Amalafridi fratris patruelis morte mentionem faciat; de Baderici autem alterius patrui ſui exitu nihil dicat. Apud eumdem Fortunatum Radegundis, ad Amalafridum ſcribens, de cæde fratris ſui, adoleſcentis primâ lanugine conſpicui, & de ſororibus Amalafridi ſic loquitur.

Vos quoque nunc Oriens, & nos Occaſus obumbrat,
Me maris Oceani, te tenet vnda Rubri.
——Quid differo luctus?
De nece germani cur dolor altè taces?
Qualiter inſidiis inſons cecidiſſet iniquis,
Oppoſitáque fide raptus ab orbe fuit.
Déque tuis ſimilis mihi cura ſororibus hæc eſt,
Quas conſanguineo cordis amore colo.
Nec licet amplecti quæ diligo membra parentum.

Quibus ex verſibus cognoſcitur, Herminafridum Toringorum Regem ex Amalaberga vxore marem vnum Amalafridum; feminini autem ſexus plures liberos generauiſſe, qui Conſtantinopolim abducti, & à Iuſtiniano Aug. viris ſint collocati. Hæ autem Herminafridi filiæ, grandes admodum virgines & ætate prouectæ nupsêre, ſi verum eſt, quod aít Auctor Chronici à fratre meo editi, Patricio & Hypatio Coſſ. Amalabergam, ab Theoderico Oſtrogothorum Rege auunculo ſuo Herminafrido nuptum datam eſſe. quippe nonninisi Apione filio Strategij ſolo Conſule, hoc eſt poſt Conſulatum Patricij & Hypatij anno XXXIX, Herminafridi liberi Rauennæ capti à Beliſario, & vnà cum Vitige Rege in Orientem abducti ſunt. Præterea ex Fortunato intelligitur Radegundi, Bertharij Toringo-

IↃ. IↃXXX-IX.

rum Regis filiæ, fratrem vnicum fuisse, qui falso crimine apud Chlotharium Regem accusatus, ac iussu eius interemtus sit. quamquam apud Gregorium in libri III capite IV. dicitur Bertharius Rex Radegundim filiam pupillam reliquisse, & *alios filios*, de quibus infrà scripturum se Gregorius pollicetur. at is in eiusdem libri capite VII. velut dictorum immemor, & parum sibi ipsi consentiens, de vno tantùm Bertharij Regis filio, Radegundis fratre mentionem facit, quem ait iussu Chlotharij Francorum Regis, à pessimis hominibus impulsi, nefariè occisum esse. Nunc quoniam de Herminafridi liberis, & de Radegundis fratre scripsimus, de Radegunde ipsa pauca dicenda sunt.

Chlotharius Francorum Rex, antequam Toringiam cum Theodorico fratre suo peteret, partem prædæ in præmium latæ opis pactus sibi erat. Igitur post fusum acie Herminafridum Toringorum Regem, póstque subactam ab Theodorico Toringiæ partem maiorem, plurimi Chlothario captiui obtigere. Inter eos fuere Bertharij Toringorum Regis filius, & filia nomine Radegundis, puella excellentis formæ, quam Chlotharius, captus amore eius, apud Ateias educauit, & vt Regis filiam decebat, instituendam, ac litteras docendam curauit, & annos pubertatis ingressam in matrimonium duxit, adeóque dilexit, nihil vt præter eam se habere nonnumquam diceret. at illa, pro nihilo ducens regale fastigium, noctu nudis pedibus orationis causâ Basilicam petebat, manè egentium curam agebat: cum egentibus vesci, quàm cum viro conuiuari; sola humi cubare, quàm cum Rege in lecto geniali malebat: Monachis ac seruis Dei non solùm honorem habebat, sed etiam ad vitam necessaria conferebat: itavt Rex affirmaret non se Reginam, sed Monacham vxorem habere. Nec multo pòst Radegundis relicto viro, vestem regiam sacro velamine mutauit, & profuga in Aquitaniam venit, ac pro reuerentia Hilarij Pictauensis quondam Episcopi Pictauis habitare constituit. vbi postea permissu Chlotharij Regis Monasterium puellarum exstruxit, Virginésque ibidem Deo sacratas, ac seipsam

Regulæ S. Cæsarij Arelatensis Episcopi, & Agneti, quam Abbatissam constituerat, subiecit. vt refert Boëthius Wlfinus Episcopus in libro de vita Iuniani Confessoris ad Godolenum Abbatem, qui & *Britthariun* patrem Radegundis Reginæ Francorum appellat, falsóque ait Chlotharium, quem *gloriosissimum, & excellentissimum, ac orthodoxum Regem* vocat, inter ceteras clarissimas ac ferocissimas nationes, *nobilissimam Toringorum gentem* suæ ditioni imperióque subiecisse. Quippe Toringi à Theodorico, cuius vnius è Chlodouei filiis fines attingebant, subacti, tributariíque facti sunt, Chlothario (vt diximus) in præmium lati fratri auxilij portione prædæ contento. Apud Gregorium inuenio Radegundim ieiuniis claruisse, orationibus, ac eleemosynis crebrò vacauisse, & fuso nere consueuisse: résque omnes ac possessiones, quibus à Chlothario Rege viro quondam suo, filiisque ac successoribus eius aucta fuerat, in Monasterium suum contulisse, donationémque eam eorumdem Regum diplomatis confirmandam curauisse: Basinam, Chilperici Regis filiam, Monacham suam, ne nuberet, deterruisse, patríque eius restitisse: atque cum litteris Sigiberti Regis, cui Pictaui parebant, (ac forsitan etiam cum versibus Fortunati ad Iustinum iuniorem Aug. ea de re scriptis) Clericos in partes Orientis misisse, qui ab Imperatore Dominicæ Crucis lignum peterent, quod cùm in Monasterio positum fuisset, loco nomen dedit. nam Monasterium S. Crucis cœptum est appellari, quod alij ab auctore Monasterium Radegundis; alij à loco Monasterium Pictauense cognominant. Decessit B. Radegundis (vti ait
IↃXX. CVII. Gregorius) anno XII regni Childeberti iunioris, mensis sexti tertiodecimo die, hoc est Idibus Augusti, ac post triduum in Basilica S. Mariæ, quam inchoauerat, sepulta est anno LVI postquam à Chlothario Francorum Rege capta, & in Franciam abducta fuerat. Radegundim cùm sæpe alibi, tum in libro VIII Fortunatus laudat his versibus.

Splendida serraco quondam subuecta superbo,
Nunc terit obsequio planta modesta lutum.

Quæ priùs insertis onerata est dextra smaragdis,
Seruit inops famulis sedulitate suis.
Aurea fulcra tenens, iam tum sibi vilis honore
Effugit exstructum, puluere fusa, torum.

Hæc de regio Toringorum genere dicta sint. res Francicas persequamur.

Dum Theodoricus bellum in Toringia gerit, in vrbe Aquitaniæ Aruernis falsi rumores increbuêre à Toringis victum eum interfectúmque esse. quod cùm non minùs libenter quàm temerè credidisset Arcadius, vir nobilissimus, vnus è Senatoribus Aruernis, Auiti Aug. pronepos, Childebertum Francorum Regem inuitauit, vti regionem Aruernorum tamquam vacuam possessionem occuparet. nec moratus ille cum exercitu eò contendit. aduenienti portas Aruerni clausêre. hærentem itaque Regem Arcadius, noctu incisâ serâ vnius portæ, vrbi intromittit. sic potito Aruernis Childeberto nuntiatur Theodoricum sospitem atque victorem ex Toringia reuertisse. cuius de reditu certior factus, Aruernis præsidio imposito, Luteciam Parisiorum rediit. vbi mox iustioris belli gerendi occasio cupido oblata est. Amalaricus Vesigothorum Rex, arma virésque Francorum metuens, à quibus victum cæsúmque Alaricum patrem suum, & omnem Aquitaniam subactam viderat, Chrothildim, Chlodouei & Chrothildis filiam, ab eius fratribus in matrimonium petierat, vxorémque duxerat. Hæc affinitas, quæ Amalarico præsidio futura fuerat, si coniugem amauisset, eidem diffidenti atque sæuienti causa exitij fuit. quippe Amalaricus Arianus, Chrothildi Catholicæ piissimæque feminæ diu multúmque persuadere conatus, vt Arij sectam sequeretur, postquam expugnari posse desperauit, immeritam habere sibi odio & despicatui cœpit: & ad Ecclesiam procedentem sæpe stercore aliísque purgamentis desuper proiectis inquinari iussit. postremò firmam proposito, atque in fide Catholica perseuerantem furens pugnis & calcibus sæuissimè cecidit, adeò vt sanguinem vomeret. Ita tractata Chrothildis Regina, in dies grauiora metuens, ad fratrem Childeber-

tum epiſtolam, & ſudarium ſuum, ſicut erat, ſanguine infectum miſit, petens vt fortunam ſuam miſeraretur, ac vindicaret iniuriam, celeritérque his ſe malis eriperet. Litteræ cum ſudario ferendæ fido ſeruo traduntur. quibus lectis Childebertus, contumeliâ ſororis grauiter commotus, contractis copiis expeditionem in Amalaricum ſuſcepit.

Vetus Auctor Hiſtoriæ Francicæ, & qui eum ſequi ſolet, Aimoinus Monachus tradunt Childebertum Francorum Regem in vrbe Aruernis, itaut diximus, capta haſce à Chrothilde ſorore ſua litteras accepiſſe, ſtatímque non exſpectatis fratris Chlotharij, quem & Chrothildis implorabat, auxiliis, ex ea vrbe in Hiſpaniam cum maximo exercitu contendiſſe. Contrà Gregorius in Hiſtoriæ libro III ſcribit Childebertum, cognitâ Theodorici fratris ſui ex Toringia regreſſione, ex finibus Aruernorum *rediiſſe*, & in Hiſpaniam ob ſororis iniuriam profectum eſſe. idémque in libro de Gloria Confeſſorum prodit, Childebertum Regem in Hiſpaniam tendentem ad Euſychium vel Euſicium Eremitam in agro Biturigum habitantem veniſſe, ac quinquáginta ei aureos obtuliſſe: quos vir ſanctus aſpernatus, Regi victoriam prædixerit. tum hunc auro egentibus dato vouiſſe, ſi victor Deo propitio ex Hiſpania reuertiſſet, Baſilicam ſe ibidem, in qua pius ſenex ſepeliretur, exſtructurum, votóque ſe poſtea exſoluiſſe. & in libro de vita ſupradicti Euſicij dicitur Childebertus Francorum Rex, cùm Hiſpanias & Amalaricum peteret, *Franciæ finibus egreſſus eſſe*, & per Bituriges iter faciens, Euſicium ibi habitantem de euentu belli conſuluiſſe, ſéque ac ſuos eidem per nuntium commendauiſſe. Ex quibus intelligitur Childebertum ex Aquitania finibúſque Aruernorum in Regnum ſuum rediiſſe, & Luteciæ Pariſiorum, quæ & ipſius regia, & Franciæ, hoc eſt Neuſtriæ vrbs erat, omnibus rebus ad expeditionem comparatis, in Galliam Narbonenſem contendiſſe.

Hiſtoricorum, qui de eo bello ſcripsêre, non modica diſcordia eſt. Vetus Auctor Appendicis, quæ Victoris Chronico adiuncta legitur, natione (vt exiſtimo) Hi-

Hiſpanus, tradit poſt Conſulatum Lampadij & Oreſtis ɪɔxxxɪ.
Amalaricum Regem à Childeberto Francorum Rege, quem pro Hildiberto *Zidibertum* appellat, *in Gallia Narbonenſi prælio ſuperatum, Barcinonem fuga perueniſſe, ibique à Franco angone percuſſum interiiſſe*. haſtam autem ſeu lanceam Franci angonem vocabant. Sic & Fredegarius Scholaſticus in Epitome Amalaricum filium Alarici propter vxorem ſuam, quæ ſoror Regum Francorum erat, *Barcinone à Childeberto & Francis occiſum*; Sigebertus *in Hiſpania à Childeberto interemtum* dicit. Auctorem Appendicis ſequitur quidem Iſidorus in Chronico, ſed ita tamen vt Amalaricum à ſuis interfectum affirmet. quippe apud eum dicitur Amalaricus, *cùm ab Hildeberto Francorum Rege circa Narbonem prælio ſuperatus fuiſſet, Barcinonem fugiens veniſſe: omniúmque contra ſe odio excitato, apud Barcinonem* (*apud Narbonem* mendosè legitur) *in foro ab exercitu iugulatus interiiſſe*. ab exercitu, inquam, non Childeberti, ſed ſuo, cui ob cladem acceptam cõtemtui erat; vel potiùs à Theude ipſo, qui Regnum Hiſpaniæ poſt eius mortẽ occupauit. neque enim aliter accipi poteſt, quod ibidem ait Iſidorus, Theudim Regem Veſigorhorum morientem vetuiſſe percuſſorem ſuum ſupplicio affici, ac meritas ſe pœnas ſceleris luere dixiſſe, *quòd ipſe Ducem ſuum priuatim ſolicitatum* (hoc eſt Amalaricum Regem ſuum ſolicitatum ad ſecretum colloquium) *occidiſſet*. Hîc rem pæne incredibilem mirari libet, Francis tantum animorum tantúmque virium fuiſſe, vt Amalaricum, quem apud Narbonem acie vicerant; pedibus trans Pyrenæum Barcinonem perſequerentur, & cùm Veſigothos fugâ, tum Francos inſequendo millia paſſuum ampliùs C L X emetiri potuiſſe.

Procopius in libro I belli Gothici Amalaricum in Gallia, hoc eſt in prouincia Narbonenſi prima, vel Septimania, quam obtinebat, à Francis interfectum indicat. ſic enim ſcribit: Amalaricum Veſigothorum Regem ſororem Theodeberti Germanorum Regis in matrimonio habuiſſe. quam cùm more patrio Deum colere vir Arianus prohiberet, & à fide Catholica abducere co-

naretur, in recta sententia perseuerantem despicatui habere cœperit. mulierem, postquam quotidianas iniurias & contumelias ampliùs ferre non poterat, de viri sæuitia fratri per litteras questam esse. eam ob rem Germanos (hoc est Francos) Vesigothis bellum intulisse, magnúmque & atrox prœlium esse commissum, quo tandem fusus Amalaricus, multis suorum amissis, ceciderit. tunc Theodebertum non modò sororem suam cum omnibus regiis opibus, sed etiam partem eam Galliæ totam, quam Vesigothi tenebant, recepisse. Vesigothos verò, qui cladi superfuerant, ex Gallia in Hispaniam, in qua Theudis regnabat, cum coniugibus & liberis transiisse, ibíque consedisse. Vbi notandum est falli Procopium, cùm quòd vxorem Amalarici *sororem Theodeberti* appellat, quæ Childeberti soror, amita Theodeberti erat: tum maximè quòd regionem Galliæ, quam Vesigothi obtinebant, hoc est Septimaniam, præter quam eis in Gallia nihil erat reliqui, à Francis tum subactam & occupatam dicit. Constat enim Childebertum Francorum Regem, contentum vltione sororis iniuriæ, post victum cæsúmque Amalaricum domum rediisse: prouinciámque Narbonensem primam, vel Septimaniam (quod fusis Vesigothis, ac Rege ipso interfecto, haud difficulter facturus videbatur) bello minimè quæsiuisse. quam Septimaniam nec Guntchramnus Rex, fratris eius filius, semel atque iterum missis eò maximis exercitibus; nec quisquam alius Francorum Rex, ante aduentum Saracenorum in Hispaniam, siue ante Carolum Præfectum Aulæ Pippini Regis patrem, eripere Vesigothis, ac imperio suo subiungere potuit.

Vt ad Historicos nostros veniam, Gregorius Turonicus Episcopus in libro Historiæ tertio de eo bello Childeberti tantâ securitate (vt solet) tantáque negligentiâ scribit, vt nec pugnæ vllius mentionem faciat, nec vnde, quóve Amalaricus fugerit, dicat. sic autem, eo teste, res gesta est. Cùm Childebertus Francorum Rex, vindicandæ sororis iniuriæ causâ, Hispanias petiisset: Amalaricus Rex, postquam de eius aduentu cognouit, naues parauit ad fugam. iámque imminen-

tibus hoſtibus nauem conſcendere properanti relictarum in theſauro ſuo gemmarum venit in mentem: quarum ſecum aſportandarum causâ *in ciuitatem* reuerſus, ab exercitu Childeberti *à portu* intercluditur. tum Amalaricus, ſpe euadendi ſublata, in Eccleſiam Chriſtianorum (ſic Catholicos vocabant) confugere cœpit, ac priuſquam limina ſancta contingeret, ab Franco emiſsâ manu lanceâ interficitur. At Childebertus nudatis ac ſpoliatis hoſtium Eccleſiis, vt Regni ſui Baſilicas inſtrueret, præter reliquam prædam vaſa ex auro puro gemmis ornata, quæ Salomonis fuiſſe dicunt, nimirum LX calices, XV patinas, quas patenas vocant, & Euangeliorum thecas XX domum retulit. Chrothildis verò, Clotildis quibuſdam dicta, dum à fratre cum magnis opibus in Franciam reducitur, in itinere deceſſit, ac poſtea Luteciam Pariſiorum delata, & iuxta Chlodoueum patrem ſuum ſepulta eſt. Et ita quidem Gregorius ſcribit; nomine *ciuitatis* atque *portus* Narbonem Martium, portúmque Narbonenſem haud dubiè deſignans: apud quam vrbem Amalaricum à Childeberto prœlio ſuperatum eſſe Auctor Appendicis ſuprà & Iſidorus produnt, Auctor Chronici à Duchenio editi etiam ibidem interiiſſe ait. Præterea aut Narbo tum à Childeberto captus, atque direptus eſt, qua in vrbe Chrothildis ſoror eius erat: aut certè Narbonenſes redditâ fratri Chrothilde Reginâ, ac ſacro profanóque auro à victore ſe redemerunt. Ne quis porrò exiſtimet non in Gallia & circa Narbonem, ſed in Hiſpania rem geſtam eſſe, propterea quòd Gregorius ſcribit Childebertum, belli Amalarico inferendi causâ, *Hiſpanias petiiſſe:* ſcire conuenit, Septimaniam nonnumquam à ſcriptoribus Hiſpaniam appellari. Vnde Iſidorus in Chronico, loquens de exercitu Guntchramni à Fl. Reccaredo Veſigothorum Rege per Claudium Emeritenſium Ducem apud Carcaſſonem Septimaniæ opidum fuſo, negat vllam vmquam *in Hiſpaniis* Gothis maiorem contigiſſe victoriam. & Lucas Tudenſis in libro III ait, *prouinciam Galliæ*, (hoc eſt Septimaniam) *Hiſpaniam citeriorem* dici: ac in fine libri Septimaniam,

Hispaniam citeriorem; Hispaniam autem ipsam, *interiorem Hispaniam* appellat: atque diuisioni Sedium Hispaniæ à Vamba Rege factæ hæc verba subtexit: *Sunt Sedes harum duarum Hispaniarum* XXC sub imperio Gothorum, id est Sedes Hispaniæ propriè dictæ, atque Septimaniæ. quamquam Ioannes Monasterij Biclariensis Abbas, Luca multis sæculis vetustior, non Septimaniam, sed Hispaniam, *citeriorem Hispaniam*, vel *Regnum citerioris Hispaniæ* vocat. Denique Fredegarius in Chronico, & Aimoinus in Historiæ libro III exercitum Guntchramni, qui Septimaniam tantùm petierat, (vt ait Gregorius) bis intra quadriennium *Hispaniam ingressum esse* dicunt.

Vetus Auctor Historiæ Francicæ, Theodorici posterioris Francorum Regis æqualis, & qui eum transscribere solet, Aimoinus Monachus in relatione huiusce Childeberti expeditionis ita Gregorium sequuntur, vt in quibusdam ab eo dissentiant. Siquidem memoriæ tradunt, Amalaricum Regem Gothorum, quem ipsi Amalricum, quidam Almaricum vocant, à Childeberto Rege equitatu validiore victū acie, multis suorum amissis, cum reliquis fugâ naues petere cōtendisse, sed persequentibus Francis, aut (vti ait Aimoinus) occurrentibus, & præoccupato itinere hostes à mari intercludentibus, ipsum Ecclesiam Catholicorum cursu petiisse, quò antequam perueniret, ab equite Franco hastâ confossus sit. tum Childebertum, vastatâ Hispaniâ, Toletum vrbem sine mora oppugnauisse, atque opidanis consternatis cepisse, magnisque opibus inde sublatis, & sorore suâ receptâ, in Franciam reuertisse. Quo tempore Childebertus, per Biturigas iter faciens, Eusicium sanctissimum virum salutauit, ac nummorum libris XV donauit, & rogatu eius multa captiuorum alterius alteri colligatorum paria solui iussit, regressúsque Luteciam milites, in his Wlfinum propinquitate sibi coniunctum, optimum hominem piissimúmque, pro suo quemque gradu suáque operâ præmiis & opimis fundis remuneratus est. Hîc animaduerto supradictum veterem Historicum, & Aimoinum, atque etiam Adonem, in Hispa-

nia fusum acie cæsúmque Amalaricum, & Toletum à Childeberto captum esse credidisse, propterea quòd Childebertum *Hispaniam petiisse*, & interfecto Amalarico Chrothildim sororem suam recepisse apud Gregorium legerant, neque existimabant, nisi captâ Regiâ Regum Vesigothorum, Chrothildim Reginam à fratre recipi potuisse. At, vt suprà diximus, post interfectum Alaricum, ereptámque Vesigothis cum Aquitania Tolosam, Narbo Martius amborum Alarici filiorum, Gesalici & Amalarici, alterius post alterum, ac deinde Liuuæ sedes fuit. nec ante Amalarici mortem Reges Vesigothorum Hispaniam, exceptâ Callæciâ Sueuorum Regno, totam sibi parentem Septimaniæ prætulêre, & relicto Narbone Toletum Regiam delegêre, vbi quanto remotiores à Francis, tanto tutiores à repentinis eorum incursionibus forent. nam Toletum Carpetanorum Tago flumini impositum, vmbilicus Hispaniæ esse dicitur, abéstque ab vrbe Narbone millia passuum circiter septingenta. Vnde factum est, vt Toletum *vrbs regia*, & *metropolis*, *regia sedes* vocaretur, & Reges Vesigothorum ac Hispaniæ, ab ea vrbe nonnumquam *Principes Toletani*, & *Reges Toletani* cognominarentur. Et quoniam Toleti mentionem facere cœpi, omittere non possum Fortunati de ea vrbe versus, quibus Brunichildim, & Gailesuintham, Athanagildi Vesigothorum Regis & Goisuinthæ filias, alteram ad Sigibertum, alteram ad Chilpericum Francorum Reges Toleto missas in Galliam indicat, atque priore superstite posteriorem paullo post factas nuptias decessisse. Versus tales sunt

Toletus geminas misit tibi Gallia turres:
Primâ stante quidem, fracta secunda iacet.
Alta super colles, speciosa cacumine pulchro,
Flatibus infestis culmine lapsa ruit.
Sedibus in patria sua fundamenta relinquens,
Cardine mota suo non stetit vna diu.

Qui versus pæne mihi persuadent Toletum, Vesigothorum Regum sedem, tum duas turres habuisse pro insigni, quo postea Castellæ & Toleti Reges, orti Vesigo-

thorum genere, vti voluerint: atque par sororum Gailesuintham & Brunichildim, regias virgines duas, Toleti educatas, hisce duabus turribus, regiæ vrbis insigni ob magnitudinem comparari. neque enim credo has puellas suprà turres dici, quòd vectæ carrucis argentatis, quas Fortunatus ob formam rotundam turres appellat, in Galliam venissent.

Amalarico Vesigothorum Regi succeßit Theudis Ostrogothus, antea Theoderici Italiæ Regis Armiger, atque in tutela Amalarici gerenda eiusdem vicarius: qui à Iordane Thiudis, vel Thiodes; Theuda à Gregorio; ab Aimoino Theodus dicitur. Regnauit annis XVI, mensibus VI, vt ait Isidorus in Chronico. Quamquam Auctor Appendicis Chronico Victoris Tununensis Episcopi adiunctæ Theudi non ampliùs XII regni annos
IↃXXXI. tribuit. quippe post Consulatum Lampadij & Orestis Amalaricum Regem à Childeberto Francorum Rege prœlio superatum & interfectum, & post Consulatum
IↃXLIII. Basilij V.C. anno II successorem eius Theudim mortuum dicit. Procopius in belli Gothici libro I tradit Theudim hunc, hominem *Gothum*; (sic semper Ostrogothos appellat) à Theoderico Rege Italiæ Hispaniensi exercitui præpositum, mulierem natione Hispanam, locupletem admodum & latifundiis diuitem in matrimonium accepisse, militúmque duo millia mercede conducta, & satellites ad custodiam corporis lectos circum se habuisse, itavt verbo quidem Dux Ostrogothorum à Theoderico in Hispaniam missorum; re autem tyrannus non occultus esset. quâ re cognitâ Theodericum timentem, ne si Theudi bellum inferret, Franci armati sibi occurrerent, aut Vesigothi res nouas molirentur, eidem quamuis rebelli Magisterium militiæ non abstulisse, sed Primores Ostrogothorum ad Theudim scribere iussisse, rectè eum facturum, si Theoderici salutandi causâ Rauennam venisset. Theudim porrò nihilo seciùs imperata quidem fecisse, & quotannis tributa ex Hispania Rauennam deportari minimè prohibuisse, ad Theodericum verò nec venire voluisse, nec per litteras inuitantibus venturum se promisisse.

Quo anno Amalaricus Rex Vesigothorum & Hispanorum, à Francis victus est & occisus, eodem in Africa Hildericus Vandalorum & Alanorum Rex à suis regno spoliatus est. Rem ab origine repetere conuenit. Geisericus Vandalorum & Alanorum Rex maturâ senectute decessit, quem annos XXXVII menses tres regnauisse, nimirum post captam Carthaginem, tradit Victor Vticensis Episcopus, non (vt falsò putat Procopius) annos XXXIX. Hic non multo ante obitum pacem cum Zenone Aug. per Seuerum Patricium legatum conuentus fecit, quæ ab vtriusque successoribus vsque ad Imperatorem Iustinianum summâ fide seruata est. Geiserico patri successit Hunericus natu maximus filius, qui Eudociam, Valentiniani Principis & Eudoxiæ Aug. maiorem filiam, Romæ captam, in matrimonium duxit, ex eáque Hildericum suscepit, atque VIII regni anno obiit. Post Hunericum Gunthamundus, Geiserici ex Gentone filio nepos, Vandalis & Alanis præfuit annos XI, menses VI, & Trasamundo fratri moriens regnum per manus tradidit. qui amissâ coniuge, ex qua nihil liberorum tulerat, Amalafridam, sororem Theoderici Ostrogothorum Regis, viduam, matrémque iam ex alio viro Theodahadi & Amalabergæ, in matrimonium petiit, missámque à fratre suo cum sex Ostrogothorum millibus, & vno de Siciliæ promontoriis Lilybæo dotatam, duxit vxorem, atque septimo & vicesimo regni anno mense IV interiit. Hi Reges omnes (nam ne Gunthamundum quidem excipit Procopius) domi maiores Afris Catholicis, quàm foris hostibus, nimirum Maurorum gentibus, clades intulerunt. Trasamundo fratri suo patrueli successit Hildericus, Hunerici Regis ex Eudocia filius, Geiserici & Placidi Valentiniani Aug. nepos, optimus & aditu facillimus, ac nemini grauis Princeps: qui & Catholicos Sacerdotes ab exsilio reuocauit, & clausas priùs Ecclesias aperiri iussit. tum Amalafrida à Vandalis in custodiam tradita est, & Ostrogothi, qui eam in Africam secuti erant, tamquam res nouare voluissent, ad vnum omnes interfecti. Amalafridam tradit Victor in Chronico

IↃXXXI.

v. p. 233.

IↃXXIII. Maximo Consule post viri sui mortem, cùm fugeret ad Barbaros, commisso prœlio apud Capsam locum Eremo proximum captam, & in priuata custodia mortuam esse. quam sororis iniuriam Theodericus Ostrogothorum Rex minimè vindicauit, propterea quòd (vti ait Procopius) classem non habebat. Quamquam apud Cassiodorum Senatorem in libri Variarum IX epistolâ primâ non Theodericus, sed Athalaricus eius nepos atque successor de morte Amalafridæ queritur, postulátque, vt Hildericus sibi satisfaciat. Habebat Hildericus Rex propinquum nomine Gelimerem, Gelaredi filium, Gentonis nepotem, Geiserici pronepotem à Procopio dictum, cui tamen Iordanes *atauum* fuisse Geisericum dicit, vt si eo nomine malè vsus non est, Gelimerem Geiserici adnepotem fuisse credidisse videatur. Hic despectâ Hilderici senectâ atque segnitiâ, (erat enim admodum imbellis) persuasit Vandalorum Optimatibus, vt homini desidi, à Mauris victo, imperiúmque Africæ ad Imperatorem Iustinianum transferre conanti Regnum adimerent, ac se in eius locum sufficerent. Ita Gelimer ab Vandalis Rex salutatur, ingressúsque Carthaginem, Hildericum VIII regni annum agentem, consobrinósque eius, Hoamerem &
IↃXXXI. Euageem fratres post Consulatum Lampadij & Orestis mandat custodiæ, multósque nobilium prouinciæ Africæ fortunis spoliat, multos interimit. Quâ cognitâ re Iustinianus Aug. casum Hilderici amici sui miseratus, legatos ad Gelimerem misit, qui postularent, vt eum in libertatem Regnúmque suum restitueret. At Gelimer, vir non minùs crudelis quàm rapax, dimissis legatis, Hoameri quidem celeberrimo Duci, quem Achillem Vandalorum vocabant, oculos effodit: Hildericum autem & Euageem artiùs custodiri iubet, calumniatus Constantinopolim eos ad Iustinianum confugere velle. Tum Imperator per legatos sub belli comminatione petiit, vt Gelimer Hildericum, consobrinósque eius ad se Constantinopolim mitteret. quo non impetrato, pace cum Persis factâ, Belisarium Magistrum militiæ, & Patricium viribus instructum in Africam misit. cuius

de

de aduentu simul ac Gelimer cognouit, Hildericum Regem cognatũ suum, & propinquos eius, amicósque cùm Vandalos tum Afros, quoscumque custodiæ mãdauerat, iugulari iussit, superatúsque prœliis Ammatam, & Tzazonem, vel Sesaonem fratres suos amisit, atque petitis frustra à Theude Vesigothorum Rege auxiliis, fugatus, ac post trimestrem obsidionem fame ad deditionem compulsus est, nec plusquam annos tres ac menses VIII potiri potuit Regni eius, quod legitimè adepturus, & quietè possessurus fuerat, si Hilderici senis fatalem mortem exspectare voluisset. Recepta est Africa à Romanis, Imperióque restituta Indictione XII Iustiniano Aug. IV. & ɔɔxxxiv.
Paullino Coss. post annos CVII quàm ab Vandalis & Alanis ductu Geiserici occupata fuerat: & Carthago anno XCV, postquàm à Geiserico capta fuerat, iterum in ditionem Romanorum cessit. quæ eo faciliùs celeriúsque gesta sunt, quòd Geisericus Rex vrbium Africæ omnium, exceptâ Carthagine, muros solo æquauerat. Sardinia, & Corsica, quæ insulæ Italiæ quidem XVII prouinciis adnumerabantur, sed sub Vandalorum Regum imperio fuerant; item Ebusus, Maiorica, & Minorica, quæ Baleares appellantur, iterum Romanæ prouinciæ sunt factæ, non iam Imperatoribus Occidentis, qui dudum esse desierant, sed Principibus Orientis parituræ. & Gelimer cum vxore & liberis, & ingentibus opibus, quas Africæ, Italiæ, & Illyrici prouinciarum spoliis ac populationibus Geisericus cumulauerat, Constantinopolim abductus est, quem Iustinianus Aug. possessionibus in Galatia non contemnendis donauit, Patricium facturus, si Arianam hæresim damnare voluisset. Hilderici autem liberis & nepotibus, à Valentiniano Aug. ducentibus genus, multa & magna contulit. Ex Vandalis captiuis alæ V equitum factæ, & vrbibus Orientis præsidere iussæ. Nec multo pòst Vandali, qui in Africa relicti erant, à Salomone Duce, timente ne res nouas molirentur, plerique cum coniugibus & liberis totius prouinciæ finibus expulsi sunt.

Circa id tempus, quo Romani in Africa Vandalorum Regnum euertebant, Francorum Reges in Gallia

Regnum Burgundiæ occupauêre. Gregorius Turonicus Episcopus, qui sæpe fabellis, & leuissimis rebus, aut etiam nihil ad Historiam pertinentibus paginas implet, hoc bellum tribus verbis inuoluit magis quàm explicuit, cùm scripsit Childebertum & Chlotharium Francorum Reges, postquam Theodoricum fratrem frustra inuitauerant, vt aduersus Godomarum vxoris suæ patruum vnà cum ipsis expeditionem susciperet, Burgundiam petiisse, obsessóque Augustoduno, ac *fugato Godomaro*, omnem regionem occupauisse. Gregorium Fredegarius Scholasticus in Epitome, & Aimoinus Monachus in Historiæ libro II secuti sunt. Procopius Gregorio vetustior in libro I belli Gothici tradit Francos, quos Germanos appellat, cum *Burgundionum reliquiis* pugnam conseruisse, fusísque hostibus, eorum Regem (hoc est Godomarum) castello quodam inclusisse, ibíque artâ custodiâ seruasse, & omnem regionem, quam Burgundiones obtinuerant, tributariam fecisse, atque gentis domitæ ac subactæ armis & opera, vt vellent, postea vsos esse. Vbi notare conuenit, cùm Franci tum omnem Burgundiam subegerint, vti ait Gregorius ipse, Augustodunum opidum Burgundiæ non obsessum modò ab eis, sed etiam captum fuisse: neque fugatum solùm Godomarum prœlio, verùm & captum, cùm Procopius apertè prodat in castello quodam eum à Francis custoditum esse. Iuo in Chronico, malum secutus Auctorem, scribit Francos, Chlodomeris Regis mortem indignè ferentes, Godomarum, quem Gothimarum vocat, persecutos esse atque interfecisse. & Ioannes Parisiensis, qui ante annos trecentos floruit, eumdem à Regibus Franciæ, Chlodouei filiis interemtum dicit. Subacti autem sunt à Francis vno prœlio Burgundiones eo faciliùs, quòd aliquot iam ab eisdem expeditionibus & certaminibus fracti & attriti erant. quamobrem Procopius suprà Francos non cum Burgundionibus, sed cum Burgundionum reliquiis pugnauisse ait.

Occupata est à Francorum Regibus Burgundia Iustiniano Aug. IV & Flauio Paullino Coss. Indictione XII, vel Fl. Paullino iuniore Consule: si credimus Mario

IↃXXXIV

Auenticensi Episcopo, cuius verba notanda sunt. *Hoc Cos.* (ait) *Reges Francorum Childebertus, Chlotharius, & Theudebertus Burgundiam obtinuerunt, & fugato Godomaro Rege, Regnum eius diuiserunt.* Quibus verbis indicat Marius Theodebertum Theodorici filium iam tum regnauisse, cùm nouissima hæc in Burgundiones expeditio suscepta est, nimirum Paullino iuniore Con- IↃXXXIV.
sule, quo ipso anno Theodoricum decessisse infrà docebimus. At Gregorius contrà, Childeberto & Chlothario Burgundiam petentibus, Theodoricum eorum fratrem Aruernos recepisse ait, deinde Mundericum Regnum affectantem oppressisse; cum Childeberto fratre fœdus iniisse, quod postea ruptum sit; Theodeberto filio suo Wisigardem despondisse; cúmque ad recipienda opida, quæ Gothi post Chlodouei mortem recuperauerant, misisse; ac tandem decessisse. quæ omnia cùm Theodoricus Francorum Rex vno anno eóque regni ac vitæ vltimo facere non potuerit, credendum est vel ante subactam Burgundiam ea gesta esse, nec ab Gregorio ordine exponi: vel certè Marium Paullino iunio- IↃXXXIV.
re Consule Burgundiam à Francis occupatam falsò dixisse, quæ potiùs post Consulatum Lampadij & O- IↃXXX[illegible]
restis anno II, post aduentum Burgundionum in Galliam CXX, post occupatam ab eis Sapaudiam XC anno perdomita fuerit. Sanè ante Iustiniani Aug. IV & Fl. Paullini iunioris Consulatum Burgundiam in Franco- IↃXXXIV
rum ditionem cessisse nonnulla sunt quæ mihi pæne persuadent. quorum illud primum & maximum est, quòd Concilio, XXII regni Childeberti anno, hoc est Iustiniano Aug. III Consule Aurelianis habito, inter- IↃXXXIII
fuêre è Burgundia Iulianus Viennensis Episcopus, Agrippinus Æduorum, vel Augustodunensium Episcopus, & Asclepius Presbyter missus ab Adelphio Episcopo Rauracensi. quæ tres Burgundiæ vrbes, Vienna Allobrogum, Augustodunum Æduorum, & Augusta Rauracum, licèt (vt alibi dixi) à Francis, Chlodomeris Regis sui mortem vlciscentibus victoribúsque captæ credi possint; tamen videntur potiùs ab Childeberto & Chlothario cum reliqua omni Burgundia esse

occupatæ. siquidem tum Augustodunum (vti ait Gregorius) ab eisdem obsessum & captum est. Accedit etiam, quòd cùm vno eodémque tempore Childebertum & Chlotharium Burgundiam; Theodoricum Aruernos periisse dicat Gregorius, parum verisimile est Theodoricum Regem Francorum, recenti victoriâ belli Toringici ferocem, Aruernos vrbem, quam post Con-
IↃXXXI. sulatum Lampadij & Orestis dolo fratris amiserat, nonnisi tertio pòst anno, Iustiniano Aug. IV & Paullino Coss. armis recepisse. vt omittam Gregorium Vesigothicæ Childeberti expeditioni Burgundicam eiusdem expeditionem continuò subtexere, Procopium & Aimoinum, quamuis falsò, etiam præponere. ex quo in-
IↃXXXI. telligi potest, post Consulatum Lampadij & Orestis confectâ expeditione Vesigothicâ, insequenti anno,
IↃXXXII. post Consulatum Lampadij & Orestis secundo, expeditionem Burgundicam à Childeberto esse susceptam. Quare apud Sigebertum Vesigothicam expeditionem proximè sequitur Burgundica, sed prior octauo, posterior nono imperij Iustini senioris anno facta falsò dicitur.

Ceterùm tametsi Marius scribat Childebertum, Chlotharium, & Theodebertum Burgundiam inter se diuisisse: tamen existimo eam inter ambos tantummodò fratres Childebertum & Chlotharium fuisse diuisam: propterea quòd (vt suprà docui) regnabat tum adhuc Theodoricus Theodeberti pater, cùm Burgundia subacta est. neque verisimile est Childebertum & Chlotharium portionem Regni suo periculo ac suo labore quæsiti Theodorico fratri, qui expeditioni interesse noluerat, sponte concessuros fuisse. Neque est, quòd quis dicat Concilio, apud Aruernos consensu Theodeberti Regis
IↃXXXV. habito post Consulatum Paullini iunioris, tres Burgundiæ Episcopos interfuisse, nimirum Gregorium Lingonicum Antistitem, Venantium Viuariensem, seu Albensem, & Grammatium Vindonissensem. nam Episcopi ex omnibus Francorum Regnis ad Synodos euocati venire consueuerant, atque (vt Concilij Aurelianensis III Præfatio docet) absentiam suam diuisione sortis excu-

ſare non poterant. Præterea quod ait Aimoinus Germanum ad Theodebertum Auſtraſiorum Regem, pro villis Auguſtodunenſis Eccleſiæ precaturum, Cabillonum veniſſe, quæ Burgundiæ vrbs fuerat, id in libris Aimoini à Duchenio editis non reperitur.

Theodoricus à fratribus ſuis ad belli Burgundici ſocietatem inuitatus legatos re infectâ dimiſit: ſiue quòd Godomarum, Burgundionum Regem, vxoris ſuæ patruum oppugnare nolebat, ſiue quòd in Aruernos rebelles arma conuertere, & erepta ſibi à Childeberto recipere conſtituerat. At Franci Auſtraſij Theodorici ditioni ſubiecti, qui Burgundicam prædam ſpe præſumſerant, ſecuturos ſe Childebertum & Chlotharium, deſerturóſque eum denuntiauêre, ſi in Burgundiam non proficiſceretur. quos Theodoricus vbi ad defectionem paratos vidit, hortatus eſt, vt ſe in regionem Aruernorum ſequerentur, ex qua multum auri argentíque, magnum mancipiorum, pecoríſque numerum, & pretioſas veſtes ipſo permittente domos eſſent relaturi, & ſemel atque iterùm exercitui promiſit, quemque, vnà cum regionis præda, captiuos quò vellet tranſlaturum. His Auſtraſij pollicitationibus illecti futuros ſe in poteſtate Regis affirmant, & quò duceret ituros. Igitur Theodoricus, agrum Aruernorum ingreſſus, totam regionem vaſtat. cuius aduentu territus Arcadius, Auiti Aug. pronepos, qui Aruernos Childeberto Regi prodiderat, fugâ ſibi conſuluit, & Auaricum Biturigum vrbem Childeberto tum parentem petiit. Placidina mater eius, & Alcima amita iuſſu Theodorici comprehenſæ, omnibus rebus exſpoliatæ, & Cadurcos in exſilium miſſæ ſunt. Theodoricus verò Francorum Rex, depopulatis agris, vrbem Aruernos obſedit. quo tempore repetitos à Porciano Abbate ſanctiſſimo viro captiuos non paucos ſolui iuſſit, domóſque dimiſit, & potitus vrbe, cùm muros eius euertere conſtituiſſet, ab Hilpingo Duce placatus eſt. Hic eſt Hilpingus, cuius hortatu Theodoricus intra VIII ab Aruernis lapidem iniuriam fieri cuiquam vetuit, vt in libello de vita Quintiani Aruernorum Epiſcopi tradit

Gregorius. In libro, quem idem Auctor de virtutibus Iuliani Martyris edidit, inuenio Theodoricum Francorum Regem pro reuerentia Martyris intra VII à Briuate vico milliarium quemquam vexari ac diripi prohibuiſſe, & milites, qui Eccleſiam S. Iuliani ſpoliauerant, vicanóſque in ſeruitutem abduxerant, ſupplicio affeciſſe, atque ablata loco reſtituiſſe. Poſt captos Aruernos, expulſúmque Childeberti præſidium, Theodoricus ad caſtrorum oppugnationes conuertitur: Tigernum incendit: Louolautrum, quod in libro de vita Quintiani Epiſcopi Vtrenſe caſtrum Gregorius appellat, ſeruo Proculi Preſbyteri prodente, occupat. ibi Proculus, qui quondam Quintianum iniuriâ affecerat; ad altare Eccleſiæ ab Auſtraſiis interfectus atque diſcerptus eſt: caſtrum ferro & igne vaſtatum: caſtellani capti atque abducti. Erat in finibus Aruernorum Meroliacum, maximum & ſitu atque opere munitiſſimum caſtrum: ex quo emiſſos milites L ad prædam agendam Auſtraſij cepere. quos Theodoricus Rex religatis poſt tergum manibus ad munimenta caſtri producendos curauit, denuntiaríque Meroliacenſibus iuſſit, nî imperata facerent, captiuos ſe ibidem ante ora parentum interfecturum. hac Meroliacenſes denuntiatione territi ſingulos captiuos ſingulis trientibus, ac ſeipſos eodem pretio redemere. Sic igitur depopulatâ perdomitâque Aruerniâ, maiores, ac minores natu omnibus fortunis ſpoliati: in his Gallus pupillus, genere nobilis, Gregorij Hiſtorici noſtri patruus, Aruernorum poſtea Epiſcopus, quem tum in aulam Theodorici tranſlatum, hoc eſt Palatinis Clericis adſcriptum, auctor eſt Fortunatus. ac præter nudum ſolum nihil cuiquam à Francis Auſtraſiis relictum eſt. Multi Clerici iidémque ciues Aruerni à Theodorico abducti, & Treuiricæ Eccleſiæ ſeruire iuſſi, credo, vt Regi eſſent obſidum loco. ſicut poſtea Theodebertus, Theodoricum patrem ſuum imitatus, Aruernorum nobiliſſimi ac potentiſſimi cuiuſque liberos, in his Florentium patrem Gregorij Hiſtorici, obſides ad ſe adduci iuſſit, ne ad Childebertum iterùm deficerent. Vrbi regioníque Aruernorum, ac mi-

litibus ibidem relictis Theodoricus Rex Sigiualdum, cognatum suum, Ducem præfecit, & cum exercitu locuplete domum rediit. Fuit Sigiualdus magnâ vir potentiâ & auctoritate, qui apud Aruernos bona multorum inuasit, nec multo pòst à Theodorico occisus Giualdum filium reliquit, ac Ranichildem filiam, quæ Brachioni Toringo, postea Abbati Monasterij Manatensis, quo Sigiualdus seruo ad venatus aprorum vsus erat, prædia ac saltus dedisse dicitur.

Auctor libri de vita Fidoli Confessoris memoriæ tradidit factum esse quorumdam insolentiâ, vti Theodoricus Francorum Rex, Sigiberti ac Brunichildis nepos, Aruernis & Biturigibus redderetur infensus, ac Theodeberto fratre suo ad auxilium euocato tantam eis calamitatem inferret, vt clarissimus quisque ex diuite mendicus & patriâ extorris factus sit. Tum pueros & adolescentes corporis pulchritudine egregios, & puellas specie excellentes, reuinctis post terga manibus, à Francis abductos venditósque esse. in his fuisse venerabilem Fidolum, iuuenem clarum genere, Aruernorum vrbis incolam, quem à Barbaris domum reuertentibus, & per agrum Tricassium iter facientibus emerit Auentinus Abbas, Cameliano, magni Lupi successore, Tricassinam Ecclesiam regente. Et ita quidem hic Auctor scribit. quem ego existimo nomine deceptum supradictam Theodorici maioris in Aruernos expeditionem Theodorico minori, Brunichildis nepoti, ac fratri Theodeberti tribuisse. Quippe Historicorum nostrorum nemo huiusce Theodorici minoris aduersus Aruernos expeditionis mentionem facit. Præterea Camillianus Episcopus Ecclesiæ Tricassinæ, quem hic Auctor Camelianũ appellat, Concilio Aurelianensi I Felice & Secundino Coss. interfuit, & viuere vsque ad XXI regni Theodorici maioris annum potuit, vsque ad Theodoricum minorem nullo modo potuit, qui anno XXCVIII post Felicis & Secundini Consulatum, siue post Chlodouei abaui sui mortem regnare cœpit. intra quod tempus Camilliano mortuo Vincentius primùm, tum Ambrosius, deinde Gallomagnus, & Agrœcius Tricassinæ Ec- 1) x a

clesiæ præfuêre. è quibus Ambrosius Tricassium Episcopus anno XXXVIII regni Childeberti Regis Con-
ↀXLIX. cilio Aurelianensi V interfuit: Gallomagnus Concilij Parisiensis IV, & Synodi Matisconensis primæ statutis consensit atque subscripsit: Agrœcius Concilio Matisconensi II affuit, euocatus inter ceteros à Guntchramno vel Gunthramno Rege, Theodorici iunioris maiore patruo.

Post receptos à Theodorico Aruernos, Mundericus quidam familiæ regiæ se inserens, & Regnum affectans opprimitur. res ita gesta est. Mundericus, vel Modericus, vnus ex Optimatibus Francorum Austrasiorum, elatus superbiâ Principem se esse, ac propinquum Regum, nec minùs sibi quàm Theodorico Regnum deberi affirmare cœpit. quod cùm multis agrestibus persuasisset, adiiciens comitibus suis adiutoribúsque partium bene futurum, facilè cunctos perpulit, vt in verba sua iurarent, ac regium sibi honorem haberent. Theodoricus Rex, defectione Munderici cognitâ, dolo eum decipere ac interficere intendit: mittit, qui hominem inuitent vti ad se veniat, portionem Regni sui, si qua ei debeatur, accepturus. quâ Mundericus fraude intellectâ nuntiis respondit, se ad Theodoricum minimè venturum: irent, renuntiaréntque Regi suo, Regem se, sicut illum, esse: móxque comperto missum aduersus se ab Theodorico exercitum aduentare, quoniam ad prœlium committendum vires deerant, Victoriaci castri muris cum suis se inclusit, & oppugnationem strenuè sustinuit. Cùm per dies VII nihil regiæ copiæ proficerent, certior factus de pertinacia obsessorum Theodoricus, vnum è suis, nomine Aregisilum vel Charigisilum misit, qui Munderico fidem incolumitatis daret, egressúmque Victoriaco interimeret. Facit, quod iussus est, Aregisilus: acceptâ fide castrum ingreditur: Mundericum monet, consulat sibi, habeat rationem liberorum suorum, dedátque se Regi, cui tametsi velit diu resistere non possit, fame & inopiâ subactus (nî consilium suum sequatur) breui venturus in manus eius, atque periturus. Tum Mundericum timere se dicentem,

ne

ne egreſſus cum liberis & amicis omnibus ſuis iuſſu Regis interficeretur, confirmat Aregiſilus, & in priſtina apud Regem gratia priſtinóque honore futurum ait: nec dubitauit manibus altari impoſitis fidem dare, inuiolatum eum fore. Igitur Mundericus caſtro egreditur, manum Aregiſili tenens. in quem coniicientibus oculos militibus Aregiſilus ex compoſito ſignum cædis dedit his verbis. quid ita Mundericum, quaſi numquam antea viſum, defixi intuemini? ſtatímque in eum ab omnibus impetus factus eſt. At Mundericus vbi intellexit deceptum ſe periurio, deteſtatus Aregiſilum, auerſum lanceâ confodit, ſtrictóque gladio vnà cum ſuis magnam ſtragem regiorum edidit, & ne inultus moreretur, dum ſpiritus ſuperfuit, quoſcumque conſequi potuit, interficere non deſtitit. bona eius in fiſcum illata ſunt. Ceterùm qua in regione hæc geſta ſint, haud facilè dixerim, propterea quòd cùm Mundericus Victoriaci obſeſſus dicatur, plura in Gallia loca eo nomine appellari reperio. Siquidem Gregorius in libro IV Hiſtoriæ Victoriaci villæ mentionem facit, quam idem *villam Victoriacenſem* in libri VI capite XLI; Ionas in libro de vita Columbani *Victoriacum villam publicam, in ſuburbano Arauienſis vrbis ſitam* vocat. apud quam Sigibertus à Neuſtraſiis Rex conſalutatus, móxque ſummiſſis à Fredegunde Regina percuſſoribus interemtus eſt. Eiuſdem Victoriaci, *Vitrei* & *Vitri* ibi dicti, in teſtamento Euerardi Comitis, & Giſlæ eius coniugis fit mentio: quem eſſe ait Aubertus Miræus vicum inter Atrebatas & Duagium medium. at Victoriacum illud villa publica, non caſtrum; & in Chlotharij, non in Theodorici Regno poſitum erat. Aimoinus in Hiſtoriæ libro II caſtrum Victoriacum, quò Mundericus ſe contulit, in Aruernorum finibus poſuit, ceteris omnibus ignotum. certè apud neminem alium caſtrum eius nominis in Aruernis inueniſſe memini. Quare exiſtimo caſtrum Victoriacum, quò Mundericum ſeſe cum ſuis contuliſſe ait Gregorius, fuiſſe ad Matronam flumen in pago Pertenſi Regnóque Theodorici, id quod Frodoardus, Preſbyter Remenſis Eccleſiæ,

in Chronico modò Victuriacum castrum, modò Victoriacum castellum appellat, recentiores Auctores castrum Vitriacum vocant.

Circa id tempus Theodoricus & Childebertus Francorum Reges, composito bello ciuili, quo alter alterum petierant, fœdus inierunt, & pace iureiurando firmatâ, multos Senatorum, hoc est Procerum Gallorum filios obsides inter sese dederunt: sed postmodum nefariorum hominum impulsu ortæ sunt iterum inter ambos fratres inimicitiæ, fœdúsque ruptum, & obsides eorum, apud quos custodiebantur, serui sunt facti. è quibus multi fugâ domum rediêre; quidam ab suis pretio redemti sunt; nonnulli in seruitute remansêre.

Quo tempore Theodoricus Francorum Rex Mundericum nihil ad se pertinens Regnum affectantem interfecit; Childebertus & Chlotharius Chlodomeris fratris sui filios, ne paternum Regnum repeterent, intéremere. Chlodomeres, quibusdam Chlodmirus dictus,
DXXIV. Iustino Aug. II & Opilione Coss. à Burgundionibus circumuentus & cæsus tres filios ex Gundeuca vxore susceptos, nimirum Theodoualdum, Guntharium, & Chlodoaldum pupillos reliquerat. Hos auia Chrothildis Regina apud se educabat, diligebátque vnicè, futurum sperans, vt à patruis in Regnum paternum substituerentur; quod illi tamquam fratris filiis integrum intactúmque seruarent, nondum inter se diuiserant. sed infelix Chrothildis, vti antea Chlodomeri filio, expeditionem Burgundicam suadendo, causa mortis fuerat; sic tum nepotibus curâ & beneuolentiâ suâ, dum consulere studet, odium & exitium attulit. Quippe Childebertus ductus inuidiâ, timénsque, ne regij pueri fauente Chrothilde in patris locum sufficerentur, nuntium clàm Augustam Suessionum ad Chlotharium mittit, vt maturè Luteciam veniat, secum deliberaturus de fratris filiis, more priuatorum tonderi oporteat, an interimi: alterutro facto Regnum, quod eis Chrothildis mater sua tradi velit, ipsos inter se nemine prohibente esse diuisuros. Nec Chlotharius moram fecit, lætúsque Luteciam Parisiorum ad Childebertum venit.

Interea dolo Childeberti ſparſus in populum rumor totâ vrbe diſcurrit, ambos Reges coïre, non ob aliud, quàm vt fratris filiis debitum Regnum reſtituant. Collocuti inter ſe Childebertus & Chlotharius Reges, vbi de agendæ rei via conuenit, per nuntium petunt à Chrothilde Regina matre ſua, quæ tum in vrbe Lutecia morabatur, vt ad ſe fratris filios paterno Regno donandos mittat. Gauiſa Regina, poſt captum cibum, pueris nutriciiſque comitatos eos miſit, adiectis verbis: *Non mihi videbor amiſiſſe filium, ſi vos in eius Regnum ſubſtitutos videro.* At Theodoualdus, Guntharius, & Chlodoaldus, Chlodomeris filij, ſimul in Palatium venêre, comprehenſi, ſeorſum à pueris & nutriciis ſuis cuſtodiuntur. confeſtímq; ab Childeberto & Chlothario miſſus Arcadius, Auiti Aug. pronepos, forfices & ſtrictum gladium Reginæ oſtendit: interrogat, quid de nepotibus ſuis fieri velit, forficibúſne tonderi, & priuatos viuere placeat, an gladio iugulari. Tam inexſpectatis verbis velut telo icta Regina reſpondit, malle ſe nepotes ſuos, ſi ad regale faſtigium non extollantur, mortuos videre, quàm tonſos. ſiue mente irâ & dolore perturbatâ neſciebat quid diceret: ſiue exiſtimabat filios in hoc ſcelus minimè duraturos. Quo celeriter per Arcadium relato reſponſo, Reges tamquam fauente matre peſſimum propoſitum exſequuntur. Chlotharius Theodoualdum maximum Chlodomeris filiorum brachio prehenſum arietat in terram, ac ſub ala cultro crudeliter traiicit. quo ſpectaculo exanimatus Guntharius ad pedes ſe Childeberti patrui ſupplex proſternit, & genua eius amplexus cum fletu, *Succurre mihi*, (inquit) *piiſſime pater, ne & ego peream ſicut frater meus.* Serâ motus miſericordiâ Childebertus lacrimas profudit, rogauítque Chlotharium fratrem, vt Guntharium ſibi donaret, quidquid voluiſſet pro vita pueri reddituro. Mouere potuiſſent vel iratiſſimum & alieniſſimum hominem preces: ſed Chlotharius, feræ ſimilis guſtato ſanguine in rabiem actæ, omnem humanitatem exuerat. itaque mortem fratri ipſi minatus eſt, nî puerum à ſe repelleret, & *tu* (inquit) *tam citò datam mihi fi-*

dem violas? iam pænitet te facti, cuius dux & auctor fuisti? His territus verbis Childebertus fraterno furori cessit, ac Guntharium à se reiecit, quem Chlotharius exceptum cultro in latere transfixit. Chlodoaldus, vel Chlodoualdus, minimus natu filiorum Chlodomeris, per *viros fortes* periculo liberatus mortem effugit, neque à patruis potuit comprehendi. Is sibi ipse capillos secuit, Clericúsque factus, magnis postea à Childeberto & Chlothario possessionibus ob sanctitatem vitæ donatus est. è quibus Dusiacum, vel Tusiacum in pago Mosomagensi, quod Frodoardus Duodeciacum, quidam Dusicam villam, alij Dociacum appellant, Remensi Ecclesiæ legauit: Ruilliacum in Biturigibus positum S. Dionysio dedit: Nouientum, vicum agri Parisiaci, Ecclesiæ Parisiorum, qua in vrbe Presbyter ordinatus fuerat, donauit, vir non genere quàm virtutibus clarior, atque apud Nouientum VII Idus Septembris decessit, & in Basilica, quam ibidem exstruxerat, est sepultus. locus nomen eius tenet. & in epistola Eginardi ad Gozbertum Abbatem de Monasterio S. Chlodouualdi fit mentio. Post Theodoualdi & Gunttharij cædem pueri ac nutricij eorum ad vnum omnes iugulantur. quo nefando facinore peracto, Chlotharius equum conscendit, ac vnà cum suis Augustam Suessionum repetiit. Childebertus quoque, cùm oculos ciuitatis ferre non posset, abdidit se in suburbanum: nec multo pòst ambo Regnum Chlodomeris, causam pretiúmque sceleris sui, inter se diuisêre, imitati Chlodoueum parentem suum, qui cædibus propinquorum Regni terminos promouerat. Theodoualdus autem & Guntharius elati sunt magnâ Clericorum psallentium frequentiâ, magnóque omnium bonorum luctu, Chrothilde Reginâ vsque ad Basilicam S. Petri, in qua sepulti sunt, funera prosequente.

Hæc miserabilis iugulatio Chlodomeris Regis filiorum Luteciæ facta est post Burgundiam perdomitam, vt Gregorius, Fredegarius, & Aimoinus tradunt. subacta est autem à Childeberto & Chlothario Burgun-
IↃXXXIV. dia Iustiniano Aug. IV & Paullino iuniore Coss. si Marium sequimur, hoc est post decennium quàm Chlodo-

meres perierat : vel potiùs post Consulatum Lampadij ↄxxxii.
& Orestis anno II, post Chlodomeris mortem octauo.
itaut insequenti anno, Iustiniano Aug. III Cos. Theo- ↄxxxiii
doualdus & Guntharius, IX post amissum patrem anno, à patruis suis interemti esse videantur. Ex quo apparet falsum esse, quod ait Gregorius, cùm iugulati sunt, alterum, nimirum Theodoualdum, annos X; alterum, puta Guntharium, septem tantùm habuisse. ne de Chlodoaldo loquar, qui cùm esset minimus filiorum Chlodomeris, vix tum sexennis fuisset. Ceterùm notare conuenit, quod tradit Gregorius, Chlodoaldum *auxilio virorum fortium* esse liberatum, & qui sint hi *viri fortes*, scire operæpretium est. Animaduerto igitur à Gregorio Viros Fortes vocari eos, qui tum propriè Barones dicerentur. Vnde Isidorus in Originum libro IX ait acceptâ mercede seruientes, *mercenarios*, eosdem & *Barones* dictos, *quod sint fortes in laboribus*. quem tamen falsò affirmare puto Barones mercenarios fuisse: & in veteribus Glossis *Baron, fortis in laboribus* appellatur. ex qua nominis interpretatione cognoscitur Baronem idem significare quod fortem. Eosdem Gregorius in Historiæ libro VII *Viros Fortissimos*, & in libro IX *Viros Fortiores* vocat, cùm scribit omnes *Viros Fortissimos* regionis trans Duranium sitæ Gundobaldo iunctos esse: atque *Viros Fortiores*, qui Suessionis & Meldis erant, ad Childebertum minorem Francorum Regem venisse, ab eóque petiisse, vt Theodobertum filium suum natu maiorem ipsis præficeret. & Fredegarius in Chronico, cùm ait Wilibadum Burgundiæ Patricium ex Patriciatu suo, hoc est, ex prouincia cui præerat, *Pontifices, ac Nobiles, & Fortes*, plurimam præterea multitudinem coëgisse, vti se ab inimicis defenderet, nomine *Fortium* non alios (nî fallor) quàm Barones designat. Porrò tametsi Gregorius scribit Childebertum & Chlotharium Regnum Chlodomeris inter se æquâ lance diuisisse: tamen apud Faustum de Vita Mauri Abbatis inuenio, Cenomanos & Andecauos, qui non minùs quàm Turones sub ditione Chlodomeris fuisse mihi videntur, Theodeberto paruisse: itaut ipse, aut Theo-

doricus eius pater portionem Regni Chlodomeris à Childeberto & Chlothario accepisse credi possit.

Paullo post cædem Chlodomeris Regis filiorum, Theodoricus Rex Wisigardem, vel Wisegardam, Waconis Langobardorum Regis filiam, Theodeberto filio suo despondit. Hic est Waco, qui ab aliquibus Guaco, à Procopio modò Vacis, modò Vaaces appellatur, &
IↃXXXVIII qui Ioanne Consule, solicitantibus legatis spe ingentis pecuniæ, belli aduersus Romanos societatem cum Vitige Ostrogothorum Rege inire noluit, propterea quòd Imperatori Iustiniano amicus sociúsque erat. Eumdem Paullus in rerum Langobardicarum libro I filium Zuchilonis fuisse ait, & Tatone Rege patruo suo victo & interemto, atque Hildegiso filio eius fuso fugatóque, Regnum Langobardorum occupauisse: vxores habuisse Ranicundam, vel Ranigundam, Toringorum Regis filiam, de qua suprà scripsimus; deinde Austrigosam, filiam Gipedum Regis, ex qua Wisegardam, & Walderadam tulerit: quarum maiorem Theodeberto Regi Francorum in matrimonium tradiderit; minor *Cusupald*, seu potiùs Teudupald, hoc est Theodobaldo Francorum Regi collocata sit.

Vesigothi, vt alibi diximus, Vogladensi clade omnem Aquitaniam, & partem aliquam Septimaniæ amiserant. sed cùm multa ex his, quæ Chlodoueus armis adquisierat, post eius mortem, Francis in Toringos, Burgundionésque conuersis, recuperauissent; Theodoricus Theodebertum, Chlotharius Guntharium maiorem filium, ad recipienda quæ defecerant, cum copiis misere. Guntharius, vbi ad vrbem Septimaniæ proximam Rutenos peruenit, incertum quam ob causam, domum reuertitur. At Theodebertus, fratre suo patrueli constantior, Septimaniæ fines ingreditur, Deas castrum Beterensium expugnat, ac diripit. Erat in eodem agro castrum Capraria, à quo *Monasterium S. Mariæ Capariensis* apud Septimanos in decreto Ludouici Pij de Monasteriis dictum puto. Ad eos castellanos Theodebertus caduceatorem misit, qui denuntiaret, nî deditionem facerent, ipsos castro incenso vincula & serui-

tutem esse passuros. In eo erat castro matrona, nomine Deuteria, non genere & prudentiâ quàm formâ eminentior; quæ virum suum, metu Francorum Beteras sese conferentem, ex industria sequi nóluerat, ibíque vnà cum filia remanserat. Hæc cognitis mandatis misit, qui Theodebertum inuitarent vti veniret, facerétque quod placeret, quoniam resistere ei nemo posset, quibus verbis Deuteria Theodebertum non tam in castrum, quàm in lectum suum inuitabat. Igitur Theodebertus receptus in castrum, cùm pacata ibi omnia, nihil vsquam hostile cerneret, summam adhibuit curam, ne quam Franci castellanis iniuriam inferrent. Castrum intranti Deuteria cultè exornata occurrit, quam Theodebertus, captus amore mulieris, contubernio sibi adiunxit. Deuteriam autem arbitror Caprariæ dominam fuisse, nec aliter feminam, (quæ virorum partes erant) legatos de deditione ad Theodebertum fuisse missuram, aut castrum in potestatem eius tradere potuisse. nisi quis credere malit mulierem nobilem ac potentem auctoritate suâ Caprarienfibus persuasisse, vt portis patefactis Theodeberto se dederent, quem Gregorius hoc loco more suo, quòd Regis filius erat, *Regem* appellat. Fuit Deuteria, vt ex nomine intelligitur, natione Galla, vel (quemadmodum tum loquebantur) Romana. vnde Fredegarius in Epitome eam *genere Romanam*, hoc est Gallam; Aimoinus quoque in Historiæ libro II *Romani generis feminam* vocat. è quibus Fredegarius Scholasticus, linguæ Græcæ ignarus, pro Deuteria corruptè Deoteriam, ac Teoteriam appellauit. Nimirum qui Græcis aut Latinis nominibus tum dicti reperiuntur in nostris historiis, scire licet hos Gallos esse. dudum enim Gallica nomina exoleuerant: contrà Franci habendi sunt, vel in parte Germaniæ Francis subiecta nati, quotquot circa ea tempora Germanicis nominibus appellantur. sic & Afri à Vandalis; sic Hispani Septimaníque ab Vesigothis; sic Itali & Prouinciales ab Ostrogothis; sic Britanni ab Anglis distinguebantur. Sed postea Franci à Gallis non rarò vt vxores, sic nomina cognomináque Latina accepêre; &

Gallis nonnumquam, ſublato diſcrimine, ob maternum genus Francica data ſunt nomina. quod ſemel notaſſe ſufficiat. Porrò Theodeberto tum non in Septimania modò cum Veſigothis, ſed etiam ac multo magis cum Oſtrogothis in Prouincia res fuit. Quare Gregorius in libri III capitis XXI inſcriptione Theodebertum *in Prouinciam contendiſſe* dicit, & in capite XXIII ab Arelatenſibus eum obſides accepiſſe, quæ vrbs, caput Prouinciæ Arelatenſis, Athalarico Oſtrogothorum & Italorum Regi parebat. Verùm Caſſiodorus Senator, vt ſuprà retulimus, in libro Variarum XI, dum Athalaricum puerum, Regem ſuum, more Panegyriſtarum laudat, ait Francos, ingenti expeditione turbatos, cum Oſtrogothis, tametſi ab eis laceſſebantur, pugnare noluiſſe, Theodoricúmque Regem morbo amiſiſſe. Ex quo facile eſt cognoſcere Theodebertum, non Oſtrogothorum viribus, ſed allato nuntio de morbo Theodorici patris ſui territum (ſicuti ait Gregorius) ad eum feſtinauiſſe, Prouinciáque exceſſiſſe.

Veſigothos Vogladenſi clade partem aliquam Septimaniæ amiſiſſe ſuprà diximus. quod vt intelligatur, notare conuenit in Septimania, quam prouinciam Narbonenſem primam appellabant, vrbes, vel (vt loquebantur) ciuitates fuiſſe octo, nimirum Narbonem metropolim, Toloſam, Beteras, Agatham, Nemauſum, Magalonam, Luteuam, Vcetiam. quemadmodum in Notitiis prouinciarum & ciuitatum Galliæ ante occaſum Imperij Occidentalis editis inuenio. Ex quo apparet Carcaſſonem & Elenam, nonniſi regnantibus in Septimania Veſigothis, ciuitates, ſedéſque Epiſcoporum eſſe cœpiſſe. Certè in Synodo apud Narbonem iuſſu Reccaredi Regis habita earum ambarum ſedium primùm fit mentio, cui Synodo Sergius Carcaſſonenſis Epiſcopus, & Benenatus Elenenſis Epiſcopus interfuêre. Veſigothi igitur prœlio fuſi à Chlodoueo Alaricum Regem, & omnem Aquitaniam, cuius partem maximam annos XXCVIII tenuerant, reliqua non multo antè Eurici ductu occupauerant, amiſêre, præterea Septimaniæ vrbes Toloſam, caput Regni, Luteuam, vel

Lu-

Lutubam, & Vcetiam. è quibus Luteua aliquamdiu Francorum Regibus paruit: vti docet Synodus permissu Theodeberti Regis apud Aruernos habita, cui Deuterius Episcopus Ecclesiæ Luteuensis interfuit. sed ꟾↄxxxv.
postea à Vesigothis, & (nî fallor) à Leouigildo Rege per Reccaredum filium recepta est, tum cùm Reccaredus III imperij Mauricij anno, repulsis Francis, tria ꟾↄxxcv.
castra occupauit, nimirum Caput arietis, Vgernum, atque aliud, quod nec Ioannes in Chronico, nec Gregorius in Historiæ libro VIII suo nomine appellant, ego Luteuam fuisse existimo, in IV veteribus Notitiis prouinciarum & ciuitatum Galliæ *Luteuam castrum* dictam. Vnde inter Episcopos prouinciæ Galliæ, vel Septimaniæ, qui Toleti & Narbone iussu Reccaredi Regis conuenerunt, *Agrippinus de ciuitate Loteua Episcopus* numeratur. & Leontianus *Lutubensis Episcopus* edicto Flauij Gundemari Regis subscripsit. Anatolius quoque *Ecclesiæ Lutubensis Episcopus* Concilio Toletano quarto, sextóque interfuit; Gisibertus Diaconus, agens vicem *Ansemundi Episcopi Lotobensis*, Concilio Toletano XIII. Tolosa verò & Vcetia post Vogladense prœlium sub Chlodouei, posterorúmque eius ditione semper & imperio fuerunt: quemadmodum Gregorius, Fredegarius, & Concilia Galliæ docent. Quare in statuto Ludouici Pij de Monasterijs Regni Francorum pagus Tolosanus à Septimania distinguitur. & apud Lucam Tudensem, in descriptione Sedium Hispaniæ ac prouinciæ Galliæ à Wamba Rege Vesigothorum facta, Narboni metropoli Beteræ, Agatha, Magalona, Nemausus, Luteua, Carcasso, & Elena subiiciuntur, quæ VIII vrbes Septimaniæ vsque ad Saracenorum aduentum in Hispanias Vesigothorum Regibus paruerunt: nec vlla Tolosæ & Vcetiæ ibidem fit mentio. Quamquam recentiores quidam Auctores Hispani huic descriptioni Tolosam falsò inseruêre, cuius vrbis Episcopus Narbonensi quidem Metropolitæ, sed non Regibus Vesigothorum ac Hispanorum suberat, nec magis quàm Vceticus Episcopus vllis ob id vnquam cùm Metropolitano suo Hispaniæ Conciliis interfuit. vt omittam

Iſidorum Pacenſem Epiſcopum, veterem ſcriptorem Hiſpanum, qui in Chronico tradit Toloſam Eudoni Franco Aquitanorum Duci paruiſſe, atque à Saracenis fruſtra obſeſſam eſſe. In libro de vita Betharij Carnutenorum Epiſcopi inuenio, Theodoricum minorem, Francorum Regem, coactis ex Burgundia, Alamannia, *& Gothia* copiis; Chlothario Chilperici filio bellum intuliſſe: tamquam Gothia vel Septimania ſub ditione eius eſſet, cuius partem minimam, Toloſam nimirum & Vcetiam obtinebat. Nec id magis miror, quàm quod ſemel atque iterum affirmat Rodericus Toletanus Archiepiſcopus in Rerum Hiſpaniæ libro III, *Rutenos, Albam*, (Albigam vult dicere) *ac Viuarium ciuitates, Gothorum tempore, ad Narbonenſem prouinciam pertinuiſſe*: & antequam Saraceni in Hiſpaniam tranſirent, haſce tres vrbes, cum Narbonenſi prouincia, vel Gallia Gothica in poteſtate Veſigothorum fuiſſe, quas Francorum Regibus paruiſſe fatebitur, quiſquis vel vnum Gregorium, vel Concilia Galliæ legerit. Ad rerum ordinem reuertor.

Dum Theodebertus in Septimania, atque Prouincia bellum gerit, Theodoricus eius pater, quem aliqui Theudericum appellant, Chlodoueum parentem imitatus, Sigiualdum propinquum ſuum, ex Duce Aruernorum, capite truncat, ſtatimque nuntium clàm ad Theodebertum mittit, vt Giualdum Sigiualdi filium, quem tùm ſecum habebat, interimat. At Theodebertus, vt erat mitis, iuuenem, quem de ſacro fonte exceperat, interficere noluit, vocatóque patris litteras, quibus eum occidere iubebatur, legendas tradidit, ac ſuáſit, vt fugeret, nec antè domum rediret, quàm Theodoricum patrem ſuum deceſſiſſe, ac ſe regnare comperiſſet. Obligatus tanto beneficio Giualdus Theodeberto gratias egit, confeſtímque valedixit, & Arelatum vrbem Oſtrogothicæ ditionis, à qua Theodebertus obſides acceperat, petiit. vbi cùm parum tutò ſe latere intelligeret, ob vicinitatem Vcetiæ, aliarúmque vrbium Theodorico parentium, in Italiam fugit.

Interea fidissimorum amicorum diligentiâ Theodeberto nuntiatur Theodoricum patrem ipsius grauiter ægrotare, cuius nisi mortem velocitate antecederet, futurum esse, vti interclusus à patruis Regni paterni finibus prohiberetur. Quo cognito Theodebertus apud Aruernos Deuteriam cum filia sua deponit, atque omnibus rebus postpositis, celeritate quantâ poterat, festinat ad patrem, in vrbe regia Mediomatricis, Mettísve ægrotantem. nec multis pòst diebus quàm aduenerat, Theodoricus decedit, Mettísque sepelitur, vt ait Herimannus Contractus in Chronico. Obiit Theodoricus III & XX regni sui, LI circiter ætatis anno, hoc est Iustiniano Aug. IV & Paullino iuniore Coss. malè ᴅxxxiv. enim Fredegarius & Aimoinus (nisi si exemplarium vitium est) ei XXIV regni annos attribuunt.

Fuit autem Theodoricus vir acer, agilis, astutus & callidus, ac bellicosus, omnium demum patris sui virtutum, vitiorúmque consors, insidiosus sociis, infidus fratribus, cognatis perniciosus. quippe & Chlodomerem fraude decepit, intercelusóque à Burgundionibus auxilium ferre noluit: & Chlotharium in societatem belli adscitum per summum nefas interimere voluit: atque ante paucos menses quàm decederet, Sigiualdum Ducem, propinquum suum, non ob aliud (credo) suspectum, quàm quia potens & genere propinquus erat, occîdit, vt sublato viro, qui res nouas moliri poterat, firmius filio relinqueret Regnum. Quæ facta minùs mirabitur, qui animaduerterit finitimis Regibus raró inter se bene conuenire, ac nescio quo fato fieri, vt Reges plerumque fratres ac propinquos, etiam priuatos, nedum dignitate æquales, suspectos habeant & inuisos. A paterna pietate minimè degenerauisse Theodoricum indicio sunt Venderæ, Remigio Remorum Episcopo ab eo datæ: Gaugiacum in pago Remensi, ac Germiniacum, vel Germaniacum Theodorico Abbati collata, cuius etiam exsequias celebrauit, summisso sanctitati humillimi Monachi regali fastigio. Gregorius in libello de vita Nicetij Treuirorum Episcopi tradit, Theodorico Regi Nicetium tum Abba-

tem magno honori ac venerationi fuiſſe, propterea quòd ipſum peccantem liberè admonere ac caſtigare conſueuerat: atque ob id Regis iuſſu ac decreto, & conſenſu populi, Treuiricæ eum Cathedræ impoſitum eſſe. Idem in libro de Vita ſanctorum Patrum fanum fuiſſe apud Agrippinenſes ſcribit variis donis & ornamentis refertum: in quo Franci idololatræ (nondum enim omnes facti erant Chriſtiani) ſacrificare, ac vſque ad vomitum potione & cibo repleri, & quam dolebat quiſque, corporis partem ſculptam è ligno ponere conſueuerant. Hoc fanum, cùm nemo intus eſſet, ſuccenſum eſſe à Gallo patruo ſuo, tum Diacono, Clericóque Palatino: qui vt ethnicos ſtrictis gladiis perſequentes euaderet, in aulam properè ſe abdiderit. Regem autem Theodoricum, re cognitâ, minaces & furore accenſos blandis ſermonibus mitigauiſſe, ac poſtea mortuo Quintiano Gallum, ex Diacono Presbyterum factum, gratis Aruernorum Epiſcopum deſignauiſſe, ac ciuibus eum ſuis epulum publicâ impenſâ præbere iuſſiſſe, atque in vrbem Aruernos duobus Epiſcopis comitatum miſiſſe. Et hæc quidem ſunt pietatis bonitatíſque Theodorici argumenta certiſſima.

Quod verò ad rem militarem pertinet, bello eum optimum fuiſſe docent Albienſes, Ruteni, Cadurci, ac Aruerni, Chlodouei patris imperio perdomiti; & poſt parentis mortem Chochilaichus Danorum Archipirata interfectus; Badericus ac Herminafridus Toringorum Reges alter poſt alterum fuſi magnis prœliis ac cæſi; totáque Toringia ſubacta, & in formulam redacta prouinciæ; tam facilè & Aruerni recepti, & Mundericus oppreſſus; pars denique Saxoniæ numquam peregrina imperia expertæ facta tributaria. Quippe cùm Franci, antequam Galliam occupaſſent, poſiti eſſent inter Alamannos, & Saxonas, gentes nationum Germanarum validiſſimas, ac ne Francis quidem ipſis famâ & viribus inferiores; poſt domitam Galliam ne quid eſſet in Germania, quod timere deberent, magnâ felicitate & ſingulari quodam Dei beneficio accidit Chlodoueo atque Theodorico Francorum Regibus, vti Alamannos ſubi-

geret pater; filius Saxonibus fractis, si non omnibus, saltem finitimis tributum imponeret. Quod ex Gregorio Turonicæ Ecclesiæ Episcopo colligo, cuius in libro Historiæ IV inuenio, Chlotharium, cùm *Regnum Franciæ*, hoc est Regnum Austriæ, quod Theodebaldo mortuo acceperat, circumiret, à suis de altera defectione Saxonum cognouisse, tributa, quæ in annos singulos pendere solebant, conferre recusantium, statímque Saxoniam petiisse. cuius finibus simul ac appropinquauisset, Saxones ad eum legatos misisse, qui pacem peterent, & quæ *fratribus ac nepotibus* eius dependere consueuissent, dare paratos se esse dicerent. Vbi emendandus Gregorius, & non *fratribus*, sed *fratri, ac nepotibus* Chlotharij tributa pependisse dicendi sunt Saxones, nimirum Theodorico fratri Chlotharij, & eius filio, ac nepoti, Theodeberto, ac Theodebaldo, qui regionem Cattorum, Toringiam, aliósque pagos Saxoniæ finitimos obtinuere. vt tam facilè Theodoricus bellum Saxonibus inferre potuerit, quàm constat Chlodomeri, & Childeberto eius fratribus, qui in Galliis tantùm regnauêre, necnon Chlothario ipsi, ante Theodebaldi mortem, nullo modo cum ea gente Transrenana rem fuisse. Nepotes autem, ætate Gregorij, fratrum & sororum filios, fratrúmque ac sororum filiis genitos appellare mos erat.





HADRIANI VALESII
RERVM FRANCICARVM LIBER OCTAVVS.



HEODEBERTI amicorum, ſuadentium vt ad patrem ægrotantem feſtinaret, & à patruis metuendum eſſe monentium, ſalubre conſilium, nec vanus metus fuit. Quippe Childebertus & Chlotharius Francorum Reges, quemadmodum antea Chlodomeris fratris ſui filiis interemtis Regnum Aurelianenſe occupauerant, ſic Theodeberto Theodorici fratris filio Regnum eripere conati ſunt. Ex quo iudicari potuit, quid eo abſente facturi fuerint, qui præſentem oppugnare non dubitauerunt. Sed experti ſunt ambo faciliùs pupillos quàm iuuenem ætate florentem poſſe ſpoliari. cùm enim iunctis viribus Theodeberto bellum intuliſſent, obuium eum, non minoribus copiis inſtructum, habuêre, incertúmque prœlij exitum timentes, & à nouo Rege placati ac demulſi muneribus domum rediêre. Sic igitur Theodebertus à Primoribus Francorum ſibi ſubiectis, quos Gregorius *Leudes* appellat, defenſus, ac in paterno Regno ſtabilitus eſt. In quo iuuenis prudentiam mirari libet, qui pacem & amicitiam

patruorum auro redimere, quàm se & suos inter initia principatus pugnando in periculum coniicere maluit.

Confirmato Regno, Theodebertus, aliis Theudobertus, aliis Theutbertus dictus, Deuteriam ex vrbe Aruernis euocauit, perductámque ab his, quos miserat, in matrimonium accepit, Childerico proauo suo magis reprehendendus. hic enim idolorum cultor, & cælebs Basinam, Bisini Toringorum Regis coniugem, duxit vxorem. ille & Christianus, & sponsus, immemor fidei datæ Wisigardi, alienam vxorem, viuo priore marito, sibi coniunxit.

Interea Childebertus, posteaquam vidit se Theodeberto nihil nocere potuisse, cum eo in gratiam redire constituit, inuitatóque per legatos vti ad se veniat, nuntiari iubet, sibi, qui muliebris tantùm sexus liberos genuerit, esse in animo filij ipsum loco habere. Venit igitur Theodebertus Luteciam Parisiorum, excipitúrque honorificè à patruo, & armorum, vestium, ceterorúmque ornamentorum regiorum, equorum quoque & catenarum ternis paribus donatur. At Giualdus Sigiualdi filius, audito Theodebertum Regni paterni potiri, ad eum ex Italia reuertit. cui Rex lætus multis osculis excepto faustum reditum gratulatus est, tertiámque partem munerum, quæ à Childeberto patruo acceperat, dedit, ac paterna bona, quæ Theodoricus in fiscum suum intulerat, restituit. *Catenas* autem videtur appellasse Gregorius torques, quòd eis collum tamquam catenis innectitur, ac euincitur. quibus præ ceteris gentes Germaniæ, Cheruscos, Sueuos, & maiores Francorum Sicambros decorari consueuisse in Epitomes rerum Romanarum libro IV auctor est Annæus Florus.

Eodem anno, quo Theodoricus Francorum Rex obierat, Iustiniano Aug. IV & Paullino iuniore Coss. Athalaricus Ostrogothorum & Italorum Rex, Eutharici & Amalasuenthæ filius, Theoderici & Audefledæ Chlodouei sororis nepos decessit, duodeuicesimum ætatis; octauum regni annum nondum transgressus. Quo ↄɪↄxxxiv

mortuo Amalasuentha, Theoderici filia, ne sexus & orbitas sua Ostrogothis contemtui esset timens, acciuit ex Tuscia Theodahadum, fratrem amitinum suum, atque iussum fidem sibi dare seruandæ dignitatis ac primi loci, Rauennæ in Regni eum consortionem recepit. de qua electione Iustinianus Aug. & Senatus vrbis Romæ Amalasuenthæ Reginæ, ac Theodahadi Regis litteris certiores sunt facti. Hic Theodahadus, quem Græci Theudatum appellant, erat Amalafridæ, sororis Theoderici Ostrogothorum Regis, filius: homo à secta quidem Academica, & ab Ecclesiasticis Latinisque litteris non alienus, sed imbellis, timidus, & admodum auarus, ita ut in Tuscia, in qua priuatus consenuerat, magnósque fundos habebat, possessiones confinibus suis per vim ablatas semel atque iterum à Theoderico auunculo, necnon postea ab Amalasuentha paullo ante Athalarici mortem restituere coactus sit. Cuius (sicuti videri volebat) iniuriæ magis quàm tanti accepti beneficij, ac datæ fidei memor, breui Amalasuentham auctorem suam Regno pulsam in insulam lacus Volsiniensis relegauit, ac post paucos dies per satellites suos in balneo strangulauit, supradictis Iustiniano Aug. IV & Paullino
DXXXIV. iuniore Coss. feminam omnibus virtutibus adornatam, prudentem, seueram, paucis lites componentem, in consultando acutam, in loquendo grauem, iuris & æqui seruantem, adeò vt Symmachi & Boethij liberis bona restituerit, Liberium Patricium, Præfectum Galliarum, bene de Republica meritum suâ liberalitate ditauerit, & ad violandos Romanos nihil Ostrogothis vmquam indulserit. Eamdem, præter notitiam litterarum, Græco ac Latino sermone doctam, & linguâ Gothicâ ita vsam esse tradit Senator in libri Variarum XI epistolâ I, vt legatis externarum gentium, & hominibus suæ ditionis se interpellantibus, sine interprete auditis responderet.

Quo magis miror Gregorium Turonicum Episcopum in libro Historiæ III de Amalasuentha, omisso eius nomine, scribere: Theodericum Regem Italiæ morientem paruulam filiam, quam ex Chlodouei Regis sorore

re susceperat, superstitem reliquisse, quæ cùm creuisset, & ad maturam ætatem peruenisset, contra matris voluntatem, à qua adolescenti cuidam nobili Regis filio collocanda erat, Trauuilani seruo suo nupserit, & vnà cum eo munitæ se vrbis muris incluserit. Tum matrem, posteaquam filiam frustra monuerat, vt in matrimonio sortiendo iudicium suum consiliúmque sequeretur, néve diutiùs nobilitatem generis sordido contubernio fœdaret, accensam contumeliâ exercitum aduersus eam misisse, captáque vrbe Trauuilanem capite truncatum, puellam domum reductam esse, vbi matrem veneno sustulerit. Ambas autem sectam Arianam secutas ait Gregorius, adiicítque Italos indignantes mulierem Regno expulisse, & Theodahadum, quem *Theodatum Regem Tusciæ* appellat, accersitum Regem salutauisse. cuius iussu Theoderici filia, parricida matris, præferuido balneo cum ancilla inclusa, & vapore enecta perierit. Quâ cognitâ re Childebertum & Chlotharium Francorum Reges, consobrinos mulieris, ac Theodebertum, missis Rauennam legatis, Theodahado amitinæ mortem obiecisse, ac nî homicidium satisfactione lueret, Regnum se ei, ac vitam eodem mortis genere erepturos denuntiauisse, confestímque à Theodahado perterrito L aureorum millibus fuisse placatos. quam pecuniam Childebertus, vt erat præ inuidia ad decipiendum Chlotharium fratrem semper paratissimus, cum Theodeberto Theodorici fratris filio diuiserit. Chlotharium verò, thesauris Chlodomeris iniectâ manu, multo plura his, quibus à fratre fratrísque filio fraudatus fuerat, rapuisse.

Et ita quidem Gregorius de vnica Theoderici filia Amalasuentha scribit. quæ falsa esse ex eo intelligimus, quòd Amalasuentha Florentio & Anthemio Coss. anno XII ante parentis sui obitum Eutharico nupsit, & viro primùm, deinde patre orbata, Athalarici filij sui annum circa decimum agentis tutelam gessit, Regnúmque Italiæ administrauit, atque vidua postea, quoad vixit, fuit. vti omnes eorum temporum Auctores tradunt. Præterea non ab Italis, sed ab Ostro- ɪɔxv.

Eee

gothis, quorum ſub ditione tum Itali erant, Regem appellatum Theodahadum dicere debuit Gregorius. Quem Theodahadum, antequam in Italia regnaret, idem Regem Tuſciæ vocat; vt appareat eum priuatum adhuc vulgò *Regem Tuſciæ* dictitatum eſſe, propterea quòd magnas ea in prouincia poſſeſſiones habebat, maximámque ætatis partem, Theoderico auunculo & Athalarico regnantibus, ibidem exegerat. Vnde caſtrum inſulæ lacus Volſinienſis impoſitum, & Vrbem Veterem loca Tuſciæ munitiſſima elegit, quò Rex opes omnes ſuas ac pecuniam inferret, caſtróque ſupradicto Amalaſuentham clauſit. Auctórque eſt Procopius, in belli Gothici libro I; Theodahadum plurimorum in Tuſcia locorum ac latifundiorum dominum, cùm ab Amalaſuentha Athalarici tutelam gerente finitimos poſſeſſionibus per vim expellere vetaretur, & ſuà cuique reſtituere coactus eſſet, legatis, quos tum fortè Iuſtinianus ad Amalaſuentham miſerat, clàm pollicitum eſſe, Tuſciam acceptâ magnâ pecuniâ & Patriciâ dignitate ſe in poteſtatem Imperatoris traditurum: quod eum facturum fuiſſe, & Conſtantinopoli reliquum vitæ acturum, niſi paullo pòſt Athalarico mortuo ab Amalaſuentha Regina blanditiis mitigatus, & in Regni conſortium receptus eſſet.

Ceterùm Audefleda Regina ſoror Chlodouei, vxor Theoderici Regis Oſtrogothorum, matérque Amalaſuenthæ, ſiuè viro ſuperſtes fuit, ſiue (quod mihi veriſimilius videtur) ante eum deceſſit, tam Ariana eſſe potuit, quàm Lanthildis ſoror, quæ antequam Chlodoueus Chriſtianus fieret, errorem Arianorum ſecuta eſt, præſertim cùm à fratre ſuo adhuc idola colente Ariano Arianæque gentis Regi in matrimonium data ſit. vt apud Caſſiodorum Senatorem Theodericus ipſe ſignificat in litteris, quibus Chlodoueum Francorum Regem pro Alamannis victis profugíſque deprecatur, affinem eum appellans, & *glorioſæ* eius *affinitati gratulari* ſe dicens, quòd Alamannos victrici dextrâ ſubegerit. Ex quo intelligitur Audefledam ante victoriam Alamannici belli, ſeu ante baptizatum Chlodoueum fra-

trem suum Theoderico Ostrogothorum & Italorum Regi nupsisse. Quod & Iordanes docet, cùm scribit Theodericum, post tertium annum quàm Italiam ingressus erat, (Probino autem & Eusebio Coss. anno VII ante victos à Chlodoueo Alamannos Italiam ingressus est) missis legatis ad Chlodoueum Francorum Regem Audefledam in matrimonium petiisse. quam Chlodouei filiam pro sorore falsò appellat, & à patre ad Theodericum libenter missam ait, propterea quòd existimabat eâ affinitate contractâ inter Ildebertum, Cheldebertum, & Tiudepertum filios suos, gentémque Gothorum fidam pacem & societatem futuram. cùm Chlodoueus vnum tum ex concubina filium Theodoricum haberet, ac vixdum Chrothildim duxisset vxorem. Quod autem ait Gregorius, Theoderici Regis Italiæ filiam *seruum suum nomine Trauuilanem accepisse*, ita intelligi debet, vt Amalasuentha dicatur non mancipium aliquod ære emtum, sed priuatum hominem, vnum è subiectis sibi Ostrogothis in torum recepisse, quem Fredegarius Scholasticus in Epitome *Traquillanem*, & *Traquilam*, ac in quibusdam codicibus *Tranquillianum* pro Traguillane appellat. Nec dubito, quin Trauuila, vel Traguilla is sit, quem Boëthius in libro primo de Consolatione *Triguillam* vocat *Præpositum regiæ domus*, Theoderico Amalasuenthæ patre regnante. tum enim plerique vt non Melam, sed Melanem; non Attilam, sed Attilanem; non Ebbam, sed Ebbanem; sic Trauuilanem potiùs quàm Trauuilam, dicebant. Cùm verò suprà indicauerim Childebertum & Chlotharium, interemtis Chlodomeris filiis, Regnum eius inter se diuisisse Iustiniano Aug. III Cos. ante Theodorici fratris sui mortem, hoc est, ante Iustiniani Aug. IV & Paullini Consulatum: miror à Gregorio dici, regnante in Italia Theodahado; & Regibus Francorum, ne Amalasuenthæ amitinæ mortem vlciscerentur, pecuniam mittente, nimirum sub finem supradicti anni, aut circa sequentis initium Chlotharium Chlodomeris thesauris manum iniecisse. quos thesauros post Chlodomeris Regis obitum tamdiu intactos, ac ne cum Regno qui-

CCCC-XXCIX.

IↃXXXIII

IↃXXXIV

IↃXXXIV

IↃXXXV.

dem eius diuisos fuisse à Childeberto & Chlothario nequaquam verisimile est. Quod ad pecuniam pertinet à Theodahado Ostrogothorum Rege Francorum Regibus datam, auctor est Procopius in libro I belli Gothici Theodahadum, vbi Belisarium in Siciliam armatum venisse cognouit, legatos ad Francorum Reges misisse, & promissâ parte Galliæ sibi subiectâ, nimirum Prouinciâ, ac oblatis XX *auri centenariis*, hoc est auri librarum millibus duobus, ad fœdus societatémque belli eos inuitauisse. quod priusquam fieret, Theodahadum periisse, atque morte Regis conditiones pacis esse ruptas. Ex quo apparet Theodahadum Francorum Regibus pecuniam promisisse tantùm, non & dedisse, nec tamquam multam, quâ cædem Amalasuenthæ eorum consobrinæ lueret, promisisse, sed velut ad ineundum fœdus quibuslibet verbis efficacius incitamentum.

Mors Amalasuenthæ Reginæ grauissimum bellum excitauit. quippe Iustinianus Aug. cui se illa non semel commendauerat, & cuius in potestatem Italiam viuo Athalarico filio tradere voluerat, facinus vindicare constituit, sperans tam facilè Italiam quàm Africam se Imperio Romano restituturum, & eodem duce belli Gothici ob Amalasuentham suscepti eumdem, quem Vandalici pro Hilderici Regis cæde illati, euentum futurum. Igitur Flauium Belisarium, Ducem pru-
IↃXXXV. dentiæ ac felicitatis expertæ, tum Consulem, cum classe in Siciliam; & legatos in Galliam ad Reges Francorum cum litteris misit. quarum caput erat, Ostrogothos Italiam, primam sedem ac nobilissimum membrum Imperij Romani, vi & armis captam non modò restituere sibi nolle, sed etiam intolerabilia & iniqua admisisse. quibus iniuriis se ad arma compulsum esse. decere ipsos, quibus eadem Fides hæresi Arianæ contraria, & par odium in Ostrogothos sit, aduersus communem hostem bellum coniungere. Vnà cum litteris pecunia Francorum Regibus à Iustiniano Aug. redditur, maiórque summa promittitur, postquam Romanis auxilium ferre cœpissent. Illi lectis litteris, acce-

ptáque pecuniâ cum Imperatore ſocietatem iungunt, & impigrè Oſtrogothis bellum illaturos ſe pollicentur. Intereà Fl. Beliſarius Conſul, haud pluribus quàm VII armatorum millibus ac quingentis aduerſum ducenta circiter hoſtium millia inſtructus, Siciliam petit, Catinam capit, Oſtrogothis cum Duce ſuo Sinderito fuſis, & in deditionem acceptis, Syracuſas, & Panormum, omnémque inſulam occupat, reuerſúſque Syracuſas nouiſſimo die Conſulatus ſui, ibidem magiſtratu abiit, auro in milites ſuos, prouincialéſque plaudentes ſparſo. Eodem anno Dalmatiam & Liburniam Conſtantianus pulſis Oſtrogothis in ditionem Imperatoris redegit. vt in libro I belli Gothici tradit Procopius, Beliſarij Scipionis ſui Polybius; quem vſque ad Teiæ Regis cædem de eo bello ſcribentem ſecuturi ſumus.

Theodahadus Oſtrogothorum Rex, poſtquam miſſo ad Iuſtinianum Agapeto vrbis Romæ Epiſcopo fruſtra bellum deprecatus erat, amiſsâ Siciliâ & Dalmatiâ è veterno expergeſieri, & de Regno defendendo cogitare cœpit. Generum habebat Ebremudem, cui Theodenandam filiam ſuam in matrimonium dederat. Hunc poſt Conſulatum Beliſarij ad tuendum Fretum, Rhegiúmque opidûm cum exercitu mittit. Quò ſimul ac Ebremud venit, relicto in Bruttiis exercitu, vltrò ad Beliſarium in Siciliam cum fidiſſimis famulis tranſit, miſſúſque Conſtantinopolim, mox Patriciâ dignitate ab Imperatore honoratur, vt Duces Oſtrogothorum, ac Optimates ſpe huiuſmodi præmiorum ad deditionem inuitarentur. Igitur Beliſarius ex Conſule ac Patricius receptâ Siciliâ, & præſidiis Syracuſis ac Panormi collocatis, copias in Italiam traducit: Bruttios & Lucaniam victor peragrat: dedentibus ſe ſponte, quaquà iret, prouincialibus, quibus opida ſine muris præſidiiſque erant. inde in Campaniam peruenit, Neapolim terrâ maríque obſeſſam, noctu intromiſſis per aquæductum militibus, inuadit & diripit, ac magnam cædem opidanorum facit. Tum Theodahadus exercitum in Campaniam aduerſus Beliſarium miſit, eíque Vitigem Armigerum antea ſuum præpoſuit, virum bello magis

quàm genere illustrem. Erant Ostrogothi admodum infensi Theodahado, quem cædes Amalasuenthæ, & auaritia inuisum, transitio Ebremudis generi sui, ac desidia suspectum faciebat. quamobrem vbi in Campos Barbaricos (hoc loco nomen est) venêre, Vitigem ducem suum scuto impositum Regem appellauêre. Is confestim Theodahadum, qui Româ Rauennam profugiebat, iugulari, ac Theodegisclum eius filium tradi in custodiam iubet, atque Romæ præsidio IV millium Ostrogothorum posito; Siluerio Episcopo, & Senatu populóque Romano ad iusiurandum adactis, Rauennam proficiscitur, magnas Ostrogothorum copias, ac plurimos obsidum loco secum Senatores ducens. Ibi priuatâ coniuge repudiatâ, Matasuentham, Amalasuenthæ filiam, Theoderici neptem, sororem Athalarici, virginem tempestiuam, firmandi Regni causâ, inuitam matrimonio sibi adiunxit: potitúsque opibus Theodahadi, quæ in insula lacus Volsiniensis, & in Vrbeuetere cumulatæ seruabantur, omnes Ostrogothos, exceptis qui in Prouincia Francis oppositi erant, Rauennam conuocauit: arma & equos cuique distribuit. Cúmque Vitigis Ostrogothorum multos & fortissimos, qui Marciâ Duce Prouinciam Galliæ tuebantur, nisi pace cum Francis factâ tutò euocare non posset, eosdémque nequaquam Francis pares futuros intelligeret, si ipse in Belisarium omnes copias conuertisset, Galliam & Italiam vastaturis; primores gentis conuocatos docuit, cetera quidem bello necessaria summâ industriâ parata esse, sed nihil sibi aduersus Francos prouisum, quibus Ostrogothos, dum ab alio hoste otium erat, magno cum rerum virorúmque fortium damno vtcumque hactenus obstitisse: nunc bellum Romanum, & *non minus Romano Francicum*, vno eodémque tempore sustinere non posse. pacem igitur cum Francis fieri oportere, ne cum Belisario Duce Romanorum iuncto fœdere arma consocient, & quemadmodum fieri solet, in communis hostis exitium gentes ambæ consentiant. quod si contigerit, Ostrogothos, siue copias diuiserint, siue iunxerint, ab vtrisque victum iri. satius itaque esse necessitati pare-

re, & Francis Prouinciam, pecuniámque, quantamcumque eis vnà cum Prouincia Theodahadus promiserat, dare, vt amici ex hostibus facti non solùm vetera in Ostrogothos odia deponant, sed etiam belli cum ipsis societatem iungant. Prouinciam quidem, victis & expulsis Italiâ Romanis, facilè postea à victoribus recipi posse. Consilium Vitigis Regis Seniores Ostrogothorum vnâ voce probauêre. Mittuntur ergo confestim ad Francos à Vitige legati, qui Prouincia & XX auri centenariis datis eorum societatem redimant. Regnabant tum in Francia Childebertus, Chlotharius, & Theodebertus, Procopio Ildibertus, Theudibertus, & Cloadarius dicti, qui Prouinciam pecuniámque acceptam inter se pro cuiusque Regni portione diuisêre, atque Ostrogothis se & amicos maximè futuros, & auxilia non quidem Francorum, sed aliarum subiectarum sibi nationum clàm missuros promisêre, professi fieri non posse, vt palàm & apertè cum eis societatem iungant contra Romanos, quam paullo antè cum Imperatore inierint. Sic legati re, ob quam missi erant, confectâ, Rauennam redeunt, & Marcia, postquam de opidis Ptouinciæ præsidia deduxerat, copias omnes, quibus præerat, iussu Regis eôdem reducit. Addit Procopius in belli Gothici libro.III concessionem hanc Prouinciæ Galliæ non modò ab Romanis minimè interpellatam, verùm contrà postulantibus Francis (hoc est Francorum Regibus) ab Imperatore Iustiniano ideò litteris confirmatam esse, vt tanto beneficio obligati Romanos cum Osttogothis bellantes non oppugnarent. Quippe Francos Prouinciam se tutò possessuros nequaquam existimauisse, nisi Imperator donationem suis litteris comprobauisset. Ex eo tempore Francorum Reges Massiliam Græcorum, & omnia maritima loca, marísque Gallici imperium obtinuisse, & in vrbe Arelato Circensibus præsidere. præterea nummos aureos ex auro Gallico percutere, suóque eos, non autem Imperatoris (vt fieri solet) vultu signare. quod ne Persarum quidem Regi, nedum vllis aliis quarumlibet gentium Barbararum Regibus liceat: cùm etiam ipsi inter sese Bar-

bari auream monetam nisi Imperatoris imagine signatam in commerciis non probent. Quæ in gratiam Iustiniani à Procopio ficta esse mihi videntur. vt enim concedam Francorum Reges timere potuisse, ne Iustinianus Aug. post occupatum Ostrogothicum Regnum, Prouinciam Galliæ, quæ pars eius fuisset, bello repeteret: (vti postea Saraceni Africani & Mauri, subactis in Hispania Vesigothis, Septimaniam ob eamdem caussam sibi vindicare conati sunt) tamen existimo eos domesticis viribus magis quàm alienis diplomatis confidisse. Nummos quidem Gothicos veteres electrinos vidisse se ait V. C. Iacobus Sirmundus adeò pallidos, vt auri minus eis inesse putetur, quàm argenti, Regum tamen Vesigothorum effigie signatos, atque habere se Theodeberti Francorum Regis nummum aureum exiguum, sed sincerum & incorruptum, nota atque nomine *Domini Theodeberti C.* insignem. & nummum aureum profert Cæsar Baronius *Dn. Theodahati* Regis vultu signatum. Ex quo intelligitur non Francos solos, verùm etiam Vesigothos, & Ostrogothos, atque adeo plerosque alios Barbaros aurum Regum suorum vultu signauisse. neque enim dubito, quin vt Vesigothi in Hispania, Ostrogothi in Italia, sic Vandali in Africa, Burgundiones in Gallia, Gipedes in Dacia tam aureos quàm argenteos domesticorum Regum nota percusserint. Et quoniam Gothicorum, seu Vesigothicorum nummorum suprà facta est mentio, in transcursu notare conuenit (id quod Auitus Viennensis Episcopus in epistola ad Apollinarem Episcopum, & Gundobadus Rex in codice Legum Burgundionum scribunt) Alaricum posteriorem, Vesigothorum Regum primum aureos adulterauisse, atque æs auro miscuisse. quamobrem Gundobadus omne aurum iusti ponderis accipi iubet *præter* IV *tantùm monetas*, nimirum solidos Placidi *Valentiniani* A; & *Geneuenses*, Chilperici videlicet patrui sui, & Godegisili fratris Geneuensium Regum iussu percussos; ac *Gothicos, qui à tempore Alarici Regis adærati sunt*; atque *Ardaricanos*, hoc est Ardarici Regis Gipedum nummos.

Vid. legis Burgundionum additam. 3 tit. 3 num. 6.

Sic

Sic igitur Prouincia Indictione XIV post Consulatum Belisarij, vti antea Theoderici Regis auspiciis à Vesigothis ad Ostrogothos, ita ab Ostrogothis ad Francos translata est: & Francorum Reges, qui alias omnes Galliarum prouincias armis occupauerant, bellóque domuerant, eam vnam conditionibus iuris sui fecêre, atque ab Rege Vitige dono datam accepêre: ac totam Galliam præter Septimaniam, quæ Vesigothorum erat, atque Britanniam Armoricam vel citeriorem obtinuêre. Prouinciam voco, sicuti Senator, & Auitus Viennensis Episcopus, regionem eam, quam Procopius in belli Gothici libro primo, & tertio, modò *partem Galliæ ad Gothos*, hoc est ad Ostrogothos, *pertinentem*; modò *Gallias Germanis*, id est Francis, *finitimas*; nonnumquam *Gallias Gothis subiectas*; sæpiùs *Gallias* simpliciter, quemadmodum & Senator; item *Gallias citra Rhodanum* appellat, *Galliis vltra Rhodanum*, nimirum Septimaniæ proximas. Continebat autem Prouincia supradicta prouinciam Narbonensem II, dimidium prouinciæ Viennensis, & totum ferè Alpium Maritimarum tractum. Sed iam paullo antè partem eius interiorem, & à mari remotam, quæ Burgundici Regni fuerat, fuso fugatóque Godomaro Childebertus & Chlotharius Francorum Reges cum omni Burgundia occupauerant: reliquam partem Prouinciæ, quæ Ostrogothis parebat, ita vt dixi, à Vitige datam accepêre: videlicet opida cùm ripensia, tum maritima, Auenionem, Tarasconem, Arelatum, Fossas Marianas, Massiliam Græcorum, Citharistam, Taurentum, Telonem Martium, Olbiam, Forum Iulij, Leronem & Lerinum insulas, Antipolim, Cemenelium, Nicæam, & vrbes mediterraneas, Aquas Sextias, Reios Apollinares, Diniam, Sanitium, Vintium, & Glannateuam. Cemenelium quidem & Nicæam, duas Sedes vni dudum Antistiti attributas, vrbes fuisse eius partis Prouinciæ, quæ intra XXIX annos à Vesigothis ad Ostrogothos, ab illis ad Francos translata est, indicat Magnus *Episcopus Ecclesiæ Cemelensis & Nicensis*, alibi dictus *Episcopus Ecclesiæ Cemelensis*, id est Cemenelensis, qui Concilio Aurelianēsi V, & Synodo Arelatensi

ƆƆXXXVI

quintæ iuſſu Domini Childeberti Regis habitæ interfuit: & Catullinus *Epiſcopus à Nicæa,* qui Domino Gũtchramno regnante ſtatutis Cõcilij Matiſconenſis II ſubſcripſit, atque Gregorius in libri VI capite VI. Ex his Prouinciæ vrbibus à Vitige genti Francorum datis duas tantùm, nimirum Maſſiliam Ionum coloniam, & Arelatum, ſuprà commemorat Procopius: cùm ait ex eo tempore Francorum Reges Maſſiliam Græcorum, & omnia maritima loca, (id eſt oram omnem Galliæ ab oſtiis Rhodani ad Alpes Maritimas vſque promiſſam) maríſque Gallici imperium obtinere, & in vrbe Arelato Circenſibus præſidere, atque nummum aureum ex metallo Gallico ferire, propterea quòd Arelatum atque Maſſilia clariſſimæ & opulentiſſimæ Prouinciæ vrbes erant, adeò vt pars Prouinciæ, *Arelatenſis Prouincia;* pars, *Prouincia Maßilienſis* appellaretur, quemadmodum apud Gregorium Turonicum Epiſcopum, & in libro de vita Conſortiæ vocatur. è quibus Arelatum in primis, in diuiſione Prouinciæ inter Francorum Reges, Childeberto ſorte obueniſſe docent litteræ Vigilij Papæ ad Auxanium Arelatenſem Epiſcopum, & ad Aurelianum eius ſucceſſorem, & epiſtola Pelagij vrbis Romæ Epiſcopi ad Dominum glorioſiſſimum ac præcellentiſſimum Childebertum Regem, in qua ſcribit ſe commendatione eius & ſuffragatione motum, Sapaudo Arelatenſi Epiſcopo vſum pallij conceſſiſſe. vt omittam Cyprianum in libro de vita Cæſarij Arelatenſium Epiſcopi & præceptoris ſui affirmantem Arelatum, cùm ipſe de Cæſario ſcribebat, clariſſimo Regi Childeberto paruiſſe: & quod ait Gregorius Magnus in epiſtola ad Vigilium Arelatenſem Epiſcopum, Childebertum Francorum Regem, Catholicæ Religionis amore incenſum, Arelati Monaſterium virorum exſtruxiſſe, donationémque rerum huic loco collatarum Vigilij Papæ decreto, confirmandam, ac priuilegiis augendam curauiſſe. Eadem vrbs, ſtante Occidentis Imperio, vt commercio, ita officina monetæ, & Circo, crebríſque ludorum Circenſium ſpectaculis clara fuerat & illuſtris. Vnde in Notitia prouinciarum Imperij Romani *Procuratorum*

monetæ Lugdunensis, monetæ Arelatensis, & *monetæ Treuirorum* fit mentio. & Episcopi Prouinciæ, in libello Leoni Papæ oblato de renouando Ecclesiæ Arelatensis priuilegio, aiunt, *quicumque intra Gallias* iam inde à Constantino Maximo & Valentiniano *ostentare voluit, insignia dignitatis, in hac vrbe, matre omnium Galliarum, Consulatum accepisse, & dedisse*, hoc est Consulatum Circensibus celebrauisse. & apud Ammianum Marcellinum dicitur Constantius Aug. Constantini Principis filius ob tricesimum imperij sui annum Arelati theatrales ludos, & Circenses ambitioso apparatu edidisse, ibidémque proximis Kalendis Ianuariis septimum Consulatum iniisse, & ex more ludos Circenses fecisse. Eadem in vrbe, Seuerino Consule, præsente Maioriano CCCCLXI Aug. Circensium spectaculum editum auctor est Apollinaris Sidonius in epistola ad Montium. Quæ fuit forsitan causa, quare Procopius, ratus Arelati suâ ætate eadem omnia facta esse, quæ stante Occidentali Imperio fieri consueuerant, haud dubitarit affirmare Francorum Reges, post acceptam à Vitige Ostrogothorum Rege Prouinciam, Arelati Circenses dedisse, & aureum nummum tum primùm percutere, ac suâ imagine signare cœpisse. Vbi vult intelligi Procopius facultatem auri ita signandi Francorum Regibus datam esse ab Imperatore Iustiniano eisdem diplomatis, quibus donatio Prouinciæ comprobata est. De Circis verò & Circensibus in Occidente post occasum Imperij Romani mentionem faciunt Auctor Appendicis Chronico Victoris Tununensis Episcopi adiunctæ, & Gregorius Turonicæ Ecclesiæ Episcopus. è quibus Auctor Appendicis Cethego V. C. Cos. Alarico in Gallia & Hispania regnante, *Cæsaraugustæ Circum spectatum* dicit. (sic Circenses vocat) Gregorius in libro V, vnáque Aimoinus produnt Chilpericum Francorum Regem, Chlotharij maioris filium, *apud Suessionas & Parisios*, vrbes regias, *Circos ædificauisse, eósque populo spectaculum præbuisse*. DIV.

Ceterùm notandum est, non Prouinciam solùm cum pecunia, quam diximus, à Vitige Francorum Regibus,

Childeberto, Chlothario, ac Theodeberto datam esse, sed etiam partem Alamannorum eam, quæ post prœlium Tolbiacense ad Theodericum Regem perfugerat, & annis XL in Italia sub trium Ostrogothorum Regum imperio fuerat. Sic enim Agathias in primo Historiæ libro scribit: post obitum Theoderici, qui non (vt falsò ait) *totam gentem Alamannorum*, occupatâ Italiâ, *subegerat, tributariámque fecerat*, sed tantùm partem gentis profugam & supplicem in finibus Italiæ collocauerat, bellum inter Romanos & Ostrogothos maximum ortum esse. Tum Ostrogothos, vt Francorum sibi amicitiam conciliarent, & *multis aliis locis*, (nimirum opidis Prouinciæ) cessisse, & gentem Alamannorum, tamquam superuacaneam, & parum vtilem dimisisse, necessitatíque paruisse, quippe qui intelligerent iam non de gloria, sed de salute totis viribus sibi esse pugnandum. Eum in modum Theodebertum Francorum Regem dimissam ab Ostrogothis Alamannorum nationem *subegisse*, atque *domuisse*. Ita loquitur Agathias, vt indicare videatur partem eam Alamannorum, quam Vitigis Ostrogothorum Rex in Francorum gratiam dimisit, & Italia excedere, ac in regiones suas Theodeberto subiectas reuerti coëgit, à Theodeberto Rege nonnisi vi & armis in ditionem potestatémque suam redactam esse. Alamanni igitur omnes postea Francorum Austrasiorum Regibus paruêre, quibus Dux præerat regiæ stirpis, à Rege Francorum constitutus. In Legibus Alamannorum inuenio Ducem nonnumquam *Dominum* vocari, & res, quæ ad eum pertinebant, *res Dominicas* dici: aulam quoque Ducis, *Curtem Ducis*, seu Chortem eodem, quo Palatium Regis, nomine appellari. pecuniâ, exsilio, morte multare Duci permissum fuisse. si quis eius sigillum, aut mandatum, aut signum neglexisset, non impune tulisse. In eodem Codice Legum, Dux, qui exercitum ducere, equum conscendere, & adhuc esse Regi vtilis potest, filium rebellem, & *Regnum* suum (hoc est Ducatum) armis occupare conantem si vicerit, & ceperit, expellere eum prouinciâ iubetur, & *Regi Domino suo*, aut

cuilibet alij mittere, paternâ hereditate excludendum, quam reliqui Ducis filij post patris obitum *voluntate Regis* inter se sint diuisuri. itaut si Dux moriens non alium, quàm hunc rebellem, filium reliquerit superstitem, aut ei ipsi, dummodò fideli & præclara opera veniam restitutionémque mereatur, aut cui volet alij Ducatum dandi Rex habeat potestatem. Ibidem nemini, præterquàm ei, qui à Duce iudex fuerit constitutus, ius dicere permittitur: & libero liberum *apud Regem, aut Ducem* capitis accessere licet.

Dum Vitigis Ostrogothorum Rex datâ Prouinciâ, dimisísque Alamannis, pacem ac societatem Regum Francorum redimit, & in cogendis omnibus copiis occupatus Rauennæ moratur: Romani casu Neapolitanorum territi, præsidium Barbarorum ex Vrbe expellunt, Belisariúmque cum exercitu Imperatoris recipiunt, post annos LX, quàm ab Odoacre Roma capta fuerat. Potitus est vrbe Roma Iustinianus Aug. Indictione XIV post Consulatum Belisarij. Eodem tempore Calabri & Apuli, qui nullis Ostrogothorum præsidiis tenebantur, se suáque omnia vltrò Belisario dediderunt. Pitza quoque Ostrogothus sese cum manu popularium, & dimidiâ parte Samnij maritimi, cui præerat, eidem permisit. Bessam similiter missum à Belisario Narnienses; Constantinum, vel Constantianum Spoletini, ac Perusini, finitimíque Tusci opidis suis recepêre. & Hunila Dux à Constantino apud Perusiam interfectis Ostrogothorum millibus VII captus est. Tot acceptis incommodis Vitigis tandem Rauennâ proficiscitur, cum armatis millibus non minùs centum & quinquaginta, Belisariúmque obsidet Romæ. pugnatum est ad Vrbem sexagies septies: & omnia Barbari frustra experti. Quamobrem Vitigis Rex, vbi ab auxiliis Belisario missis Ioanne duce vastatum Picenum, Vlitheum fusum acie & cæsum, Ariminum captum cognouit, Rauennæ regiæ suæ timens, post annum & dies nouem obsidionem soluit Indictione XV iterum post Consulatum Belisarij, Ariminúmque, cui Ioannes Magister militum præerat, obsedit. auditóque Belisa-

IↃXXXVI. (margin, beside "Indictione XIV … Eodem tempo-")

IↃXXXVII. (margin, beside "dies nouem … iterum")

rium, rogatum à Datio Mediolanensium Episcopo primísque opidanorum, misso cum paucis Mundila Duce Mediolanum, Bergomum, Comum, Nouariam, ac pleramque Liguriam recepisse, confestim Oraiam cum magno exercitu aduersus eum misit. Theodebertus quoque Francorum Rex in Italiam proficisci, & Oraiæ adiungi iussit hominum millia decem, non Francorum, sed Burgundionum: ne initam cum Romanis societatem diremisse, & Imperatori iniuriam facere videretur, Burgundiones volentes & suâ sponte, non ipsius iussu auxilium Ostrogothis contra Romanos tulisse prætexturus. Hisce Burgundionibus iuncti Ostrogothi Oraiâ duce Mediolanum, vrbem magnitudine, frequentia opidanorum, & diuitiis vni ex omnibus Occidentis vrbibus Romæ secundam, cui Mundila cùm trecentorum tantùm militum præsidio præerat, oppugnauêre: vt scribit Procopius.

Hîc notare in primis conuenit, quod ait Procopius in belli Gothici libro secundo, Theodebertum Francorum Regem Burgundionum millia X Oraiæ misisse. Quippe aut Theodebertum pro Childeberto appellauit Procopius: (vt suprà indicaui, Amalarici Vesigothorum Regis coniugem, quæ soror Childeberti erat, Theodeberti Francorum Regis sororem ab eodem dici) aut si hoc de Theodeberto non falsò scripsit, fatendum est Childebertum & Chlotharium, pace cum Theodeberto Rege fratris sui filio factâ, partem ei aliquam Burgundiæ dedisse. Theodebertum autem Procopius, eiúsque filium, ac patruos modò Φράγγων ἡγεμόνας, aut ἡγουμένους; modò ἄρχοντας, vel ἀρχηγούς, nusquam βασιλεῖς appellat: tamquam hoc nomen soli Imperatori conueniat, quod tamen & ipse aliis sæpe gentium Barbararum Regulis tribuit, & Eunapius, Pæanius, Priscus, Zosimus, Agathias, Menander, aliíque Francorum, & Chamauorum, ac Saliorum, Francicarum nationum, Regibus non inuiderunt. Porrò tametsi Childebertus, Chlotharius, & Theodebertus Francorum Reges vtilis magis quàm honesti rationem habuêre, cùm Romanis contra Ostrogothos, & Ostrogothis contra

Romanos se auxilia missuros promisêre, & ab vtrisque pecuniam accepêre: tamen prudenter eos fecisse nemo infitiabitur, quòd semel tantùm Ostrogothos paruis auxiliis, & nullis Romanos militibus iuuerinr. quippe Romanos, si Italiam occupauissent, quanto potentiores Ostrogothis, tanto grauiores futuros sibi finitimos intelligebant, & Ostrogothis diuturno bello defatigatis & attritis, prouincias Italiæ finitimas Galliæ facilè se occupaturos confidebant.

Indictione I, Ioanne Cos. vel (vt subscriptio epistolæ Vigilij Papæ ad Eutherium Episcopum docet) Volusiano & Ioanne Coss. Fl. Belisarius adiunctus apud Firmum copiis, quas Narses eunuchus Comes thesaurorum ex vrbe Constantinopoli adduxerat, Ariminensibus à Vitige obsessis auxilium ferre contendit. cuius aduentu adeò territi sunt Ostrogothi, vt confestim Rauennam fugâ petierint. At non Mediolanensium, qui ab Oraia oppugnabantur, fortuna eadem fuit. nam Martinus Magister militum, à Belisario eis missus auxilio, cùm ad Padum peruenisset, ibi substitit, & metu Ostrogothorum atque Burgundionum, quibus impares numero copias habebat, flumen transire non est ausus. Quamobrem milites, postquam canina & murina vitam tolerauerant, pacti sibi incolumitatem, inuito Mundilâ Præfecto præsidij, Mediolanum dediderunt. Erant Ostrogothi Mediolanensibus ob defectionem admodum infensi. itaque muris funditus dirutis, vrbs direpta: opidani puberes omnes interfecti: Senatores, & Presbyteri, aliique, qui in Ecclesias confugerant, ad altaria trucidati. trecenta ibi millia hominum occisa auctor est Procopius, & mulieres ab Ostrogothis in seruitutem abductas, atque Burgundionibus præmium societatis datas, Mundilam Paullúmque cum præsidio in custodiam traditos, omnémque Liguriam, hoc est regionem Transpadanam, ab eis recuperatam esse. Insequenti anno, Apione V.C. solo Consule, Belisarius Cyprianum & Iustinum cum copiis ad obsidendas Fesulas; Martinum & Ioannem Dertonam ad obseruandum Oraiam misit: ipse cum vndecim armatorum millibus

Auximum Piceni metropolim oppugnare instituit.

Ita Romanis Ostrogothísque bellantibus, & alteris defessis, alteris fractis; Theodebertus Francorum Rex magnam se partem Italiæ facilè occupaturum credens,
IↃXXXIX Apione Consule, in Italiam transgreditur. Quánam Alpes transierit, & quantas copias habuerit, non constat. Procopius in libro II belli Gothici centum ei millia peditum, ense & clypeo ac securi armatorum, equites hastatos circum se perpaucos; Iordanes in libro de successione Regnorum, ac Freculfus plus ducenta millia fuisse scribunt. Cum eo exercitu Theodebertus, superatis Alpibus, in regionem Transpadanam peruenit, quæ prouincia dudum, nescio quam ob causam, Liguria appellari cœpta erat: veritúsque ne transitu Padi prohiberetur ab Ostrogothis, per Liguriam sine maleficio iter fecit: lætis aduentu Francorum Barbaris, & spe certæ facilísque ex Romanis victoriæ iam elatis. Infra Ticinum opidum, non longè à confluente Ticini & Padi, pons erat Pado flumini impositus: quem postquam tenuêre Franci, coniuges liberósque Ostrogothorum obuios interfecêre, & de ponte præcipitauêre: ac Barbaris, à quibus deducti, & commeatu adiuti fuerant; tantum eo facto terrorem incussêre, vt in opidum sese celeri fugâ receperint. Procopius, vir hostilis in Francos odij ac maleuolentiæ, hanc cædem, Saxonibus, Toringísve, aut Alamannis Theodebertum sequentibus magis quàm Francis conuenientem, inuidioso nomine sacrificium vocat: affirmátque Francos, licèt tum Christiani fuerint, nondum abolitâ veteri superstitione ac feritate, homines aliáque animalia immolauisse, & ita vaticinari consueuisse. quod Ennodius Ticinensis Episcopus, in libro de vita Antonij Monachi, Francos quidem fecisse, sed adhuc idololatras scribit. Theodebertus, traducto Padum exercitu, ad Oraiam Ostrogothorum Ducem, qui circa flumen cum lectissimis copiis consederat, contendit. Hunc Ostrogothi pacti memorem ad arma secum consocianda venire arbitrabantur. Francos itaque primò raros, & pacatis similes, castris suis appropinquantes læti spectabant: deinde vt confertos

fertos vndique circumfundi, & secures vibrare viderunt, re improuisâ perturbati, multis suorum amissis, terga vertere, & per medios Romanos perrumpendo, Rauennam versùs fugam capessiuêre. Romani, Martino & Ioanne ducibus, castra Ostrogothorum castris opposita habebant. fugientes igitur eos conspicati, à Belisario pulsos acie, & castris exutos fuisse; Belisariúmque in auxilium sibi venire crediderunt. cui dum captis celeriter armis occurrere, & adiungi properant, in Theodebertum inopinantes incidunt, & contra voluntatem suam manus conserere coguntur, fusíque fugâ Tusciam petunt. vbi tandem confirmatis animis Belisarium, qui tum Auximum agri Piceni opidum munitissimum oppugnabat, de omni re certiorem faciunt. Sic Franci, Ostrogothis ac Romanis deuictis, vtrorúmque castris vacuis sunt potiti, & quæ ibi inuenerant celeriter consumsêre. quare cùm, quacumque per prouinciam Æmiliam ibant, desertos vicos offenderent, & præter boues ac aquam Padi nihil reliqui esset, complures solutione alui & dysenteriâ oppressi, inopiâ ingrauescentibus morbis, intra paucos dies periêre. propterea quòd stomachus aquâ frigescens bubulam concoquere non poterat. Theodebertus, non minùs tertiâ parte militum ex valetudine amissâ; ceteros, quibus ad progrediendum vires deerant, quiete refouendos ratus, in eo loco vbi erat consistere statuit. At Belisarius, cognito Theodeberti aduentu, & Martini, ac Ioannis acie victorum fugâ compertâ, cùm omnibus suis copiis, tum maximè Fesulas obsidentibus timens, (hoc enim opidum subiectum est Apennino monti, qui Etruriam ab Æmilia discludit) ad Theodebertum epistolam scripsit, cuius summa erat. Nemini priuato ne humillimo quidem, qui modò nonnihil virtutis, & aliquam existimationis suæ rationem habeat, nedum tot gentium ac nationum Regi periurium, ac violationem fidei conuenire: eóque magis se mirari ipsum, qui societatem belli cum Romanis inierit, non solùm nulla eisdem auxilia misisse; sed etiam nunc apertè bellum inferre: grauíque iniuriâ, quam vlcisci facilè possit,

magnum Imperatorem afficere. Reminiſceretur ſcripti fœderis, datæque fidei; imponeret frenos cupiditati; ſcirétque præſtare, ſua quemque ſecurè poſſidere, quàm aliena ſibi vindicando periculum ob inopiam adire. Theodebertus, perlectâ epiſtolâ, fluctuare animo, & dubitare quid ageret. tandem à ſuis increpitus, quòd ſine cauſa tot hominum millia miſerrimè interitura in deſertam regionem adduxiſſet, celeriter domum rediit, itérque faciens per Alpes Cottias, prouinciam Italiæ Liguriam olim dictam, cùm alia opida & caſtella; tum Genuam portu nobilem, Romanis tum parentem diripuit, ac excidit. ſicuti ſcribit vetus Auctor, qui Marcellini Chronico pauca de rebus noſtris ſubtexuit. Quamquam is falsò indicat à Theodeberto progrediente, ac nihildum de reditu cogitante, poſt vaſtatam Li-
IↃXXXIX guriam, & totam Æmiliam, Apione Coſ. Genuam dirutam eſſe: eumdémque, vt militibus ſuis morbo laborantibus conſuleret, *cum Beliſario pactum eſſe*, & Galliam repetîſſe. Neque veriſimiliùs Iordanes in libro de ſucceſſione Regnorum, ac Freculfus tradunt, Beliſarium pæne vt de Oſtrogothis, ſic de Francis, qui cum Theodeberto Rege ampliùs ducenta millia in Italiam venerant, triumphauiſſe, ſed quòd duobus bellis occupari nolebat, rogantibus Francis pacem conceſſiſſe, eóſque ſine vllo ſuorum detrimento ex Italiæ finibus expuliſſe. Nàm Procopius ſuprà ſcribit Theodebertum, perlectis Beliſarij litteris, ſtatim quantâ maximâ potuit celeritate in Galliam rediiſſe, nec pacis vllius mentionem facit. neque videntur noſtri preſſi inopiâ moram legatorum euntium ac reuertentium ſine pernicie pati potuiſſe. Diſſentit quoque à Procopio Aimoinus, qui in libro II ſcribit Theodebertum *cum maximo equitatu* in Italiam contendiſſe, eámque ab Alpibus vſque ad mare peruagatum eſſe, *ac tributariam feciſſe*. Et Herimannus Contractus *Francos cum Theodeberto Rege à Beliſario deuictos* ait, cùm nulla inter Theodebertum & Beliſarium pugna fuerit. Procopium ſequuntur Marius, &
IↃXXXIX Gregorius. è quibus Marius, Apione Conſule, Theudebertum Regem Francorum Italiam ingreſſum, & Li-

guriam, Æmiliámque depopulatum dicit, eiúsque copias morbis ex mutatione cæli contractis valde extenuatas fuisse. Gregorius Theodebertum transgressum in Italiam ad Ticinum opidum venisse prodit, ibíque *multum adquisiuisse*, hoc est, multa loca præsidiis occupauisse: sed quòd hæc regio Septemtrionalibus gentibus non est salubris, multis suorum vi febrium amissis, ex ea reuertisse, ingentémque prædam domum retulisse. Vnde & apud Fredegarium dicitur Theodebertus maritima Italiæ, hoc est, Alpes Cottias prouinciam Italiæ, vastauisse, Narsémque Patricium (quod falsum est) fugauisse. Equidem non possum non mirari scriptorem rerum nostrarum, omnium post Gregorium vetustissimum, Adonémque & Reginonem, qui à Theodeberto maximam partem Italiæ vastatam, & Langobardis prœlio victis stipendium impositum aiunt. cùm Waco, Theodeberti ipsius socer tum regnum in Langobardis obtinuerit, & anno demum tricesimo post Apionis Consulatum, Alboino regnante, Langobardi Italiam occupauerint.

Eodem Apione Consule anno quinto belli Gothici, Belisarius, postquam Fesulas & Auximum ceperat, vltimam bello manum impositurus, omnibus copiis Rauennæ Vitigem obsedit. Quo cognito Childebertus, Chlotharius, & Theodebertus Francorum Reges legatos ad Vitigem mittunt, qui dicerent ipsos ægrè ferre, quòd à Romanis oppugnaretur, & Belisarij opprimendi causâ hominum fortissimorum millia quingenta in Italiam adducere paratos esse: dummodò eos Vitigis vt belli, sic Regni societate coniunctos habere, & Italiæ ex æquo secum imperitare vellet. caueret, ne occultis Romanorum dolis magis, quàm apertæ Francorum in se beneuolentiæ, confidendum putaret. Belisarium, quoniam duobus hostibus imparem se futurum videat, missis legatis id agere, vt Vitigem abalienatum à fidelissimis sociis, nudum ac destitutum faciliùs vincat: quo cum si Ostrogothi contra Francos arma consociauerint, non tam virium ipsos quàm cladis ei accessionem fore. Tum introducti Belisarij legati, qui eodem IↃXXXIX

tempore Rauennam ad dissuadendum fœdus venerant, dixêre: immensam illam multitudinem, cuius mentione perculsos Ostrogothos Franci sibi adiungere conentur, eo minùs Romanis terrori esse, quo certiùs sciant maiores his copias breui ab Imperatore cogi posse, spémque victoriæ non in numero, sed in virtute reponi oportere. Debere Vitigem perfidiæ Francorum, & accepti paullo antè circa Padum incommodi reminisci, & secundum fœdus nec priore sanctiùs seruatum iri, nec sibi vtilius futurum esse existimare: ne eisdem artibus circumuentus pereat, quibus Toringorum, ac Burgundionum Reges decepti fuerint. Hac oratione persuasum est Vitigi naturâ simplici, vt Francos re infectâ dimitteret, atque consilium à versuto hoste datum sequeretur. Et ille mox sine pugna, cùm maiorem Romanis haberet exercitum, infelix & vecors Belisario se dedidit, atque cum Matasuentha Regina, Optimatibúsque Ostrogothorum, à Belisario Constantinopolim abductus est, ex Rege Patricius futurus: eóque simul supellex regia, & pecunia deportata: Bessæ Patricio, ac Ioanni Magistro militum Italiæ cura mandata. At in Vitigis locum Ostrogothi apud Ticinum opidum Liguriæ Heldebadum, Præfectum præsidij Veronensis, Regem creauêre. Hæc Procopius anno V belli Gothici,
IↃXXXIX. hoc est Apione Cos. Auctor autem Appendicis Chronico Marcellini adiunctæ, & Marius in Chronico an-
IↃXL. no insequenti Iustino Cos. gesta esse dicunt.

Theodebertus Francorum Rex, oblitus sponsæ suæ Wisigardis, Deuteriam in matrimonium acceperat. quod cùm Optimates Senioréſque Francorum ferre non possent, in vnum coniuncti Regem adeunt, quærúntque ab eo, quid ita Wisigardim sponsam aspernetur. quâ re commotus Theodebertus cum Deuteria, ex qua Theodebaldum susceperat, diuortium fecit, & Wisigardim VII anno quàm eam sibi desponderat, hoc
IↃXL. est Iustino iuniore solo Cos. in matrimonium accepit. quâ non multo pòst mortuâ, aliam duxit vxorem. Supradicti diuortij aliam causam refert Aimoinus Monachus in Historiæ libro II, nimirum Deuteriæ parrici-

dium. Quippe Deuteria Regina, cùm filiam, ex priore viro conceptam, pulchram esse & maturam videret, verita ne vt ipsam Wisigardi, ita virginem sibi Theodebertus præferret, Veroduni boues indomitos iungi ad basternam iussit, puellámque in eam imponi, quæ de ponte in Mosam flumen præcipitata mersaque est. Quâ cognitâ re, Theodebertum Deuteriam repudiauisse ait Aimoinus, & Wisigardim sponsam suam matrimonio sibi iunxisse. Exstat epistola Vigilij Romani Episcopi ad Cæsarium Arelatensem Episcopum, data pridie Nonas Martias Fl. Ioanne V. C. Consule, in qua Vigilius scribit se Glorioso filio suo Regi Theodeberto respondisse, consulenti per Modericum virum Illustrem legatum suum, quid faciendum sit ei, qui cum vxore fratris matrimonium contraxit. Quas incestas nuptias cum coniuge fratris non ab alio quàm Theodeberto ipso Francorum Rege confectas esse falsò existimat Cæsar Baronius. siquidem constat Theodeberto fratrem nullum fuisse. & huiusmodi matrimonia à Primoribus Francorum tum contrahi solita docet epistola Mappinij Remorum Episcopi ad Nicetium Treuirorum Antistitem missa: ex qua discimus, regnante Theodebaldo Theodeberti filio, Nicetium aliquos Francorum propter incesta coniugia ab Ecclesiastica communione remouisse. Omitto Consulatum Ioannis, quo Consule supradicta Vigilij epistola data est, quintum fuisse annum, ex quo Theodebertus sibi Deuteriam adiunxerat, nec nisi post biennium eam esse dimissam.

IↃXXXVIII.

IↃXXXVIII.

Circa id tempus, quo Deuteriâ dimissâ Wisigardim Theodebertus in matrimonium recipit, in Gallia ciuile bellum exoritur, cuius leuem causam fuisse ex eo potest intelligi, quòd tam facilè compositum atque finitum est. Childebertus, naturâ alieni appetens, qui & Aruernos Theodorico, & Chlodomeris filiis paternam hereditatem spiritúmque eripuerat, Chlotharium similiter Regno & vitâ priuare constituit. Inuisum Childeberto fratrem fecerat felicitas, quem ipse nihil liberorum præter filias habens multitudine marium florere, ac quotidie crescere dolebat. Theodeberto igitur socio

nefariæ expeditionis aſſumto, bellum Chlothario infert, quem paullo antè ſocium belli aduerſus Theodebertum habuerat, iunctíſque ambo Reges viribus Regnum eius ingrediuntur. Quibus Chlotharius impar, atque etiam imparatus, interiora Regni celeriter petit, & in ſaltum Arelaunenſem, ripis Sequanæ proximum, ſeſe cum ſuis copiis abdit, concædibúſque omnes aditus præſepit, ſpe in vno Deo repoſitâ. Eò vt ſupradicti Reges venerunt, ſiluâ coronâ cinctâ Chlotharium circumſederunt. Gregorius ſcribit Chrothildim Reginam ad Martini ſepulcrum votis, ac peruigilio bellum ciuile deprecatam eſſe: & quo die Childebertus, ac Theodebertus in ſaltum irrumpere, & Chlotharium interficere ſtatuerant, manè coortâ tempeſtate, totam eorum aciem turbatam; tabernacula vento deiecta & rupta; equos fulguribus atque fragore conſternatos, ac fugâ ſparſos ſine rectoribus cucurriſſe: quorum multos amiſſos; reliquos intra XX à caſtris ſtadium ægrè reperiri potuiſſe: milites grandine imbri miſtâ verberatos, attonitos, proſtratos humi, vix ſcuta, quibus tegerentur, retinuiſſe. Chlotharianis interim & ſolem ſerenum fulſiſſe, & tonitrua cum ventis audita non eſſe. Tum Reges ambos ad pœnitentiam conuerſos nefario incepto deſtitiſſe, veniámque ſceleris à Deo, pacem à Chlothario per legatos petiiſſe, eáque factâ domum rediiſſe. Sic poſtea Sigibertum Chlotharij filium Chilperico; vtrumque Guntchramno; iterùm Chilpericum Guntchramno; Theodoricum Chlodouei abnepotem Theodeberto; Theodebertum Chlothario minori bellum feciſſe, & cùm iam fermè dimicaturæ eſſent acies, æquis conditionibus arma depoſuiſſe legimus. Quam ob cauſam Agathias, Theodeberti poſterioris æqualis, in libro primo rerum auſpiciis Iuſtiniani geſtarum, Francorum inſtituta laudans, qui omnes habitu tantùm & linguâ à Romanis differrent, miratur ſimul & affirmat (quaſi numquam aliter factum ſit) adeò Francos quieti publicæ ſtudere, vt cùm antea, tum ſuâ ætate inter tres ac etiam plures diuiſo imperio, ſemper bello ciuili abſtiterint. Si qua enim inter Reges controuerſia orta ſit, inſtrui quidem

vtrimque copias, & tamquam in aciem descendere, móxque mutuo conspectu, & colloquiis placari: Regésque iure controuersias terminare, aut, si malint, ferro decernere iuberi, ne propter priuatas contentiones & odia Respublica periculum adeat. tantum his æquitatis, illis modestiæ, vtrisque amoris patriæ inesse. Ceterùm saltum, in quem Chlotharius se abdidit, nomine suo appellat Auctor incertus, qui proximè à Gregorio res gestas Francorum scripsit, cùm ait Chlotharium *in siluam confugisse Arelaunum, & fecisse combros*, hoc est concædes. Idem Chlotharium, Chlotharij magni nepotem, in pago Senonico victum acie à Theodorico Rege Burgundiæ, per castrum Melodunum, atque Parisios *Arelaunum siluam* fuga petiisse dicit. vt appareat locum naturâ munitissimum fuisse, quo duo Reges perfugio sunt vsi. Hæc silua appellationem trahebat ex nomine proximæ villæ regiæ, quam Fredegarius Scholasticus in Chronico *Arelaunum villam* appellat, & apud quam Bertoaldum Maiorem domus Theodorici venatum esse prodit. Eam villam Auctor libri de vita Condedi Monachi *fiscum Arelaunum*, hoc est villam fiscalem vocat, & prope *saltum Arelaunensem* ponit, nec longè abesse ait à Belsinnaca insula fluminis Sequanæ, quæ insula (vt in vita Audoëni inuenio) ad cathedram Rotomagensem pertinebat. Quo magis ridiculus est Aimoinus, qui cùm supradictum veterem Historicum nostrum legisset, nec intellexisset, *Arelaunum siluam* in *Aurelianum pagum* mutauit, *combrósque* loci nomen esse credidit.

Indictione IV Basilius, vir Clarissimus, vltimus priuatorum Consul est factus: soli enim postea Imperatores cum imperio Consulatum inierunt, ne cuiusquam alius quàm Principis nomen, imperiíque eius & Consulatus anni actis adscriberentur. Eo Consule Heldebado Ostrogothorum Regi à Vila Gipede obtruncato Rugi, iam inde à Theoderico Ostrogothorum socij & commilitones, Eraricum popularem suum, potentissimum hominem substituêre, eíque purpuram iniecêre. quo post V menses interfecto, Ostrogothi Totilam Helde- ƆƆXLI.

badi fratris filium, qui Taruisio præerat, apud Ticinum Regem salutauêre, magni virum nominis, magnæque prudentiæ, & in exsequendo nauum ac exsomnem, quo maiores nemo aduersus Romanos cum pauculis res gessit. quotiescumque enim pugnauit, vicit, nec vmquam nisi absens victus est, cùm tamen Ostrogothi ex hominum millibus ducentis ad pauca millia redacti essent, aliis diuturno bello consumtis, aliis à Romanis in deditionem acceptis.

IↃXLI. Eodem anno Aurelianis Episcopi conuenêre, cùm ad alia Ecclesiæ Gallicanæ vtilia statuenda, tum ad Francorum idololatriæ reliquias abolendas. Concilio præfuit, statutísque primus subscripsit Leontius Episcopus Burdigalensis: interfuêre vitæ sanctitate clari Antistites, Gallus Aruernorum Episcopus, Agricola Cabillonensis Episcopus, Firminus Vceticus, Eleutherius Autisiodorensis. Eodem Escupilionem Presbyterum misit Lauto Constantiæ vrbis Episcopus, vir sanctissimus, quem alij Laudonem, alij Laudum appellant. Numquam Gallia piissimorum Sacerdotum fertilior fuit. quippe præter supradictos in Galliis circa ea tempora floruerunt Gregorius Lingonicus Episcopus, Tetricus cathedræ eius successor, Hilarius Gabalitanus, Nicetius Treuirorum Antistes, Albinus Andecauensis, Hesychius Viennensis, Leubenus, vel Leobinus Carnutensis, Agericus Verodunensis. è quibus Lautonem, Leubenum, & Agericum Francos fuisse indicant nomina.

IↃXLIII. Post Consulatum Basilij V. C. anno II Hispani primùm nostra arma sensêre. Childebertus Francorum Rex, otij impatientiâ, & hereditario in Vesigothos odio impulsus, petendi Hispaniam impetum cepit, atque cum Chlothario fratre suo, cui paullo antè bellum intulerat, societatem iniit. Ambo Reges iunctis exercitibus per Aquas Tarbellicas ad summum Pyrenæum peruenêre, montésque transgressi Hispaniam intrauêre, & Iturissensium ac Pompelonensium agris vastatis, Cæsaraugustam, vrbem opulentissimam, ad ripas Iberi fluminis positam obsêdere. Opidani, Francos diuinâ irâ in se immissos esse cùm intelligerent, de sententia Episco-

ſcopi ſui inſtituto ieiunio & ſupplicatione indictâ Deum placare conſtituunt; ciliciis velantur; tunicam Vincentij Martyris ferentes, pſallentéſque muros vrbis circumeunt. matresfamilias atratæ, crinibus ſparſis, & cinere fœdatis, pectora plangentes, tamquam coniuges ſuos efferrent, chorum virorum ſequebantur. His viſis Childebertus & Chlotharius primùm ſe ſuóſque diris & cantionibus impugnari putabant. deinde cognitâ re ex agreſti quodam, qui exceptus fuerat, timentes ne Deum paterentur aduerſum, ſi tam pios incolas oppugnare perſeuerarent, obſidionem ſoluerunt, & vaſtatâ maximâ parte Hiſpaniæ vſque ad Minium flumen Callæciæ, cum ingenti præda, quæ tum pro ſtipendio Francis erat, in Gallias reuerterunt. Nec plura Gregorius de ea Childeberti expeditionę ſcribit. Auctor rerum noſtrarum, tempore Gregorio proximus, & qui eum tranſſcribere ſolet, Aimoinus, & Regino adiiciunt, ambos Reges agreſtem ſupradictum in vrbē remiſiſſe, per eúmque ad ſe Epiſcopum euocauiſſe: qui ad Reges venerit, & munera vtrique, in primis Childeberto petenti ſtolam Vincentij Diaconi & Martyris dederit. ita Childebertum obſidionem ſoluiſſe, reuerſúmque Luteciam Pariſiorum, Eccleſiam Beati Vincentij nomine illuſtrem, in qua eam ſtolam poneret, exſtruxiſſe. Quod videtur confirmare Gregorius ipſe, cùm ait Baſilicam B. Vincentij à Childeberto ædificatam. Fredegarius in Epitome duas Childeberti expeditiones confundit, & ab eo Amalaricum Regem apud Barcinonem tum occiſum dicit, qui ante annos XII fuerat interfectus. Ab Hiſtoricis noſtris non diſſentit Hiſpanus Auctor Appendicis Chronico Victoris adiunctæ, qui tradit poſt Conſulatum Baſilij V. C. anno II *Francorum Reges* V, *per Pompelonem Hiſpanias ingreſſos, Cæſarauguſtam veniſſe, eáque obſeſsâ per tres dies, omnem ferè Tarraconenſem prouinciam depopulatos eſſe.* Siue Chlotharius Guntharium, Chramnum, & Charibertum filios ſecum in Hiſpaniam duxit: (Regum autem filij Reges appellabantur) ſiue potiùs, quod non raro aliàs accidit, nota numeri deprauata eſt, & paruâ mutatione ex IↃXLIII

Hhh

II Regibus V sunt facti. At ceteri Scriptores Hispani fusos fugatósque esse à Vesigothis nostros memoriæ tradunt. è quibus Isidorus in Chronico prodit Theudem Vesigothorum Regem *Francorum Reges quinque, Cæsaraugustam obsidentes, omnémque ferè Tarraconensem prouinciam depopulantes, misso Duce Theudisclo fortiter debellauisse, atque à Regno suo non pace sed armis abire coëgisse.* Sic autem Rodericus Toletanus Archiepiscopus, & Lucas Tudensis rem gestam aiunt, atque hoc modo fabulam fingunt: Francorum Regibus *cum infinitis copiis* Hispaniam ingressis, & Tarraconensem prouinciam vastantibus, Vesigothos duce Theudisclo *obices Hispaniæ*, hoc est angustos aditus, & artissimas montium fauces intercluisse, Francorúmque exercitum prostrauisse. sed eumdem Ducem, victum precibus atque ingenti acceptâ pecuniâ, reliquis hostibus vnius diei noctísque spatio viam fugæ dedisse, ceteram turbam, quæ intra id tempus ex angustiis euadere non potuerat, à Vesigothis interemtam, & sicut ait Iordanes, *Francorum insidiosam calumniam Hispaniis expulsam esse.* Quasi copiæ Francorum, præsertim vltimâ necessitate in virtutem versa, iter armis patefacturæ non fuerint, & per fauces quantumuis validis Vesigothorum præsidiis occupatas erupturæ. aut quasi Theudisclus sine proditionis infamia, capitísque sui periculo exitum Francis auro venditurus fuerit, & hostem, quem inclusum opprimere posset, emissurus.

Dum hæc in Hispania geruntur, in Italia Totila, qui & Baduila, Ostrogothorum Rex, verso Marte, secundis prœliis, & crebris oppugnationibus vrbium Romanos fatigabat. Quâ occasione vsum Theodebertum Regem Francorum, auerso Totilâ in Romanos, belli præmia intercepisse, & maximam partem Liguriæ, ac Venetiæ, & Alpes Cottias sine labore ac discrimine tributarias fecisse in libro III scribit Procopius, neque aut Romanos propter imbecillitatem virium id prohibere potuisse, aut Ostrogothos ausos esse, ne duobus bellis implicarentur. Ostrogothis verò nihil in Venetia, præter Brixiam, Veronam, & paucas alias vrbes, Romanis maritimam oram possidentibus, superfuisse: atque inter

Francos, & Ostrogothos conuenisse, vt quamdiu ipsi à Romanis bello premerentur, vtrique his, quæ haberent, quietè potirentur, nec alteri alteros armis lacesserent: & si Romani victi Italiæ finibus excessissent, suis vtrique prouinciis ad suum arbitrium imperarent. Neque tamen Procopius, quorum operâ in occupandis supradictis regionibus Theodebertus vsus est, Ducum mentionem facit. Hi fuêre, nî fallor, Buccelinus, natione Alamannus, à Theodeberto Alamanniæ præfectus, quem Græci Butilinum, & Buselinum vocant, Hamingus, & Lanthacarius. Sanè apud Paullum in libro II rerum Langobardicarum, & apud Aimoinum dicitur Theodebertus, ex Italia reuertens in Gallias, *Buccelinum Ductem cum Hamingo alio Duce* in Italia reliquisse, qui Buccelinus, omni pæne Italiâ populatâ, prædam ingentem ad Theodebertum deferendam curauerit. Verisimiliùs tamen, & Procopij narrationi conuenientiùs Gregorius, aliíque nonnulli Buccelinum in Italiam à Theodeberto missum, & eius ductu *minorem Italiam* (sic Gregorius Liguriam, ac Venetiam appellat) captam fuisse tradunt. Sed cùm iidem, tum Fredegarius, & Sigibertus magnâ securitate ex duabus Buccelini expeditionibus vnam faciunt, & ad veritatem multa addunt: Buccelinum nimirum totam Italiam, ac Siciliam armis occupauisse: magnáque earum prouinciarum partim spolia, partim tributa Theodeberto misisse: ac sæpe Belisarium, quem ob id Imperator Iustinianus regredi Constantinopolim iusserit, sæpe Narsem, variarum Gentium auxiliis mercede conductis fretum, acie vicisse. itavt res à Totila Rege Ostrogothorum gestas Buccelino attribuisse videantur: quem Regem Iordanes & Procopius auctores sunt Ioannem Magistrum militum, Bessam Patricium, Verum, multósque alios prœliis superauisse; & postquam Iustinianus belli Persici metu, ac maximè Antoninæ precibus motus Belisarium iterum reuocauisset, totam Italiam suo imperio subiecisse; in Siciliam transiisse, opes insulæ secundo anno, quàm eò venerat, exportauisse; & Sardiniam, ac Corsicam recepisse. donec Narses, adductis in Italiam Langobardo-

rum, & Erulorum auxiliis, magnáque Romanorum copiâ, Totilam numero imparem fudit, & interfecit. Cęterùm cùm Alamanniam, & Sueuiam, Liguriámque ac Venetiam Theodebertus tenuerit, non dubito, quin Rætos etiam, ac Vindelicos, inter supradictas prouincias sitos, vectigales habuerit. siuę Vitigis Alamannos dimittens Rætiis simul Theodeberto cessit: (Rætia enim cognomine prima, & Rætia II, seu Vindelicia, attributæ tum Italiæ, Theoderico Ostrogothorum Regi paruerant) siue potiùs Buccelinus ex Alamannia profectus, omnibus eius tractus nationibus subactis, quas Ostrogothi bello Romano fracti tueri non poterãt, Francis per Alpes Ræticas iter in Italiam patefecit. Quam ob causam Procopius in libro II belli Gothici Mediolanum, Liguriæ metropolim, quæ vrbs Rætiæ proxima est, *Imperij Romani propugnaculum, Germanis* (hoc est Francis) *aliisque Barbaris*, nimirum Rætis, Alamannis, Burgundionibus, stipendiariis Francorum, *oppositum* appellat. & Agathias in libro I ait Theodebertum Alamannos, & *finitimas gentes*, scilicet Rætos & Vindelicos, sub imperium suum redegisse.

IƆXLVIII. Post Consulatum Basilij V.C. anno VII Flauius Iustinianus Aug. Langobardis, Audoino tum Regi parentibus, Noricum opidum, & complura vicina castella ac loca Pannoniæ, multum præterea agri, ab Erulis antea beneficio Imperatoris Anastasij possessi condonauit, vt ait Procopius. Est autem Noricum opidum Pannoniæ, veteri cuidam Auctori Expositionis totius orbis notum, affirmanti Pannoniam *ciuitates maximas, Sirmium, & Noricum habere*. Quod notaui, ne quis eo nomine aliquam agri Norici vrbem à Procopio significari existimaret. Siquidem Baioarij, quos Iordanes Baiobaros appellat, qui (vt ait Paullus Langobardus) *Noricorum prouinciam habitabant*, sub imperio Francorum paullo post mortem Chlodouei esse cœperunt. Certè Theodoricum eius filium, cùm in vrbe Catalaunis esset, Maioribus natu, viris sapientibus, & legum peritis antiquarum, adhibitis, Leges Francorum, Alamannorum, & Baioariorum, adhuc in vsu tantùm

ac more positas, litteris mandari, ac corrigi iussisse præfatio. Legum earum docet, quas postea Childebertus Sigiberti filius retractauit; Chlotharius minor absoluit; Dagobertus auctas & emendatas (quales habemus) promulgauit. Paullus quoque in Rerum Langobardicarum libro IV memoriæ tradit Tassilonem à Childeberto posteriore, Francorum Rege, Chlotharij maioris nepote, apud Baioarios *Regem*, hoc est Ducem constitutum esse. Denique apud Fredegarium dicitur Dagobertus Bulgares, ab Abaribus ex Pannonia expulsos ad IX millia, & agrum petentes, in Baioaria hiemare, deinde eadem nocte omnes cum coniugibus & liberis interimi iussisse. Et quoniam cœpit Baioariorum mentio, notare conuenit Garibaldum & Tassilonem pro Ducibus *Baioariorum Reges* à Paullo Langobardo, & ab Aimoino, ac Sigiberto vocari: è quibus Tassilonem idem Paullus *Ducem Baioariorum*, vt & Theudebertum, melius appellat. Baioariis autem Ducem præfuisse, à Rege Francorum constitutum, docent Baioariorum Leges, ita vt is eligeretur à populo, Rex auctor fieret: nec quemquam in Ducatum recipi consueuisse, nisi Ducali *Agilolfingorum* familiâ genitum, hoc est, ab Agilolfo quodam, veteri Baioariorum Duce, vel Rege, deducentem genus. A Regibus enim Francorum Baioariis fuisse concessum, vt quem ex Agilolfingis fidelem sibi ac prudentem intelligerent, ipsis Ducem præponerent. Agilolfingos, propterea quòd *summi Principes erant inter Baioarios*, læsos quadruplam satisfactionem recepisse, Ducem verò tertiam insuper partem. Eam gentem Aiglolfingam à Fredegario in Chronico dictam inuenio, cùm ait *quemdam è Proceribus, gentis nobilis Aiglolfingæ*, nomine Chrodoaldum à Dagoberto Austrasiorum Rege ob superbiam & rapacitatem interemtum esse. In supradictis Legibus reperitur, si quis Ducem occidere voluisset, aut hostes in prouinciam, opidúmve aliquod prouinciæ inuitauisset, ei conuicto vitam & fortunas eripiendi Ducem habuisse potestatem. milites intra prouinciam à disciplina desciscentes, ac rixas cientes, pecuniâ vel morte à

Duce esse multatos. Episcopum, quem Rex constituisset, apud Regem, vel apud Ducem reum postulari consueuisse. Si Duci, qui nec surdus, nec cæcus esset, quique adhuc exercitum ducere, inter suos ius dicere, & à Rege imperata facere posset, filius per superbiam & stultitiam *Regnum*, hoc est Ducatum adimere voluisset, paternâ hereditate eum exclusum fuisse, nihil aliud habiturum, quàm quod motus misericordiâ Rex, aut pater ei dedisset, ambósque eumdem in exsilium mittendi potestatem habuisse, itavt si patri superstes vixisset, à fratribus suâ parte priuaretur. sin fratres non haberet, aut ipsi, aut cuilibet alij Ducatum conferre Regi liceret. Si quis dicto audiens non fuisset Duci, euocatúsque ad eum non venisset, vel signum eius, anulum, aut sigillum contemsisset, XV solidis multari solere, & imperata facere cogi. In eisdem legibus vt Regis; sic & *Ducis Vassorum*, nimirum Baioariorum fit mentio, & *Comitis* (vti in Alamannia fiebat) sub Duce per prouinciam iura reddentis. Dux, qui hominem liberum, nullius capitalis criminis reum, in seruitutem asseruisset, XL solidos fisco inferre, totidémque homini dare, ac præterea libertatem bonáque restituere iubetur. idem si audax, contumax, leuis, proteruus, superbus, ac rebellis fuerit, decretúmque Regis contemserit, Ducatu à Rege accepto tamquam indignus priuatur.

Ceterùm vt ad Langobardos reuertar, cùm ab an-
IϽXLVIII no XIV belli Gothici, post Consulatum Basilij VII, quo eos anno in Pannoniæ finibus à Iustiniano collocatos ait Procopius, ad annum III Consulatus Iustini iunioris Aug. quo tempore Italiam occupauêre, anni sint non ampliùs XXII: facilè iudicari potest falsò Paullum ac Sigibertum scribere Langobardos in Pannonia annis XLII sedes habuisse, in eáque Audoinum Langobardorum Regem annos XVII, Alboinum XXV regnauisse.

IϽXLVIII Eodem anno post Consulatum Basilij VII. Theudis Vesigothorum Rex à quodam ex industria insaniam simulante in Palatio confoditur, annum regni agens septimum decimum. Ei successit Theudisclus Dux, à Gre-

gorio Theodigiſilus dictus, is à quo Childebertum Francorum Regem victum, & ex Hiſpania expulſum aiunt: regnauitque annum vnum, menſes ſex. Hic ob adulteria ac cædes inuiſus, inter cenam cereis derepente exſtinctis, à coniuratis interimitur.

Circa id tempus Totilam Oſtrogothorum Regem legatos ad Francorum Regem miſiſſe ait Procopius, filiámque eius ſibi in matrimonium petiiſſe. ſed legatos re infectâ eſſe dimiſſos, aſpernante conditionem Rege Francorum, ac negante Totilam Italiæ Regno potiri, aut vmquam potiturum eſſe, qui vrbem Romam paullo poſtquam ceperat amiſiſſet, & quæſita retinere non poſſet. Quam ob cauſam Totila cùm Vrbem iterum, prodentibus Iſauris, poſt Conſulatum Baſilij anno VIII occupauiſſet, ne (quod antea Beliſarius fecerat) ſemirutam ac deſolatam reſtituerent hoſtes, frequentaréntque ac munirent, eam ab Romanis ſimul & Oſtrogothis coli habitaríque iuſſit. Et ita quidem Procopius in libro III belli Gothici ſcribit, omiſſo Regis eius Francorum nomine, vt de quo loquatur incertum ſit. Quippe & Childebertus Chrotbergam & Chrodeſindam filias habebat, & Chlotharius Chlodoſuindam, & Theodebertus Bertoaram. quæ cùm nubilis tum eſſe potuerit, & cùm Theodebertus non modò regiones Italiæ finitimas, ſed etiam prouincias ipſas Italiæ, Venetiam, Liguriam, ac Alpes Cottias obtineret, inclinat animus, vt de Theodeberto ac Bertoara eius filia loqui Procopium credam. Cuius Bertoaræ, & Baptiſterij apud Mogontiacum ex eius voto à Sidonio Epiſcopo exſtructi mentionem facit Fortunatus Presbyter his verſibus, IↃXLIX.

Hanc tamen Antiſtes Sidonius extulit arcem,
Qui Domini cultum, templa nouando, fouet.
Struxit Berthoaræ voto complente Sacerdos,
Quæ decus Eccleſiæ cordis amore placet.
Catholicæ Fidei ſplendor, pietate coruſcans,
Templorum cultrix, prodiga pauperibus.
Filia digna patris: te, Theodeberte, reformans;
Rexiſti patriam qui pietate patris;

Totila igitur Ostrogothorum Rex, vir maximus, & qualis à Procopio describitur, filiæ Regis Francorum (quisquis fuit) nuptias nequaquam obtinuit, propterea quòd Rex Italiæ non erat, Romanis ex ea nondum prorsus expulsis. Equidem hoc Francorum Regis factũ sæpe miratus, animaduerti moris fuisse Merouei posteris, filias & sorores suas solis Regibus collocare. non quòd priuatorum affinitatem fastidirent: sæpe enim ipsi formæ magis, quàm generis habito delectu, puellas ignobiles, nec ingenuas matrimonio sibi iunxêre: sed quòd mulierum potentiam ex virorum suorum dignitate pendere, & quantum maiestatis priuatæ nubendo Regibus quærerent, tantum regiæ stirpis virgines imparibus iunctas amittere existimarent. Sic Theoderico, postquam occiso Odoacre Italiæ imperio potitus purpuram sumsit, Audefleda; sic Chrothildis Amalarico Hispaniæ Regi collocata est. sic Theodeberti soror Hermegisclo, & Radigeri Varnorum Regibus; Chlodosuinda Alboino Langobardorum Regi; Berta Chariberti & Ingobergæ filia Ethelberto Anglorum Cantiorúmque Regi nupserunt. Sic Ingundis Sigiberti filia Hermenegildo nuptum data; Rigundis Chilperici Reccaredo desponsa est: quos ambos (vt Ioannes in Chronico scribit) Leouigildus eorum pater Regni consortes fecerat; Hermenegildum parte etiam prouinciæ donauerat. Sic Chlodosuindam sororem suam, Flauij Autharij Langobardorum Regis pactam, eidem Reccaredo Regi, quoniam à sectâ Arianâ suo exemplo Vesigothos abduxerat, Childebertus iunior promisit. & Theodebertus minor Adaloaldo admodum puero, quem viuo ac volente patre Agilulfo, præsentibus ipsius legatis, Mediolani in Circo Langobardi Regem appellauerant; filiam despondit. Denique nullam Merouei stirpe ortam reperiemus, quæ è Regibus enupserit. Nisi fortè Scaribergam, vel Caribergam quamdam, sororis Chlodouei filiam, ab Arnulfo, Comite vrbis Remorum, ac postea Episcopo ductam; aut Blithildem, Ansberti, nobilissimi viri, Pippini Regis tritaui vxorem, regiâ familiâ genitam fuisse credimus. quam mulierem, ve-

teribus nostris Historicis ignotam, nonnulli, vt Caroli Magni posteros Merouco generis auctore gloriantes adularentur, Chlotharij maioris; alij Chlotharij posterioris liberis inseruerunt. Arnulfum quidem Auctor libri de eius vita Episcopum & Confessorem appellat, sed cuius vrbis Episcopus fuerit non dicit. Sigebertus Martyrem eum vocat, & viuo ac regnante Chlodoueo in Aquilina silua pagi Parisiaci interfectum ait. Nec opinionem contrà sentientium Paullus Langobardus quidquam adiuuerit, apud quem in libro de Episcopis Mettensis Ecclesiæ, sextus & vicesimus Mettensium Episcopus Agiulfus *fertur* patre familiæ Senatoriæ, & matre *Chlodouei Francorum Regis filia ortus*. Qui enim ita loquitur, satis indicat incerta se, & ex Auctore obscuro excerpta, quæ ipse pro comperris non habeat, referre. Et Ionas Scotus Abbas, cùm in libro de vita Columbani prodit Chrodoaldum quemdam *amitam Theodeberti* minoris Regis *in matrimonio habuisse*, imitatus scriptores eorum temporum amitam Theodeberti appellauit, quæ eius matertera erat.

Et Totila quidem frustra in matrimonium petitâ Francorum Regis filiâ, quoniam aliter facere non poterat, tacitus repulsam concoxit. at non eodem animo Theodebertus Imperatoris Iustiniani vanitatem tulit. Cùm enim audiisset Flauium Iustinianum *Alamannicū, Francicum, Germanicum*, tamquam eas gentes deuicisset, appellari; (quos titulos Iustinus postea, Tiberiúsque, ac Mauricius vsurpauêre) frendens expeditionis Italicæ infelicem euentum sibi exprobrari, iniuriam vlcisci summis viribus statuit: & Narse, qui iam tum in Italiam cum magnis copiis venturus dicebatur, in Totilam auerso; per Pannonias, & Mœsiam Thraciam petendi, eâque subactâ, Constantinopolim, caput Imperij, oppugnandi impetum concepit. Iámque dimissis legationibus Audoinum, & Thurisindum, Langobardorum, & Gipedum in Pannonia considentium Reges, aliósque, quorum per fines iter faciundum erat, simili à Iustiniano ignominiâ affectos, ad belli societatem inuitauerat: exercitúmque, quantus huic operi par esset, cogebat. ita vt res Romana vnà cum Iustiniano

maximum periculum aditura fuiſſe videatur, ni Theodeberti conſilia, conatúſque omnes mors immatura deſtruxiſſet. Quippe cùm more Regum Franciæ venaretur, & bubalum eximiæ magnitudinis, in ſe ruentem, haſtâ excipere pararet, ab arbore feræ impulſu proſtrata abruptus ramus ita eum in capite vulnerauit, vt ſupinus ex equo laberetur, relatúſque in Regiam intra paucas horas exſpiraret. Sic Theodebertum mortuum eſſe prodit Agathias in Hiſtoriæ libro I, quem ob expeditionis ſupradictæ initum conſilium audacem, turbulentum, periculorum amantem, ferocem, ac ſuperbum fuiſſe ait, & in temeritate ac dementia fortitudinem poſitam exiſtimauiſſe. Nec eſt, quòd quis miretur bubalorum, vel boum ferorum in Gallia fieri mentionem. Nam Fortunatus Presbyter, in libri VII carmine IV ad Gogonem, in Arduenna ſilua, ſaltúque Voſago, quæ ambæ ſiluæ Regis Theodeberti, & Mettis eius Regiæ proximæ erant, non modò elices, hoc eſt alces, vros, vrſos, onagros, ſed etiam bubalos, quos bufalos vocat, naſci affirmat. & Guntchramnum Regem, dum ſe venatione exercet, in Voſago ſilua veſtigia occiſi bubali agnouiſſe auctor eſt Gregorius in Hiſtoriæ libro X. Ionas quoque in libro de vita Columbani Abbatis prodit in eremo Voſago circa caſtrum Luxouium vrſos, & bubalos frequentes videri. vt omittam Baioariam, prouinciam quidem Transrenanam, ſed Theodeberto ſubiectam, cuius in ſaltibus Carolum Magnum bubalos venatum in Annalibus Mettenſibus inuenio. Procopius, ac veteres rerum noſtrarum ſcriptores minimè cum Agathia de Theodeberti morte conſentiunt. è quibus Procopius Theodebertum *morbo* interiiſſe, non multo antè XVII belli Gothici annum, nimirum triennio ante tradit. Gregorius quoque longâ valetudine, omnem Medicorum curam artémque vincente, oppreſſum eum defeciſſe ait. Fredegarius autem, Aimoinus, aliíque vehementi febre implicitum deceſſiſſe dicunt, graues morbos plerumque nullo diſcrimine febres appellare ſoliti.

IↃXLVIII. Obiit Theodebertus quartodecimo regni anno, poſt Chlodouei aui ſui mortem XXXVII, poſt Conſulatum

Basilij septimo, vt refert Marius in Chronico, qui & *Regem magnum Francorum* meritò eum appellat, cùm ob regias viri virtutes; tum (sicuti Aurelianus Episcopus loquitur) quòd esset *vnicus sceptris, multiplex populis; solidus Regno, diffusus imperio, ac maximus dominio:* hoc est, quòd Regnum maximum, ac nihilo seciùs partibus inter se connexis bene cohærens obtineret. Quippe sub ditione Theodeberti fuerunt Alpium Cottiarum, Liguriæ, ac Venetiæ pleraque; Rætia, Vindelicia; Alamanni vnà cum finitimis Sueuis, quorum ipsi nomine apud Ausonium, & Claudianum sæpe appellantur; Baioaria; Toringia; pars Saxonum; & Francia vetus; præterea prouinciæ Galliæ, Belgica I. Remi, Catalauni, aliæque Belgicæ secundæ vrbes; ciuitas Senonum; superior, inferiórque Germania; pars Aquitaniæ primæ, ac Prouinciæ; atque Andecaui. Vt non falsò Iordanes, æqualis eius Principis, in libro de Origine Gothorum scripserit Francos ætate sua *Germanorum terras obtinuisse.*

Herimannus Contractus in Chronico vt Chlodoueũ *Magnum;* sic Theodebertum, eius nepotem, *Regem fortem* cognominat. Quod cognomen Theodeberto conuenire fatebitur, qui animaduerterit Danos ab eo nauali prœlio superatos, Regémque interfectum; susceptam vnà cum patre aduersus Toringos expeditionem; res in Septimania atq; Prouincia viuo Theodorico gestas; in Italia, quam primus Francorũ Regum ingressus est, obuias Ostrogothorum ac Romanorum copias fusas; bellum denique Iustiniano Aug. ac Constantinopolitanis denuntiatum. Theodeberti animi maturitatem non iniucundam, misericordiam, temperantiam, liberalitatem, consilium ac prudentiam in dubiis rebus, constantiam in aduersis, pietatem, ac beneficentiam absentibus ac nihil petentibus magna tribuentis laudat Aurelianus Arelatensium Episcopus in epistola ad eum scripta, & Fortunatus Presbyter in libri II Carmine XII his versibus,

Filia digna patris, te, Theodeberte, reformans,
Rexisti patriam qui pietate patris:
Et comitante Fide retulisti ex hoste triumphos;

Sed capti pretio mox rediêre tuo.
Ecclesiæ fultor, laus Regni, pastor egentum,
Cura Sacerdotum, promtus ad omne bonum:
Cuius dulce iugum nullus gemuisse fatetur:
Viuis adhuc meritis Rex in amore tuis.

Vbi notandum est, quod ait Fortunatus, Theodebertum adeò in omnes, qui opis indigere videbantur, beneficum fuisse, vt hostes etiam suos bello captos à dominis pecuniâ suâ redimeret, domósque dimitteret. Quàm pius, religiosus, & in ditandis exornandísque Ecclesiis munificus idem fuerit, docet Faustus in libro de vita Mauri Abbatis, cùm scribit Theodebertum venisse in Monasterium Glannafolium, & *regali indutum purpurâ* humi se prostrauisse, aduolutúmque pedibus Mauri, ac plenum lacrimarum petiisse, vt pro ipso Deum precaretur, séque ac filium suum Theodebaldum sancto viro & Monachis commendauisse, ac singulos osculatum esse; atque villam regiam nomine Boscum cum pallio pretioso, cruce aureâ, & lampadibus, Monasterio dedisse. Addit Faustus Abbonis sapientissimi hominis consiliis vsum Theodebertum, & Florum, virum nobilissimum, piissimúmque, Regi carissimum fuisse. Ex quo etiam cognoscitur vt Ostrogothorum in Italia, & paullo ante Vandalorum in Africa Reges, sic tum Francorum Reges in Galliis veste purpureâ fuisse conspicuos, qualem postea Leouigildus in Hispania Vesigothorum Regum primus sumsisse dicitur. Quâ de re eo minùs dubitandum puto, quòd Faustus supradicti Monasterij Monachus non audita, sed visa refert, & à Theodeberto se inter ceteros osculo salutatum ait. Omittere non possum, quod in Historiæ libro III prodit Gregorius, Theodebertum omnibus virtutibus præcipuum fuisse, iuris & æqui amantem; bonum & clementem; Sacerdotum cultorem; Ecclesiis magna tribuisse; multa multis beneficia contulisse; & omne tributum, quod Ecclesiæ in Aruernis positæ fisco inferre consueuerant, remisisse; ac Desiderato Verodunensi Episcopo querenti de Verodunensium paupertate, ac pecuniam mutuam flagitanti VIII millia aureo-

rum misisse, opidanis dispertienda, (quæ summa pro captu illorum temporum mediocris non erat) nec pecuniam postea repoposcisse, eâque largitione Verodunenses non subleuauisse modò, sed etiam ditauisse. negotiando enim rem omnes fecisse, itavt ætate Gregorij diuites haberentur. In relatione huiusce largitionis fine causa à Gregorio dissentit Aimoinus, cùm ait Theodebertum *Regem Austrasiorum*, vel superiorum Francorum, quem rectè moratum, & affabilem fuisse scribit, orante Desiderato Episcopo Verodunensibus VIII millia solidorum aureorum, quotannis in fiscum inferri ab eis solita, benignè remisisse. Quippe nequaquam verisimile est vnius vrbis incolas eósque pauperes tantum pecuniæ in annos singulos tum Theodeberto pependisse. Hic est Desideratus Verodunensis Episcopus, qui Concilio consensu Theodeberti Regis in vrbe Aruernis habito, & anno XXXVIII regni D. Childeberti R. Synodo Aurelianensi V interfuit. Vt appareat eum Theodeberto Regi superstitem vixisse. quamuis Gregorius dicat Theodeberto regnante Agericum à ciuibus suis in locum Desiderati Episcopi defuncti substitutum esse, & ab Syagrio Desiderati filio *post Theodorici* Regis *mortem* Siriualdum in villa sua Floriaco interfectum, propterea quòd Desideratum ad Theodoricum Regem accusando fecerat, vt Sacerdos insons non solùm fortunis spoliaretur, sed etiam suppliciis afficeretur. Ceterùm optandum esset Gregorium sibi ipsi constare, qui velut oblitus tantopere laudati à se in Historia Theodeberti Regis, eumdem *adulterum*, ob abductam à viro Deuteriam, & *superbum* appellat in libro de vita Nicetij, & cùm ipsum sæpe ab æquitate discessisse, tum improborum scelera impunitate ac dissimulatione aluisse prodit, ob idque non rarò admonitum & castigatum esse à Nicetio Treuirorum Episcopo, magnæ sanctitatis viro, ac tandem mitiorem melioremque factum. cui Principi, præter matrimonium cum Deuteria contractum, bellúmque impulsu Childeberti Chlothario patruo suo illatum, nihil video quod obiici iure possit.

Admonet Theodeberti nomen de tribus epistolis,

quæ à Theodeberto Rege ad Imperatorem Iustinianum missæ feruntur, aliquid dicere. In vna earum Theodebertus Imperatori rescribit venisse ad se Ioannem, ac Misarium eius legatos cum muneribus, & litteris, quibus aditam paterni Regni hereditatem sibi gratulatur, patrísque sui memoriæ perfidiæ ac sacrilegij notas inurit. & perfunctoriè actis gratiis affirmat, patrem suum, variarum gentium domitorem, & innumerabilibus victoriis gloriosum, Imperatoribus, Regibus, ac cunctis nationibus fidem sanctissimam præstitisse; neque vllas vsquam Ecclesias diruisse; sed contrà multas ab idolorum cultoribus euersas restituisse. In alia epistola Theodebertus Imperatori petenti, vt tria millia armatorum Bergantino Patricio auxilio mittat, exspectare se mandatis suis responsa rescribit. Idémque in tertia Epistola eumdem, quæ gentes ac prouinciæ ditioni suæ subiectæ essent, quærentem docet, Regnum suum à Danubio flumine, ac finibus Pannoniæ ad Septemtrionalem Oceanum pertinere: hortatúrque, vt antiquum superiorum Principum cum Francis fœdus seruet. Quæ omnia optimè in Theodebertum minorem; in maiorem nullo modo conueniunt. quamuis & ille (vti Procopius & Gregorius docent) sæpe ob Italiam legatos ad Iustinianum, in primis Secundinum quemdam & Mummolum miserit. Neque enim Flauius Iustinianus de Theodorico, Theodeberti patre, quicum nihil ipsi vmquam rei fuit, quíque nulla extra Germaniam ac Galliam bella gessit, queri meritò potuit: neque in Theodebertum ipsum, propter occupatam contra fœdus Italiæ partem, non inuehi potuit. qua de re verbum fieri in hisce litteris haud animaduerto. Præterea amicitia, à prioribus Imperatoribus cum Francis iuncta, quam Mauricius Aug. in epistola ad Childebertum *priscam* appellat, à Theodeberto priore *antiqua* dici non debuit, cùm eam Anastasius primus Imperatorum Orientis ante annos minùs XL missis ad Chlodoueum Francorum Regem legatis appetiuerit. Vt omittam Bergantini huius Patricij in Italia bellum gerentis nullam à Procopio & ab Agathia, qui res gestas Iustiniani scri-

pſere, fieri mentionem. Tres itaque ſupradictas epiſtolas malè inſcriptas eſſe credo, nec à Theodeberto maiore ad Iuſtinianum Aug. ſed à Theodeberto poſteriore ad Imperatorem Fl. Mauricium Tiberium miſſas, qui Childebertum, eius patrem, Langobardorum, Varnorum, Baioariorum, aliarúmque multarum gentium victorem, violatæ fidei, & euerſarum Eccleſiarum mortuum arguebat: propterea quòd, ob bellum Langobardis inferendum L millibus aureorum acceptis, eiſdem pacem vendiderat. Vnde Romanus Patricius, qui Mauricij principatu Italiam adminiſtrauit, Childeberto ſcribens orat, ne Romanos (hoc eſt Italos) à Francis diripi, aut captiuos abduci; neve, ſicut antea factum erat, vlla ædificia incendi patiatur. Nec dubito, quin Andreas, de quo legato in ſecunda epiſtola fit mentió, is ſit, quem *Andream virum Magnificum* Romanus appellat, indicátque Mauricij Aug. mandata ad Childebertum Regem detuliſſe. Sanè Theodoricus quoque, Theodeberti minoris frater, apud Theophylactum dicitur per Boſonem & Bettonem legatos venalem Mauricio belli aduerſus Abares gerendi ſocietatem obtuliſſe. Quamquam Theophylactum falli, & quæ Langobardis conueniunt, de Hunnis Abaribus dicere exiſtimo. quòd Langobardi à finibus Regni Theodorici ſolis Alpium iugis diſcludebantur; eíque Abares petenti per Theodeberti prouincias iter faciendum erat. & Paullus, Aimoinus, ac Sigebertus ſcribunt, cùm Hunni Abares ex Pannonia in Toringiam poſt Childeberti mortem erupiſſent, ibíque grauiſſimum bellum Francis inferrent, Brunichildim Theodeberti ac Theodorici auiam, quæ nepotes puerulos, Galliáſque ac Germanias regebat; Sigiberti quondam viri ſui exemplum imitatam, datâ pecuniâ pacem redemiſſe.

Mortem Theodeberti Regis mors Parthenij confeſtim ſecuta eſt. Fuerat Parthenius Theodeberti Conſiliarius, vir inhumanus & ferus, qui Papianillam vxorem, & Auxanium amicum ſuum adulterij ſuſpectos inſontéſque interfecerat. Hunc Franci Auſtraſij magnò odio habebant, propterea quòd eius impulſu grauia ſi-

bià Rege tributa imposita esse meminerant. Quem igitur viuo Theodeberto violare ausi non erant, eodem mortuo destitutum persequi cœperunt. Ille posteaquam se in periculo mortis esse vidit, ex vrbe Mettis profugit, & à duobus Episcopis suppliciter petiit, vt ipsum Augustam Treuirorum secum ducerent, populíque sæuientis iras sua oratione lenirent. Ingressi Treuiros Episcopi, cùm seditionem comprimere, ac furentium animos mitigare non possent, Parthenium arcâ claudunt vestimentis Ecclesiasticis opertum, arcámque in Ecclesia deponunt. cuius omnes angulos scrutati mox Franci, diu multúmque quæsito, nec vsquam reperto Parthenio, arcam reserari iubent, negantibúsque custodibus quidquam ibi præter ornamenta Clericis conuenientia clausum contineri, ni celeriter aperiatur, denuntiant se eam effracturos. Tum verò reseratâ arcâ, remotisque linteis, plaudentes Parthenium producunt, hominem pugnis cædunt, & conspuunt, ac demum ad columnam alligatis post tergum manibus obruunt saxis.

IↃXLVIII Theodebaldus, Theodeberti Regis ex Deuteria filius, patri defuncto successit: quem tum puerum admodum, & sub nutricio fuisse Procopius in libro IV belli Gothici & Agathias scribunt; Aimoinus contrà iam virum. Habere tum Theodebaldus potuit annos XIII: si Gregorio credimus, qui Theodebertum initio regni Deuteriam in matrimonium duxisse, & quartodecimo imperij anno decessisse tradit.

IↃXLVIII. Quo anno Theodebertus obiit, trans Alpes clades nostris illata est. quippe Lanthacarium Ducem Francorum, quem Theodebertus in Italiam miserat, post Con-
IↃXLVIII. sulatum Basilij anno VII cum Romanis pugnauisse, fusúmque ac cæsum esse prodit Marius in Chronico.

Theodeberto, Theodorici priuigni sui filio, nòn diu superstes vixit Chrothildis Regina: siquidem paullo post eius mortem Cæsaroduni Turonum annis LXX maior III Nonas Iunias decessit, & Luteciam Parisiorum delata, magnâ psallentium frequentiâ, atque in sacrario Basilicæ S. Petri, quam exstruxerat, à filiis suis Chil-

Childeberto & Chlothario Francorum Regibus iuxta Chlodoueum ſepulta eſt. femina omnibus virtutibus prædita; pia; liberalis; benefica; pudica; de Chriſtiana religione & de Francis optimè merita, quorum omnium in Chlodoueo Rege viro ſuo idololatriam expugnauit.

Per idem tempus Chlotharius Francorum Rex edixit, vt Regni ſui Eccleſiæ tertiam partem redituum fiſco inferrent. Quod cùm omnes Epiſcopi, Auguſtam Sueſſionum contracti, conſenſu & ſubſcriptione ſua non ſponte comprobauiſſent, interceſſit Iniurioſus Turonicus Epiſcopus, negauítque ſe ſubſcripturum, ac tantam Eccleſiæ iniuriam fieri paſſurum: adiiciens, ſi Rex Eccleſiis res adimere ſuas velle perſeueraret, Deum ei Regnum vitámque breui erepturum. neque enim æquum eſſe ditari eum patrimoniis egentium, quos ipſe de ſuo alere debeat. His dictis iratus Iniurioſus, ne ſalutato quidem Rege, Turonos repetiit. Qua verè ſacerdotali libertate motus Chlotharius indictionem reſcidit, miſiſque poſt Iniurioſum viris cum muneribus, veniam facti precatus eſt. Ex quo intelligitur Reges Francorũ nihil tum oneris Eccleſiæ Gallicanæ, niſi conſentientibus ac ſubſcribentibus Epiſcopis, impoſuiſſe.

In parte Britanniæ Armoricæ tum dominabatur Chanao Comes, cæde trium fratrum infamis. qui cùm & Macliauum fratrem ſuum captum in carcere & catenis teneret, vellétque interimere, orante Felice Namnetico Epiſcopo ei pepercit: iurauítque Macliauus ſe fratri fidelem futurum, nec multo pòſt violata fide, vt ſatellites ad ſe comprehendendum miſſos euaderet, ad alium Comitem Britannorum, nomine Chonomorem perfugit. Is cùm inquiſitores appropinquare ſentiret, Macliauum capulo clauſum humauit, ita facto tumulo, vt per paruum ſpiraculũ de cælo animam poſſet ducere. Eo commento illuſi Chanaonis ſatellites, poſtquam ſuper tumulum læti biberant, Domino ſuo renuntiant Macliauum mortuum ac ſepultum eſſe. quo audito Chanao Regnum eius totum recepit. At Macliauus velut rediuiuus exſiſtens ab inferis Venetos vrbem petit, ibíque tondetur, & Epiſcopus conſtituitur. ſed vt erat

leuis & temerarius, mortuo Chanaone capillos promiſit, & vxorem, quam poſt Clericatum dimiſerat, cum Regno fratris recepit. quam ob cauſam Epiſcopi ei ſacris interdixere. Ceterùm non dubito, quin Chonomeres Britannorum Comes à Gregorio dictus, is ſit, quem Auctor libri de vita Leonorij Epiſcopi *Commorum* appellat, & quem, Childeberto priore in Francia regnante, vxorem Rigualdi Ducis Britanni viduam in matrimonium accepiſſe, ac priuignum ſuum Iudualum, quamdiu ipſe vixit, à dignitate paterna excluſiſſe tradit: quíque in vita Gildæ *Conomerus* vocatur, & *tyrannus* in Britannia fuiſſe dicitur ætate Gildæ, ac *Childerici Frãcorum Regis principatu,* magno errore: cùm Paullus Gildæ condiſcipulus Childeberto regnante floruerit. quo etiam tempore Indualis cognomine Candidus, hoc eſt (vt puto) Iudualus, Rigualdi Ducis filius, Domnonenſium in Britannia Dux erat: quemadmodum Auctor libelli de vitaPaulli Epiſcopi memoriæ prodidit.

IↃL. Poſt Conſulatum Baſilij anno IX Veſigothi, iugulato Theudiſclo, Agilam Regem conſalutauere. è quibus Theudiſclum poſt Conſulatum Baſilij V. C. anno II, & Agilam eo mortuo poſt Conſulatum Baſilij anno IV regnare occœpiſſe falsò tradit Auctor Appendicis Chronico Victoris Tununenſis Epiſcopi adiunctæ.

IↃLI. Poſt Conſulatum Baſilij anno X, belli Gothici XVII Flauius Iuſtinianus Aug. Leontium Senatorem, Athanaſij generum, ad Theodebaldum Francorum Regem legatum miſit, qui ab eo poſtularet, vt arma ſecum aduerſus Totilam & Oſtrogothos conſociaret, cederétque opidis & caſtellis Italiæ, quæ Theodebertus contra ius fœderis occupauiſſet. Leontius, vbi ad Theodebaldum venit, ita locutus eſt. Nonnullis forſitan, præter ſpem exſpectationémque accidere aliquid potuit: qualia verò Romani à vobis paſſi ſunt, alij contigiſſe puto nemini. Quippe Iuſtinianus Aug. non priùs Oſtrogothis apertè intulit bellum, quàm Francorum amicitiam & ſocietatem data ingenti pecunia redemiſſet. at illi non modò nihil earum rerum fecere, quas promiſerant, ſed etiam tanta Romanos iniuria affecere, quan-

tam ne ſuſpicari quidem quiſquam facilè poſſit. Pater enim tuus Theodebertus occupauit nihil ad ſe pertinentes prouincias Italiæ, quam Imperator magno labore magníſque periculis ſine Francorum auxilio in ſuam ditionem redegerat. Quamobrem nunc ad te venio, non antefacta criminaturus, ſed ea poſtulaturus, ac moniturus, quæ tibi ipſi ſint profutura. nimirum vt felicitatem confirmes tuam, & ſua habere Romanos ſinas. (Sæpe enim potentiſſimis, & multa ac magna obtinentibus paruæ alicuius rei iniuſta poſſeſſio cauſa exitij fuit: propterea quòd raram facit miſturam cum iniquitate ſecunda fortuna) præterea vt patris promiſſum præſtes, fidémque liberes, bellum aduerſus Totilam nobiſcum gerendo. ſiquidem maximè liberos decet parentum malefacta corrigere, & benefacta confirmare ac rata habere. Huiuſce autem belli ſocietatem cum Romanis te etiam non inuitatum ac rogatum inire oportebat. Nam cum Oſtrogothis nobis res eſt, qui Francis hoſtes ſemper & infidi fuerunt, eíſque tætra & atrocia bella numquam non intulerunt. Qui nunc quidem metu Romanorum & neceſſitate impulſi tibi adulari, & tuum auxilium implorare non dedignantur: ſi verò armorum noſtrorum metu liberati fuerint, non multo pòſt ſuum erga Francos animum apertè nudabunt. Quare cum Imperatore amicitiam & fœdus renouare ne dubita, & in veterem hoſtem totis viribus factas iniurias vindicare. His Theodebaldus Francorum Rex ita reſpondit. Ad ſocietatem belli aduerſus Oſtrogothos nec rectè nec iure nos inuitatis. ſunt enim nunc nobis amicitia iuncti. quibus ſi parum ſtabiles, inconſtantéſque ſe Franci præſtiterint, ne Romanis quidem fidi ſunt futuri. Quod autem ad loca Italiæ mihi ſubiecta pertinet, Theodebertus pater meus nec quemquam finitimorum violauit, nec alienis manum adiecit. cuius rei nullum afferre certius teſtimonium poſſum, quàm quòd eius hereditate nihilo ſum opulentior factus. neque idem ſupradicta loca Romanis eripuit, ſed à Totila poſſeſſore deſtituta, ac velut palàm tradita occupauit. Quo de facto Imperatorem Iuſtinianum gratulari Francis

maximè oportebat. nam qui raptores rerum ſuarum ab aliis ſpoliatos videt, niſi obſtet inuidia, iuſtâ vltione lætari conſueuit, & meritam eos factæ ſibi iniuriæ pœnam pendere arbitratur. Sed vtrique totam controuerſiam ac diſceptationem Iudicum fidei committere poſſumus, vt ſi quid patrem meum Romanis eripuiſſe paruerit, hoc ſine mora neceſſariò reſtituam. Hiſce de rebus legatos Conſtantinopolim non multo pòſt mittam. Sic locutus Theodebaldus Leontium Athanaſij Præfecti Prætorio Italiæ generum dimiſit, & Leudardum, hominem Francum, vnà cum tribus aliis, legatum ad Iuſtinianum Aug. miſit, vt in belli Gothici libro IV tradit Procopius. Legati ex ſententia rem confecêre. niſi quòd à Iuſtiniano, acta Concilij Calchedonenſis infirmare conante, impetrare non potuêre, vt Vigilium Papam, & Datium Mediolanenſem Epiſcopum Conſtantinopolim euocatos, ac indignè tractatos, ob ídque ſibi per litteras ab Clericis Italiæ commendatos in ſuas ſedes reſtitueret.

IↃLII. Indictione XV poſt Conſulatum Baſilij V. C. anno XI in Hiſpania bellum ciuile oritur. Theudiſclo Regi à coniuratis iugulato Hiſpali, quæ tum Veſigothorum regia erat, ſucceſſerat Agila: qui cùm popularibus grauis ac iniquus eſſet, Athanagildus, vnus ex Optimatibus, regni cupiditate impulſus, ab eo tertium principatus annum agente defecit, atque auxilium à Iuſtiniano Aug. petiit. Imperator totum Occidentem iamdudum Orienti adiungere cupiebat. Igitur oblatâ occaſione lætus Liberium Patricium cum claſſe in Hiſpaniam miſit, vt ſub ſpecie ferendi Athanagildo auxilij prouinciam tentaret. Agila apud Cordubam victus acie, amiſſo filio cum magnis copiis omníque gazâ regiâ, Emeritam fugit; nec multo pòſt (vt ait Rodericus) exercitus, quem aduerſus Athanagildum miſerat, ab eo Romanis auxiliis adiuto deletur; Liberio interea opida Hiſpaniæ non pauca facilè occupante. Quare cùm animaduerterent Veſigothi ſuis ſe gladiis iugulari, timeréntque maximè, ne milites Romani occaſione vſi Hiſpaniam ſubigerent, obliti ſacramenti Agilam V regni

anno Emeritæ occidunt, & Athanagildo se tradunt. Sic potitus rerum Athanagildus milites Romanos, quibus adiutoribus Agilam vicerat, postea Regni sui finibus expellere non potuit, bellúmque cum eis diu variâ fortunâ gessit, partémque vrbium, quas ceperant, recuperauit. Vnde Agathias in Historiæ libro V tradit eo tempore milites Romanos partim in Italia, partim in Africa, *partim in Hispania*, & aliis prouinciis fuisse collocatos. At Liberius Patricius, Dux Romanorum, posteaquam vrbes aliquot Hispaniæ occupauerat, oram maritimam Aquitaniæ classe infestam habuit, ac Burdigalam Biturigum Viuiscorum oppugnauit. Quod enim Suidas scribit, *Belisarium circa Burdigalam vrbem Galliæ frequenter pugnasse*, id ego emendandum, & in locum Belisarij *Liberium* restituendum puto. quippe constat Belisarium extra Africam & Italiam nulla vsquam in Occidentis partibus bella gessisse. Liberius iste Patricius, quem in Hispaniam cum exercitu à Iustiniano missum ait Iordanes, grandis natu fuit, tum cùm ei aduersus Agilam Vesigothorum Regem expeditio mandata est. idem enim multis antè annis, sub Theoderico & Athalarico Ostrogothorum Regibus, Præfectus Prætorij Galliarum fuerat, multùm ob merita, & ob vulnera in bello accepta à Cassiodoro Senatore laudatus: & Basilicam, quam Arausione exstruxerat, ab Episcopis Prouinciæ Decio iuniore Consule dedican- ɪɔxxix.
dam curauerat, statutísque Concilij Arausicani subscripserat, non modò Præfecturâ Prætorij Galliarum, sed etiam Patricia dignitate iam tum illustris. postea legatus à Theodahado Rege vnà cum Opilione ad Iustinianum missus, apud eum remanserat, & aduersus Totilam in Siciliam cum classe missus ab Imperatore, breuíque Constãtinopolim reuocatus fuerat anno belli Gothici XVII, post Cõsulatum Basilij X. vt tradit Procopius, ɪɔʟɪ.
qui Liberium modò *Senatorem Romanum*, modò *Patricium ex vrbe Roma*, nonnumquam *virum Romanum*, extremæ senectutis, ac belli artium imperitum appellat: vt appareat eum Patricium Occidentalem fuisse. In Hispaniam missus pòst ab Imperatore Francio Dux

Cantabriæ in ditionem eius redactæ præfuit. quem Francionē Fredegarius, ac Aimoinus decepti nomine tributa Francorum Regibus pependisse scribunt: eóque mortuo à militibus Romanis, quibus tuendi limitis Hispaniæ cura mandata erat, Cantabriam receptam, deinde à Flauio Sisebuto Rege Vesigothorum occupatam dicunt. Paullus in libro tertio rerum Langobardicarum tradit Francionem hunc ipsum in Italia Magistrum militum fuisse, vnum ex his, qui sub Narse militauerant: & Langobardis terram Italiam vexantibus, per annos viginti munitissimam insulam in Lario lacu, Comacenam à finitimo opido Como, & Lariensem cognominatam, tenuisse: ibi semestrem obsidionem fortiter tulisse: tandémque traditâ Flauio Authario Langobardorum Regi insulâ, cum coniuge, ac supellectile Rauennam sese recepisse. Ceterùm Romani, qui Iustiniani iussu Hispaniam Liberio duce ingressi erant, virtute, concordia, Hispanorum affinitatibus, ac etiam missis ab Imperatoribus ex Africa & Italia auxiliis adeò creuere; vt neque ab Athanagildo, neque ab eius successoribus ex Hispania expelli potuerint, vixque post annos ampliùs XXC Suintila Vesigothorum Rex vrbes, quas occupauerant, receperit. Hi sunt Romani, quos Ioannes & Isidorus in Chronicis, & Paullus in libro III rerum gestarum Langobardorum *Milites* absolutè vocant, Gregorius in Historiæ libro V contumelioso tum nomine *Græcos* appellat. Nimirum milites Romani à Iordane, Procopio, & Gregorio Magno, cet erísque eorum temporum Auctoribus plerumque *Milites*, & Στρατιῶται simpliciter dicuntur, vt Imperium Romanum Πολιτεία atque *Respublica*.

Eodem anno, quo Liberius Patricius Hispaniam petiit, Narses eunuchus, ex Præposito sacri Palatij, ex Conf. atque Patricius, cum magnis copiis, & Langobardorum, Erulorum, Hunnorum etiam, ac Persarum perfugarum mercenariis auxiliis, à Salona opido Dalmatiæ mouit, traiectóque sinu Liburnico, quem alij sinum Polaticum, alij Flanaticum appellant, omnem exercitum exposuit Polæ. inde per Istriam, & Venetiam iti-

nere facto ad amnem Atesim peruenit, missóque nuntio postulauit à Francorum Ducibus, qui finitimos locos præsidiis tenebant, vt ipsis sociis & amicis transitum darent. Illi Narsæ renuntiari iubent hæc se facere nullo modo posse, suæ vtilitatis, & erga Ostrogothos beneuolentiæ magis quàm commodi Romanorum habendam esse rationem rati: atque hancce parum speciosam & honestam dictu negationi transitus causam prætendunt, quòd Narses Langobardos, hostes Francis infestissimos secum duceret. Tum Narsem, dubitantem quid ageret, quidam Itali docuere, si Franci in eo proposito perseuerarent, à loco vbi erant vsque ad Veronam transitum tentari non posse, quam vrbem Teia Ostrogothus, vir fortissimus, valido præsidio tuebatur. Hærebat itaque Narses inops consilij, donec Ioannes, Magister militum, locorum peritus per maritimam Venetiæ oram Romanis parentem duxit exercitum, fossásque ac paludes, Septem Maria dictas, in quas se Padus effundit, ponte è nauibus facto iunxit. Sic traductis copiis Narses Rauennam intrauit. Quam autem ob causam tantæ Francos inter & Langobardos inimicitiæ tum fuerint nescio. Nam & antea Theodebertus Francorum Rex Wisigardim Waconis Langobardorum Regis filiam in matrimonium duxerat, atque ad Audoinum, Waltarij Waconis filij tutorem successorémque, legatos de consociandis aduersus Iustinianũ Aug. armis miserat: & paullo pòst Theodebaldus Francorum Rex Vuldetradam, sororem Wisigardis, vxorem duxit: ac Chlodosuinda, Chlotharij maioris filia, Alboino Langobardorum Regi collocata est. quæ affinitates nisi inter amicos fieri non solent. Nisi fortè ex eo inter ambas gentes inimicitiæ ortæ sunt, quòd Audoinus Langobardorum Rex Herminafridi Toringorum Regis filiam matrimonio sibi iunxerat, (vt ait Iordanes) ob idque bellum Francis illaturus, & Amalafridum fratrem vxoris suæ in paternum Regnum reducturus videbatur. Apud Menandrum dicitur Narses ad Hamingum Ducem Francorum, qui in Atesis vlteriore ripa consederat, Pamphronium Patricium, & Bonum Pro- Ranicundam p. 362.

curatorem rerum priuatarum misisse petitum, vt ex eo loco discederet; neu ruptis induciis iterum bellum aduersus Romanos excitaret. quibus Hamingus respondit, quamdiu hastam dextrâ vibrare posset, se cessurum non esse. Narses Valeriano adiunctus, superato flumine Arimino, ad Apenninum peruenit, ibi apud Busta Gallorum (hoc loco nomen est) cum Ostrogothis vno prœlio debellat, ac Totilam Regem, antea semper inuictum, numero magis & paratu militum quàm virtute fundit, fugientémque interficit, anno regni XI, post
IↃLII Consulatum Basilij pariter XI, confestímque Langobardos, qui, ex victoria assumtâ peccandi licentiâ, omnia stupris incendiísque fœdabant, auxilij causâ magna pecunia donatos domum dimittit. Quidam auctores sunt Totilam, ante prœlium à milite Romano insciente necopinantem iaculo ictum, ex vulnere paullo pòst interiisse, atque Ostrogothos amisso Rege pauidos facilè ab Narse deuictos cæsósque esse. Valerianus, post deductos vsque ad fines Italiæ Langobardos, castra ante Veronam posuit, tamquam vrbem eam oppugnare constituisset. cui cùm Ostrogothi ibi in præsidio collocati sese ipsos, ac vrbem dedituros promisissent; cognita re Franci, qui finitima Venetiæ obtinebant loca, nec Romanam vicinitatem amabant, totis viribus prohibuere, regionem velut ad ipsos pertinentem sibi vindicãtes, & Valerianum cum exercitu irritum discedere coëgere. At Ostrogothi, quotquot prœlio supererãt, traiecto Pado, Ticinum peruenere, & Teiam Fridigerni filium Regem ibi appellauere. qui suos Romanis impares videns, legatos ad Theodebaldum Francorum Regem misit, eúmque pollicitationibus ingentis pecuniæ ad belli societatem pellicere frustra conatus est: propterea quòd Franci nec pro Ostrogothis, nec pro Romanis pugnare, & sanguinem more mercenariorum profundere volebant, sed Italiam in ditionem suam redigere, & eius subigendæ causâ per se ipsi bellum gerere cupiebant. Interea Narses Narniam, Spoletum, Perusiam, Romam, Portum Augusti, Nepetam, ac Petram Pertusam occupat: & Cumas, vrbem Campaniæ munitissimam, in arduo colle

colle ad mare Inferum positam, quò Totila pleraque spolia Italiæ & insignia regia contulerat, oppugnat: Teiámque obsessis subsidio venientem, nâuibus exuit, commeatu intercludit, directa acie fortissimè pugnantem interficit, imperij Domini Iustiniani perpetui Aug. anno XXVI, post Consulatum Basilij V.C. anno ıↄLII.
XI, belli Gothici XVIII. A Procopio, quem secuti sumus, Victor, Mariúsque dissentiunt: è quibus Victor Totilam à Narse eunucho Patricio prœlio superatum post Consulatum Basilij anno XIV periisse dicit: Marius Toti- ıↄLV.
lam vel Baduilam post Consulatum Basilij anno XII ıↄLIII.
Indictione I interfectum, Teiam insequenti anno cæsum est auctor. Ostrogothi tot continuis incommodis infracti, & ad paucos redacti, pacem à Narse petunt, ac impetrant, & se de opidis præsidia deducturos, ac totâ Italiâ excessuros; nec vmquam ampliùs Romanis bellum illaturos iurant. Ostrogothi circiter mille, qui iurare nolebant, ex castris egressi Ticinum opidum & alia trans Padum loca Hildufo transfuga duce repetiere, sicuti ait Procopius. Quamquam è contrario Agathias Scholasticus in Historiæ libro I prodit conuenisse, vt Ostrogothi in Italia securi remanerent, sub ditione Imperatoris futuri. ita pace facta domum omnes rediisse, & alios quidem in Tusciam, alios in Liguriam, & in Venetiæ opida ac castella reuertisse.

Breui apparuit arma victos, non odia deposuisse. Ostrogothi enim Circumpadani, externæ dominationis intolerantes, cùm pauco tempore sese continuissent, fidémque seruauissent, mox res nouas moliri cœperunt. Regnabant tum apud Francos Childebertus, Chlotharius, & Theodebaldus, quorum priores duo sedes longè ab Italia remotas habebant: posterior Liguriæ, Venetiæ, & Alpium Cottiarum partem non minimam obtinebat. Ad Theodebaldum igitur Francorum Regem legatos mittunt Ostrogothi, qui dicerent, tempus esse genti eum finitimæ ac fœderatæ subuenire: expelli se à Iustiniano Italiâ, quam Theodericus Zenonis permissu intrauerit, ac Turcilingis ademerit: & Amalasuenthæ vindictam, speciosum titulum nefario latrocinio

præferri. nisi celeriter magna sibi auxilia mittantur, partem huius calamitatis ad Francos recasuram. Quid enim aliud velle Romanos, nisi liberis populis, quos contumeliosè Barbaros appellant, seruitutem iniungere? Sic nuperrimè sub specie auxiliorum à Iustiniano missum esse in Hispaniam exercitum, Vesigothis, ni caueant, exitio futurum. neque dubitari oportere, quin idem, vt victis Vandalis Africam subegisset, & inuitatus successu, ob vnius noxam, Ostrogothis bellum intulisset, ac Italiæ manum iniecisset; ita Galliam, partem quondam Imperij Romani, occupatam à Francis esset repetiturus. Certè non semel eum iactâsse, atque scripsisse, gentes omnes, amissas secordiâ Romanorum, se recepturum sperare. Videret itaque, ne vicinum incendium, suâ negligentiâ auctum, mox ad ipsum transiret. quod ne accidat, in eius nunc potestate positum esse. Hac oratione Theodebaldus, puer valetudinarius, ignauus & imbellis, non admodum commouebatur, neque pro gente pæne funditus euersa fortunam tentandam existimabat. Erant tum in Aula Procerum omnium dignitate & potentia facilè primi Leutharius & Buccelinus fratres, natione Alamanni, quos Theodebertus Rex popularibus suis Duces præposuerat. Hi permittente magis quàm assentiente Rege cum Ostrogothis belli societatem ineunt, celeriter Francos, atque Alamannos ad LXXV millia cogunt, Alpésque transscendunt tanta cum contemtione hostium, tantáque virium fiducia, vt Narsem, eunuchum breuem ac macrum, nec in virorum, nec in mulierum numero habendum, & lanificio, quàm armis aptiorem, qui Ostrogothis adeò timori esset, primum suorum impetum laturum negarent, totiúsque Italiæ ac Siciliæ imperium sibi promitterent. Peragratâ Liguriâ, Padum superat Francorum exercitus, ac Parmam opidum occupat. Qua cognita re Narses Fulcarim, Erulorum fœderatorum ampliùs trium millium equitum Ducem, cum Ioanne, Valeriano, & Artabane Magistris militum, & cum copiarum suarum parte maiore ac validiore in Æmiliam mittit, & ad flumen Padum castra facere, munitioribúsque lo-

cis occupatis hoſtes reprimere ac itinere prohibere, ſin autem propter paucitatem id facere non poſſent, ſaltem eoſdem morari, & ne audacter ac liberè vagarentur, obſeruare iubet. ipſe poſt ordinatas res Tuſciæ ſe venturum confirmat. Fulcaris, Dux non minùs temerarius, quàm ſtrenuus, incompoſito agmine, minimè exploratis locis, Parmam raptim contendit. Qua lætus occaſione Buccelinus lectâ virorum fortium manum in Amphitheatrum non longè ab vrbe ſitum condit, Barbaróſque effuſos ac temerè progreſſos ſubitò eruptione facta fundit fugátque, Fulcarim ipſum interficit. Eâ victoriâ Leutharius & Buccelinus tantum auctoritatis & nominis ſunt conſecuti, vt Oſtrogothi Æmiliam, Liguriam, finitimáſque prouincias incolentes, qui cum Romanis neceſſitate coacti pacem ac belli ſocietatem inierant, apertè fœdus rumperent, & ad Francos morum ſimilitudine ſibi coniunctos ſponte tranſirent, ſuarúmque eis vrbium portas aperirent. contrà Ioanni & Artabani Romanorum Ducibus tantus iniectus eſt metus, vt ſtatim Fauentiam ſe contulerint, quæ abeſt ab vrbe Parma ampliùs millia paſſuum XC.

Dum hæc apud noſtros geruntur, Narſes, exercitus parte ad oppugnationem Cumarum relictâ, per Latium in Tuſciam copias perducit: Florentiam Tuſcorum, Centumcellas, Volaterras, Alſium, ac Piſas occupat: & vbi de Fulcaris clade cognouit, milites nuntio conſternatos oratione confirmat, Lucenſéſque tertio quàm obſederat menſe, fruſtra dehortantibus Francis, qui ibi in præſidio erant, deditionem facere cogit. Eodem tempore Aligernus, Fridigerni filius, Teiæ quondam Oſtrogothorum Regis frater natu minimus, vir manu ſtrenuus, cùm intelligeret Francos, ſi bello Romanos viciſſent, Oſtrogothis ſub ſpecie ſocietatis Italiam ac libertatem erepturos, ſeipſum, Cumáſque Romanis dedidit: miſſúſque à Narſe Curuam Ceſenam, Francos per fines Regienſium, Mutinenſium, Bononienſium, Forocornelienſium, & Fauentinorum itinere facto vrbem prætereuntes, vt iuſſus erat, irriſit ex muro, clamitans ſerò eos veniſſe, ac fruſtra feſtinare, iam enim Cumis,

& vnà omni regia pecunia vestéque, ac supellectile, ad quæ occupanda properarent, potiri Romanos, adeò vt si quis ab Ostrogothis Rex salutaretur, regiis insignibus esset cariturus. Aligerno Franci conuicia regerebant, & perfidum, proditorémque popularium suorum appellabant. Nihilominus tanta spe frustrari mox de summa rerum deliberant, domum redire placeat, an progredi. superat sententia eorum, qui in expeditione perseuerandum esse censebant. Paullo pòst accidit nostris aliud incommodum. Franci ad duo millia equitum & peditum, à Ducibus ad depopulandos agros & exploranda itinera missi, circa Ariminum pecus abigebant. Erat tum Arimini Narses cum Theodebaldo Varnorum fœderatorum Duce, qui indignatus sub oculis suis audacter prædam hostes agere, in eos trecentis equitibus comitatus eruptionem fecit. Et Franci quidem pedites ab vtroque latere equitibus suis, à rergo densa silua tecti, primùm conferti ac immobiles iunctis scutis tela Romanorum excipiebant, sic vt primi ordines laxari perfringíque non possent. Tum Narses, posteaquam nihil proficiebat, simulatione fugæ eos longè à silua protractos in apertum campum perduxit, & incompositos ac effusè insequentes ex improuiso aggressus, pedites circiter nongentos cecidit; equites coniecit in fugam. cúmque animaduerteret Francos natura æstus esse intolerantissimos, nec libenter æstate bellare, frigore autem tamquam re cognata & patria vegetos, robustissimósque, ac laborum patientissimos fieri, expeditionem in ver differre constituit, misísque in hiberna copiis, & Rauennæ rebus ordinatis, Romæ hiemauit.

Inrerea Franci lento agmine loca, quaquà ibant, omnia depopulabantur, atque vastabant, ac Flaminiam emensi, pérque Picentes, Marrucinos, ac Pelignos itinere facto Samnitium fines intrauerant. quò vt peruentum est, Duces copias inter se diuiserunt. & Buccelinus quidem accepta exercitus parte maiore ac validiore, dextrum iter ingressus, prouincias Tusco mari appositas Campaniam, Lucaniam, & Bruttios, Rhegio & Freto Siciliensi tenus, populando peragrauit. Leutha-

rius verò sinistram carpens viam, vastatâ Apuliâ, & Calabriâ vsque ad Hydruntum, quo ex opido finis Hadriatici maris, & initium Ionij despicitur, peruenit. sic ambo diuersis itineribus omnem Italiam sunt peruagati. Qua in expeditione Francos, rectè de Deo sentientes, & eamdem quam Romanos religionem colentes, in locis sacris piè ac reuerenter se gessisse, Alamannos autem, nondum Christianæ religionis mysteriis initiatos, Ecclesias spoliauisse, detexisse, ac diruisse, sanguine etiam humano polluisse Agathias scribit. Accidit tum, quod in 1 Dialogorum libro tradit Gregorius Romanus Episcopus, vt Buccelino Campaniam ingresso, Franci aliquot in Monasterium Honorati viri sanctissimi apud Fundos positũ, vbi multas pecunias esse audierant, irrumperent, & magnis clamoribus Libertinum Præpositũ loci requirerent, ac caligantes videre non possent, in quem humi prostratum ac orantem impingebant, sícque ex Monasterio vacui egredi cogerentur. Ineunte æstate cupido incessit Leuthario grauem prædâ exercitum domum reducendi, ac rapto fruendi. Itaque ad Buccelinum nuntios misit, qui suaderent, vt celeriter rediret, incertóque bello ac Ostrogothis valediceret. cognitóque eum, inductum spe regni ab Ostrogothis ipsi promissi, cum Romanis se prœlio decertaturum iurauisse; nihilominùs excedere Italiâ, & postquam domum venisset, ac prædam in tuto loco deposuisset, auxiliares fratri copias mittere instituit. sed nec ipse in Franciam reuerti, nec fratrem supplemento militum adiuuare potuit. Regrediens igitur Leutharius sine vllo detrimento exercitus iter fecit, donec Picenum emensus ad opidum Flaminiæ Fanum Fortunæ peruenit: ante quod opidum positis castris aduersam fortunam expertus est. Cùm enim millia hominum tria non solùm ad exploranda vlteriora, sed etiam ad hostem, sicunde appareret, fundendum ex more præmisisset; Artabanes Persarmenius, & Huldac Hunnus, qui cum Romano exercitu Hunnísque fœderatis Pisauri occasionem bene gerendæ rei speculabantur, in eos per Hadriæ litus iter facientes, murísque appropinquantes conferti eruperunt, ac mul-

tos deimprouisò occiderunt. nonnullos per prærupta litoris fugâ enisos, móxque ex colle recto atque præcipiti deuolutos mare hausit. Cùm plurimi eo modo periissent, reliqui incompositè terga vertere, & cum magno clamore ac fletu ad suos reuersi trepidatione & tumultu castra impleuere, atque quod ipsi credebant, subitò affore Romanos commilitonibus persuasere. Igitur Leutharius omnes armari & ad prœlium parari iubet, phalangéque ita facta, vt densa ac nihilominus in longum extenta esset, obuiam hosti proficiscitur. Sed Artabanes & Huldac Duces, propterea quòd numero impares ad pugnandum erant, iam Pisauri muris incluserant sese, neque ex opido suas copias eduxere. Tum Franci reuersi in castra iacturam priori damno grauiorem se fecisse cognoscunt. plurimi enim captiuorum, qui incustoditi remanserant, hostium occupatione tamquam occasione sua vsi, celerrimè profugerant, & sese, ac vnà quidquid spoliorum diripere potuerant, in proxima castella contulerant. Quamobrem priusquam grauiora paterentur, confestim mouenda castra, & ex opido Fano Fortunæ discedendum statuunt, exsecratíque locum infortunatum & iactura prædæ suæ infamem, relicto Hadriatici maris arenoso litore, flectunt ad læuam, & secundum radices montis Apennini longum iter faciunt per prouinciam Æmiliam, Alpésque etiam Cottias, (vt Agathias ait) Padóque flumine difficulter superato tandem Venetiam ingrediuntur. Hîc notare conuenit errare Agathiam Scholasticum, qui Fanum & Pisaurum prouinciæ Flaminiæ vrbes Piceno attribuat, easdémque non ad mare Hadriaticum, vt ceteri omnes, sed ad Ionium ponat. Franci, peragratâ magnâ parte Venetiæ, ad vrbem eius prouinciæ Cenetam, inter Feltriam & Belunum sitam, quæ tum Theodebaldo Regi parebat, peruenere, ibi reficiendi sui causâ tutò statiua habituri. Dolebant tamen, & ingentis mæstitiæ notas præ se ferebant, quòd prædæ suæ partem maximam amisissent, & frustra tot terras emensi, ac tantos labores passi esse sibi videbantur. Sed non hic eis calamitatis finis fuit. Quippe dum apud Cene-

tam conferti in artas domos vires refouent, ſubitò exorta peſtilentia eſt, & contagione vulgante morbos, ad vnum omnes (ſi Agathiæ credimus) periere. Leutharius rabioſus, & ſpumans, & ſuos ipſe lacertos lacerans exſpirauiſſe dicitur. nonnullis apoplexia, aliis continua dementia, aliis varia febrium genera mortifera fuerunt. Quam cladem Romani irâ diuinâ illatam credebant: Franci, naturâ æſtus intolerantes, partim mutationem ac corruptionem cæli, partim repentinam à labore ad otium conuerſionem cauſabantur. Certè nuſquam maior ac crebrior febribus, dyſenteriâ, inteſtinorum leuitate, murium araneorum morſibus, & veneno ſtrages exercituum noſtrorum facta: nec vlla his prouincia Italiâ peſtilentior fuit. Illa enim Theodeberti, Childeberti poſterioris, Carolomanni, & Caroli fratrum copias; illa præter Leutharium, Lotharium Regem Caroli Magni pronepotem, Carolum Auguſtum, eiuſdem nepotem, Ludouicum Regem Ioannis filium, Giſlebertum, ac Odetum Duces abſumſit. Quo magis gloriosiſſimi Principis Ludouici nuper nobis erepti vt laudanda virtus eſt, ſic admiranda felicitas, qui vnde pauci ex maioribus eius ſine aliqua clade domum redierunt, multi ne redierunt quidem; inde expugnato Seguſione, Hiſpanis à Caſale reiectis, lætus ſaluum & victorem exercitum reduxit. ſiue Italiam, aduentu liberatoris ſui recreatam, ſalubriores ſolito venti perflauerant: ſiue iuſtiſſimo bello elementa ipſa fauere oportebat.

Dum hæc in Venetia contingunt; Buccelinus agris, caſtellis, opidiſque ferè omnibus, quacumque ierat, freto Siculo tenus, vaſtatis, copias circumegit, & hoſtes petendi, atque cum Narſe de ſumma rerum maturè dimicandi impetum cepit. quòd multi Francorum, fame & inopiâ preſſi, (Narſes enim commeatus in muniſſima loca comportari iuſſerat) ex crebro vuarum recentium ac muſti vſu contracto alui profluuio, perierant; reliquos vires deficiebant. Itaque antequam plures ſimili valetudine tentarentur, prœlio contendere, ac bellum conficere cupiebat. Vt in Campaniam ve-

nit, Neapoli, & finitimis vrbibus, ficuti Conftantinus Porphyrogennetus fcribit, occupatis, caftra pofuit haud procul Capuâ, eáque rotis carrorum, modiolorum tenus in terram infoffis ftipitibúfque ita muniuit, vt vnum tantùm exitum haberent, ad dexteram Cafulino amni coniuncta: atque in Ponte Cafulini, quem locum Leo Marficanus in libro I Chronici Caffinenfis commemorat, turri ligneâ conftitutâ, firmum ibi præfidium collocauit. Sic infcius, quanta in Venetia clades effet accepta, auxiliares fratris copias, vt conuenerat, exfpectabat, nec tamdiu moraturas fuiffe, fi nihil eis aduerfi contigiffet, fufpicabatur. Quamquam etiam fine hoc fupplemento militum victoriam de hoftibus fibi promittebat, virorum fortium & bellicoforum millibus triginta fubnixus, cùm vix Narfes duodeuiginti millia variarum gentium haberet armata. Quare & ipfe magna alacritate erat, & fuos cohortari non defiftebat, dictitans non de parua aliqua re, fed de Italia pugnatum iri, propter quam bellum gererent, & quam, fi viri effent, nec inglorij omnes perire vellent, victis Romanis facilè effent occupaturi. Qua oratione inftincti Franci, & immodica confidentia elati fefe ad prœlium parabant. & alij quidem fecures ancipites, vel bipennes, vulgò Francifcas à gente cognominatas; alij haftas, lanceáfve, quas Angones vocabant, acuebant. quidam fcuta rupta refarciebant. denique facillimè fua quifque arma fuis manibus reficiebat. Tum enim (vt ait Agathias) fimplex & parabilis erat Francorum armatura, nec variis artificibus indigebat. loricis, & ocreis non vtebantur, exceptis Regibus ac Primoribus gentis; equis admodum pauci: propterea quòd more patrio pedeftribus pugnis innutriti, & quotidiana exercitatione affuefacti erant. plerique capite erant nudo: galeis pauci tegebantur. gladio cincti & fcuto tecti prœlia inibant: nec arcubus, aut fundis, fed bipennibus tantùm, & angonibus armabantur. has Sidonius *fecures miffiles*; illas, *lanceas vncatas* appellat in libri IV epiftola XX. Erant autem angones haftæ mediæ magnitudinis, ferreis laminis ita veftitæ, vt præterquàm in ima haftilis cufpide lignum nuf-

nuſquam nudum appareret. ex ſummo ſpiculo vtrimque prominebant vnci deorſum versùs incurui. In pugnâ Francus hanc haſtam emittebat. & hoſtis quidem corpori ſi infixa eſſet, facilè velli non poterat propter ſupradictos hamos ferreos, qui & hærebant penitus, & acerbos dolores mouebant, adeò vt leue vulnus inſanabile eſſet. ſi verò haſta ſcuto incidiſſet, ex eo perforato pendebat, & circumagebatur, infimâ ſui parte terram verrens: neque euelli propter vncorum tenacitatem, aut gladio abſcindi propter ferreum tegumentum poterat. Quod ſimul ac Francus animaduertiſſet, confeſtim inuadebat impeditum hoſtem, ac pede calcans imum haſtile, corporis ſui pondere eius ſcutum deprimebat. quo remiſſo cùm aduerſum os pectúſque hoſtis nudaretur, ſecurim fronti eiuſdem infigebat, aut iugulum aliâ haſtâ petebat. Militem Francum gladio, cuius capulus eſſet breuiſſimus, ſcuto, & vna ſecuri armari ſolitum auctor eſt Procopius in belli Gothici libro II, ſecurímque latiſſimo fuiſſe & acùtiſſimo ferro, quâ Francus in primo excurſu iactâ ſcuta perfringeret, hoſtéſque interficeret.

Et talis quidem erat Francis armatus, atque ita tum, qui Buccelinum Ducem ſecuti erant, ſe ad prœlium parabant. Narſes autem Magiſter militum Romanorum, cognito Buccelini conſilio, ſtatim ab Vrbe cum ſuis omnibus copiis proficiſcitur, & contra hoſtes caſtra ponit. Accidit tum, vt ſerui aliquot iuſſu Buccelini circum proximas villas profecti frumentatum, cum plauſtris magna copia frumenti & reliqui commeatus onuſtis redirent in caſtra. Quod cùm Narſes ferre non poſſet, Chanarangem ſtrenuum hominem atque prudentem, natum in Armenia maiore Perſis ſubiecta, quæ ob id Perſarmenia vocabatur, frumentatoribus immiſit. Ille paucis ex ſuo numero equitibus lectis celeriter inopinantes inuadit, iumenta agentes interficit, plauſtríſque potitur. è quibus vnum feno arido onuſtum ad turrim ligneam in ponte Caſulini à Buccelino conſtitutam admouit, ſubiectóque igne eam incendit, vix vt Francorum præſidium, per medias flammas inde ela-

Mmm

ipsum, fugâ castra petiuerit. Romani pontem occupauêre. Hoc Franci ignominiæ ferentes loco ad arma concurrunt: ira & dolore turbati, ac pæne impotes mentis non vltrà differre, sed statim prœlium committere volebant: frustra prædicentibus Vatibus Alamannis, si eo die pugnam conseruissent, ad vnum omnes esse perituros. Armatis Francis, Narses quoque paratas & expeditas copias ex castris educit. Quibus iter facientibus, Narsæ iam equo insidenti nuntiatur Erulum, virum nobilem in primis & illustrem, cuidam è seruis suis iratum ob delictum nescio quod vitam eripuisse. Quâ cognita re Narses inhibet frenos, resisténsque homicidam produci iubet, confitentémque reum, & dominos in seruos vitæ ac necis potestatem habere affirmantem, Protectoribus suis necandum tradit. & ille quidem gladio confossus interiit. Eruli autem, ob popularis sui supplicium Narsæ infensi, prœlio non interesse statuebant. At Narses ita expiatâ cæde, de Erulis parum solicitus, palàm hortatus est, vt qui victoriæ vellent esse participes, se sequerentur, atque cum reliquis omnibus militibus locum petiit ab vtrisque castris æquo spatio distantem, vbi acies instruenda, & prœlium committendum erat. Non multo pòst Sindual Erulorum fœderatorum Dux, in locum Fulcaris substitutus, veritus ne vnà cum popularibus defectionis insimularetur, & suum timorem beneuolentiâ erga ciuem iure cæsum videretur velauisse, damnato priore consilio suos in aciem éducit, & ociùs Romanos progressos subsequitur. Cui Narses petenti, vt se exspectaret, renuntiari iussit curaturum se, vt Erulis suus in acie locus vacuus relinquatur, & in campo, vbi pugnandum erat, aciem disposuit. Interea Eruli duo, qui ad Francos paullo antè transfugerant, & quid postea consilij cepisset Sindual, nesciebant, currentibus calcar addiderunt. nuntiabant enim Erulos apertè desciisse ac secessisse, & reliquos omnes defectione eorum esse consternatos: si ipsi subitò Romanos adoriantur, ex trepidantibus & perturbatis facilem victoriam laturos. His incitatus Buccelinus (vt homines, quod cupiunt, libenter credunt) sine mora ex

castris exercitum eduxit, Francíque omnes læti & alacres inordinato ac effuso cursu ad hostem contendere, tamquam primo impetu Romanos disiecturi. Sic autem Francorum acies erat instructa, vt angustâ fronte, sed densâ & scutis consertis phalangis modo tectâ, paullatim à tergo sese ordines dilatarent. triquetra hæc figura militari verbo caput porci vocabatur. Igitur Franci, qui in prima fronte exercitus constituti erant, clamore sublato Romanos aggrediuntur, protinúsque mediam aciem, propter absentiam Erulorum raram & exhaustam, paucis cæsis facilè perrumpunt, & locum Erulis vacuum relictum transgressi ad vltimum agmen perueniunt. quidam ex his quoque castrorum diripiendorum causâ longiùs processere. Tum Narses inflexis sensim & extentis cornibus, media acie pariter inflexâ, equitibus sagittariis præcepit, vt in hostium terga vtrimque tela coniicerent. Quod consilium causa nostris exitij fuit. traiiciebantur enim Francis ex omnibus partibus terga, neque ab auersis tela vitari poterant, vnde peterentur, ignaris, propterea quòd in mediam Romanorum aciem sibi oppositam, quacum acriter pugnabant, oculis erant manibúsque conuersi. Cadentibus exterioribus, interiorum terga nudabantur. quod cùm assiduè fieret, quamplurimi inulti procumbebant, & multitudo Francorum ad paucitatem redigebatur. Interim Eruli duce Sinduale properè superueniunt, obuiámque Francorum manum, quæ primam Romanam aciem perruperat, à ceteris abruptam inuadunt. Illi, vbi præter opinionem quos defecisse acceperant, adiungi Romanis, & sibi instare viderunt, suspicati ex composito paratas sibi esse insidias, ac transfugas Erulos fraudis incusantes confestim terga verterunt; pársque ab Erulis insequentibus est interfecta; pars, cùm se in flumen Casulinum præcipitauisset, absumta gurgitibus periit. Sic Eruli in suum locum recepti vacua in media acie interualla impleuere, phalánxque clausa est: & Franci velut retibus inclusi ab omnibus partibus cædi cœpere. Iam enim perturbatis solutísque ordinibus, ignari quid facerent, quóve se verterent, alij in alios im-

pingebantur: nec solùm à sagittariis petebantur, sed etiam à grauiori agmine, leuíque armatura hastis & gladiis transfigebantur, traiiciebantúrque contis. alios equitatus Romanus circumuentos & inclusos interficiebat: alios fugientes vsque ad flumen persequebatur, mox gurgitibus hauriendos. Eo modo Buccelinus Dux cum suis omnibus copiis periit.

Agathias (si fidem res capit) haud ampliùs quàm quinque milites ex Buccelini exercitu domum rediisse; ex parte Narsæ octoginta omnino, qui primum Francorum impetum sustinuerant, desideratos esse scribit, & campos circa Capuam omnes tabo & cruore circumfluxisse, fluménque Casulinum cadaueribus plenum exundauisse: atque eam Francorum cladem Persarum ad Marathonem & ad Salamina maximis cladibus comparat, qui cùm viribus feroces armísque confisi bello lacesserent, ac sub imperium suum redigere vellent Græcos, à quibus nullam iniuriam acceperant, dignum cupiditate sua exitum fecere. Romani, humatis suis, hostium corpora spoliauere, & armorum ingentibus aceruis potiti sunt, direptísque eorum castris, præda onusti, cantantes epinicia, & coronati Romam rediere, ac Narsem multùm laudatum triumphantium more in Vrbem compositè reduxere. Quos paullo pòst, cognita Leutharij copiarum clade, ad choreas voluptatésque conuersos grauiter castigauit Narses, affirmans Francos, dum secundis rebus efferuntur & insolescunt, ac sine causa bellum Romanis inferunt, sua magis temeritate quàm Romanorum armis victos omnes periisse: à quibus etiamsi nihil ampliùs metuendum esset, tamen oporteret Barbaros quantùm corporis; tantùm animi viribus ac disciplina ab milite Romano superari. Addidit gentem Francorum frequentissimam esse & maximam, ac summopere in armis exercitatam, cuius pars exigua fuisset exercitus Buccelini, adeò vt eius clades iram potiùs excitatura esset Francis, quàm metum iniectura, & verisimile videretur non quieturos eos, aut contumeliam silentio laturos, sed maioribus coactis copiis breui in Italiam reuersuros, & ignominiæ sarciendæ ac

vindicandæ popularium cladis causâ bellum renouaturos. Adiicere Narses potuit dimidiam fermè partem Francorum ingressorum Italiam non gladio, sed morbo consumtam, quam incolumem & cum Buccelini exercitu iunctam non modò prœlio superare non potuissent Romani, sed ne aggredi quidem vmquam ausi essent. Francos autem, *nationem frequentem & maximam*, vt à Libanio, sic à Narse apud Agathiam iure appellari docent tot bella tantis copiis tum aduersus finitimos gesta; atque armata millia centum, aut etiam (vti ait Iordanes) ducenta à Theodeberto Francorum Rege in Italiam adducta; & paucis pòst annis, Theodebaldo eius filio regnante, Leutharius ac Buccelinus cum millibus hominum quinque & septuaginta eamdem prouinciam ingressi. Adeò verum est, quod in libro I scribit Agathias, *validos esse Francos, & hostibus inexpugnabiles, finitimísque imperare, ac suorum quidem nihil amittere, quamplurima verò adquirere.* Quamquam Franci post Buccelinianam cladem, & quæ mox secuta est, Hamingianam, quæcumque in Italia occupauerant amisere, nimirum Alpes Cottias, & Liguriæ ac Venetiæ pleraque. In Venetia quidem opida aliquot ad ripas Atesis posita, vt Tridentum, aliáque Theodeberto Francorum Regi, ac postea Theodebaldo eius filio paruisse indicat Procopius, Cenetam quoque Agathias. In Liguria autem insulam Lariensem, seu Comensem eorumdem Regum fuisse docet Florianus Monachus *Monasterij Comani* in epistola ad Nicetium Treuirorum Episcopum, in qua eum rogat, *vt Domino gloriosissimo Regi Theodebaldo insulam Lariensem, quæ Christopolis dicitur, plurimùm commendet*, & vt Romanis seruis eius fides data seruetur. quæ insula lacus Larij à pietate Monachorum supradicti Monasterij ibi constituti suum Christopolis nomen videtur inuenisse. Ex quo etiam apparet Nicetium Treuiricæ Ecclesiæ Episcopum Theodebaldo Regi venerationi fuisse, & facilè ab eo, quæcumque vellet, impetrauisse. Ceterùm (vt redeam, vnde digressus sum) post fusum acie cæsúmque cum suis Buccelinum, Ostrogothi, circiter hominum millia VII, qui multis

in locis Francos omnibus rebus adiuuerant, in munitissimum castellum sese receperunt, quod Agathias Campsas appellat, ego Compsam in Hirpinis fuisse existimo, Annij Milonis cæde insignem. Dux Ostrogothorum erat Ragnaris, vir sollers, atque versutus, & conciliandæ sibi multitudinis peritus, à Procopio Gothus non semel; ab Agathia Hunnus Vitigurus dictus: qui tota hieme obsessus à Romanis, tandem cùm Narsen in colloquio interficere conatus esset, ab eius Protectoribus sagittis confossus est. Tum Ostrogothi, amisso Duce, pacti sibi incolumitatem, deditionem fecere, & ne res nouarent, omnes Constantinopolim ad Imperatorem Fl. Iustinianum sunt deportati. Hoc loco animaduertere conuenit, par eunuchorum Magisterio militiæ, & Patricia dignitate illustre, Narsetem, & Salomonem, qui Belisarij Domesticus fuerat, Iustiniani Aug. auspiciis res magnas nec spadonibus conuenientes gessisse. quorum alter Totilâ & Teiâ Regibus victis & cæsis, domitísque Ostrogothis, & deleto Buccelini Francorum Ducis exercitu, totam Italiam ad Imperium Romanum adiunxit: alter in Africa Maurorum Byzacenorum X millia vno prœlio, & mox millia quinquaginta altera pugna interfecit, & Mauros montis Numidiæ Aurasij in-
IↃXX-XIX. colas Apione Consule vicit acie.

Sic Agathias Scholasticus in libro I ac II de belli Gothici reliquiis, ac de nostrorum expeditione scribit: neque aut tempus notat, (intra biennium autem ea gesta sunt) aut de Hamingo mentionem facit. Cùm tamen, vti Procopius tradit, sub exitum anni XVIII belli
IↃLII. Gothici, post Consulatum Basilij XI Narses Cumas obsederit, eamdémque vrbem, quo anno Buccelinus, ac Leutharius Italiam ingressi sunt, captam Agathias dicat: nisi Cumanos per biennium obsidionem tulisse credimus, quos circiter menses XIV oppugnationem sustinuisse ex Agathiæ verbis iudicari potest, fatendum no-
IↃLIIJ. bis est Buccelinum, atque Leutharium anno XII post Consulatum Basilij Alpes transiisse, ambos anno insequenti periisse. Falsò itaque Marius in Chronico prodit,
IↃLV. post Consulatum Basilij anno XIV Indictione III Buc-

celinum Ducem Francorum in pugna aduersus Romanos cum omni exercitu suo interiisse. Quod autem addit, anno XV post Basilij Consulatum fusos fugatósque IϽLVI. à Francis Romanos, & castris exutos esse, eodémque ipsos anno reparatis viribus *partem Italiæ, quam Theodebertus Rex adquisierat, occupauisse*: id de Hamingo Duce, quem Menander Ammigum, alij Ammingum vocant, dictum puto. Certè apud Paullum, & Aimoinum lego Buccelinum Ducem, cùm pæne omni Italiâ vastatâ in Campania hibernare constituisset, tandem attenuatis dysenteriâ (vt ait etiam Fredegarius) suis militúmque suorum viribus; *in loco, cui Tannetum nomen est*, à Narse atroci prœlio superatum, ac interfectum esse: Hamingum alium Ducem Francorum, cùm Widino Gothorum Comiti rebellanti contra Narsem auxilium ferret, à Narse victum & occisum, Widinum captum, & Constantinopolim in exsilium missum: tertium Francorum Ducem, nomine Leutharium, Buccelini fratrem, dum multâ prædâ onustus in patriam reuerti festinat, inter Veronam ac Tridentum, circa lacum Benacum propriâ morte esse defunctum. Vbi non dubito, quin *Tannetum*, vel Tannitum, quod veteres Auctores Regio Lepido & Parmæ vrbibus medium interponunt, prouinciæ Æmiliæ reddi; & *Cannetum*, (de quo loco Capuæ vicino Leo Marsicanus non semel loquitur) vnde deiectum fuit, eò restitui oporteat. Regino prætera, ac Sigebertus scribunt Narsem Patricium cum Buccelino & Hamingo Ducibus Theodeberti Francorum Regis Italiam vastantibus pugnauisse, eósque interfecisse. Denique in veteri Appendice Marcellini Chronico subtexta inuenio, *cùm Buccelinus Comes, vnà cum sociis à Theodeberto Rege Francorum dudum missus, per annos aliquot Italiam Siciliámque infestaret, & Romanum sæpe exercitum superaret, tandem exercitum eius profluuio alui attritum, à Narse pugnâ victum, & profligatum, ipsum Ducem occisum: nec multo pòst socium eius Ammingum Ducem cum reliquiis Gothorum, quibus se iunxerat*, (hoc est cum Widini Comitis copiis) *peremtum esse*. Quæ Indictione XV post Consu-

IↃLII. latum Basilij anno XI contigisse falsò ait Auctor supradictæ Appendicis, & vt suprà notaui, duas Buccelini expeditiones confundit. Gregorius, Fredegarius, Freculfus, & Constantinus Porphyrogennetus Buccelini tantummodò, & Buccelinianæ cladis mentionem faciunt. ex quibus Gregorius tradit Theodebaldi principatu Buccelinum, cùm totam Italiam in Francorum ditionem redegisset, ab Narse interfectum esse, & Italiam Imperatori restitutam. Marius, & Fredegarius, eo ipso anno, quo Theodebaldus Rex Francorum decessit,
IↃLV. nimirum post Consulatum Basilij anno XIV; Sigebertus verò ante annum quàm is obiret, Buccelinum periisse
IↃLIV. tradit. Equidem existimo Buccelinum anno XIII
IↃLV. post Consulatum Basilij; Hamingum anno XIV, bello contra Narsem occubuisse. Nec miror, quòd Gregorius neget post cæsum Buccelinum quemquam ex Francorum Regibus fuisse, qui Italiam reciperet. Nam etsi Gregorius ipse in libri IX capite XX & in libri X capite III scribit Childebertum minorem, Francorum Regem, per XX Duces copiarum eò missos, partem quamdam Italiæ, à Sigiberto patre suo vindicatam ac possessam, eóque mortuo amissam, ad iusiurandum adactis incolis in potestatem suam redegisse, hócque quatuor aduersus Langobardos expeditionum pretium tulisse: tametsi Constantinus Porphyrogennetus quoque in Præceptis de regendo Imperio ad Romanum filium scribit Narsem Patricium, *in regione Papiæ attributa*, hoc est in Liguria, aut Venetia bellum gerentem, pecunias omnes, quas ex Italia quotannis Constantinopolim deportari, ac fisco inferri oportebat, in stipendium militum erogauisse: nec Ostrogothorum nomine propè ad internecionem redacto, & compresso Erulorum motu, Narsæ in ea præsertim Italiæ parte cum aliis quàm Sigiberto Rege Francorum res esse potuit: tamen constat, post pacem ab Langobardis cum Guntchramno factam, Francorum Reges tantùm montem Cinisium, hoc est Alpem Cottiam, vallem Segusinam, vicum Noualicium, Segusium opidum, Ametegim vallem, montem Iouis, seu summum Peninum, vallem Augusta-

ſtanam, & Auguſtam Prætoriam Salaſſorum, nihilque præter hos aditus in Italia illuſtre tenuiſſe.

Poſt Conſulatum Baſilij anno XIV. Indictione III. obiit Theodebaldus Rex Francorum, Chlodouei pronepos, vt ait Marius in Chronico, quem Gregorius Theodoualdum appellat, ſcribitque dimidiâ parte corporis à lumbis vſque ad pedes reſolutâ ſenſim tabeſcentem, itaut ſe inclinare non poſſet, VII regni ſui anno deceſſiſſe. Vnus Aimoinus Theodebertum annos XIII, VIII Theodebaldum regnauiſſe dicit. Eius mortem prodigiis denuntiatam fuiſſe apud Gregorium inuenimus. nam & in orbem nouæ Lunæ ſtellam abdi viſam eſſe: & ſambucum racemos colore vuarum conſimiles tuliſſe. Theodebaldum autem adoleſcentem mali ingenij, & crudelem habitum eſſe, propterea quòd iratus cuidam ob rapinarum ſuſpicionem, refrigerandi eius cauſſâ fabulam finxiſſet: cùm ſerpens inflata vino per collum amphoræ, quà irrepſerat, diu multúmque fruſtra conaretur erumpere, dominum vini ſuperueniſſe, ac niſi quidquid bibiſſet euomeret, ſerpentem euaſuram negauiſſe. quæ fabula magnum ei ſuorum timorem, odiúmque conciliauerit. Quamquam apud Aimoinum dicitur Theodebaldus *Deo deditus* fuiſſe, *& ſeruos eius*, hoc eſt pios religioſóſque viros, *vnicè dilexiſſe*, adeò vt (quemadmodum ait Fauſtus) ad Beatum Maurum, quem plurimùm amabat, venerit, & paterni exempli ſucceſſor Monaſterio eius Glannafolio villam Fabrenſem, & Voſdam dederit. IↃLV.

Theodebaldi Regnum, opes cunctas, & vxorem Vuldetradam, Chlotharius maior eius patruus recepit, ſed increpitus à Sacerdotibus inceſtas nuptias improbantibus, in primis (ſicut exiſtimo) à Nicetio ſanctiſſimo Treuirorum Epiſcopo, quem Francorum Proceribus, & Chlothario ipſi Regi propter iniuſta facta ſæpe ſacris interdixiſſe conſtat, eamdem inuitus inuitam dimiſit, & Gariualdo Duci nuptum dedit. Paullus in libro I rerum Langobardicarum, & Aimoinus in Hiſtoriæ libro II tradunt Wldetradam, quam ipſi Walderadam appellant, Vuaconis Langobardorum Regis ex Auſtri-

gosa filiam fuisse, sororémque natu minorem Vuisigardis eius, quam Vuaco Theodeberto Theodebaldi patri collocauerat, atque nupsisse Theodebaldo Regi Francorum, cuius nouercæ soror erat. Addit Paullus à viro consuetudinem eius aspernante abiectam, & vni è suis, nomine Garibaldo, in matrimonium datam esse. quem errare, & diuortium, à Chlothario non sponte factum, per negligentiam Theodebaldo assignare liquet. Hic est, opinor, Garivaldus, quem idem Paullus, Aimoinus, ac Sigebertus *Garibaldum Baioariorum Regem*; Regino aliíque *Garibaldum Baioariorum Ducem* appellant, & quem Eouini Tridentinorum Ducis, ac Flauij Autharij Regis Langobardorum socerum fuisse dicunt: cuius in locum defuncti Childebertus minor, Chlotharij nepos, anno post Theodebaldi mortem circiter XXX Tassilonem Ducem substituit. Agathias Aduocatus in Historiæ libro secundo scribit, dum Ostrogothorum Dux Ragnaris à Narse Patricio obsidetur, Theodebaldum adolescentem, finitimorum Italiæ Francorum Regem, miserrimè decessisse morbo, quo à teneris conflictabatur, oppressum, & lege hereditatem ad Childebertum & Chlotharium proximos adgnatos venisse, statímque magnam inter eos ortam contentionem, nec quidquam propius esse factum, quàm vt bellum ciuile toti genti perniciosum excitaretur. Et Childebertum quidem non modò iam senem, & admodum ætate prouectum, sed etiam valde imbecillum fuisse, cuius totum corpus tabe consumeretur, ac filias tantùm, marem verò, qui Regno suo succederet, nullum habuisse. At Chlothario, homini primæ ac viridis senectutis, & vires adhuc bonas, & IV filios admodum iuuenes; & ad omnia audenda ac exsequẽda paratissimos ac promtissimos fuisse, quibus fretus Childebertũ ab adeunda hereditate deterruerit, negans bona Theodebaldi diuidi oportere cum eo, cuius ipsius Regnum breui ad se filiósque suos esset peruenturum. neque Chlotharium spe suâ frustratum esse. quippe Childebertum, potentiam viri inimicitiámque metuentem, sponte ei hereditate cessisse, ac paullo pòst obiisse, & Chlotharium totum Francorum imperium obtinuisse.

Quidquid tamen dicat Agathias, non adeò ſenex tum, & ætate prouectus Childebertus erat, cùm (vt ex Gregorio colligo) poſt XV regni Chlodouei annum natus, ſub obitum Theodebaldi non plus quàm LVIII annos habere potuerit. nec tanta tum infirmitate corporis, aut tabe ita pereſus erat, vt non ſecundo poſt Theodebaldi mortem anno Campaniam Remenſem, quam Chlotharius tenebat, igne ferróque vaſtauerit. Ex quo etiam apparet eum Chlothario fratri ius ſuum metu magis quàm ſponte ceſſiſſe. Certè cùm apud Fauſtum in libro de vita Mauri Abbatis reperio Theodebaldum, poſtquam Regnum pauco tempore cum pace obtinuerat, immaturâ præuentum morte *Chlothario Principatum dimiſiſſe;* & cùm animaduerto eumdem ab Aimoino dici, poſteaquam VIII annos ſtrenuè regnauiſſet, decedentem *Principatum gentis, quam regebat, cum theſauris Chlothario reliquiſſe:* pæne fit, vt credam Chlotharium Francorum Regem à Theodebaldo Theodorici eius fratris nepote, qui ex Wldetrada vxore nihil liberûm ſuſtulerat, ex aſſe heredem eſſe factum, Childebertúmque præteritum. Hîc omittendus non eſt error Agathiæ, qui cùm ſciret Chlothario quatuor filios ſucceſſiſſe, eum ſub Theodebaldi Regis obitum IV filios habuiſſe prodidit. habebat autem quinque: ſiquidem Chramnus, Chlotharij filius, nonniſi quinto demum poſt Theodebaldi mortem anno periit. Poſcere videtur hic locus, vt de Chlotharij Francorum Regis vxoribus & liberis pauca dicamus.

Chlotharius Radegundim primùm, filiam Bertharij Toringorum Regis, bello captam matrimonio ſibi adiunxit, quæ poſtea regium inſigne ſacro velamine mutauit, & virtutum ac ſanctitatis famâ non Galliam, ac Europam modò, ſed etiam tranſmarinas prouincias impleuit. Deinde Ingundem duxit vxorem, ac vnicè dilexit, feminam optimam, & à faſtu alieniſſimam, quæ virum, *Dominum ſuum;* ſe, *ancillam eius* appellare conſueuerat. Ex ea Chlotharius liberos tulit Guntharium, & Childericum, quibus ambobus ſuperſtes fuit, Charibertum, Guntchramnum, Sigibertum, & Chlodoſuin-

dam, quæ Alboino Regi Langobardorum nupſit. Idem ex Haregunde tertia vxore ſuſcepit Chilpericum: ex Chunſena, quam quidam Gunſinam, alij Gunſindim vocant, Chramnum genuit. Auctor libri de vita Conſortiæ Virginis quamdam prætere a Chlotharij Regis filiam ſcribit in aula Sigiberti fratris ſui ætatem egiſſe. Haregundim Ingundis Reginæ ſororem fuiſſe Gregorius prodit, de qua collocanda Ingundim cum viro ſermonem habuiſſe: illum, eam rem ſibi curæ fore pollicitum, in villam ad Haregundim veniſſe, factíſque nuptiis, vt erat naturâ in venerem pronus, qualem optâſſet conditionem puellæ repertam; ſibíque opibus & prudentiâ ceteris omnibus ſine dubitatione præſtanti Haregundem connubio iunctam eſſe, vxori renuntiauiſſe: ex eo tempore duas ſimul ſorores Chlothario nuptas fuiſſe. Hîc notare conuenit Gregorium, & Auctores omnes Carolo Magno vetuſtiores, cùm vtriuſque ſexus liberos Chlotharij maioris ordine enumerant, Blithildis eius, quæ Anſberto Senatori nupſiſſe dicitur, mentionem nullam facere. quam qui Chlotharij iunioris filiam fuiſſe affirmant, non animaduertunt Arnulfum, Anſberti & Blithildis nepotem, ætate huius ipſius Chlotharij Ducem Auſtraſiorum, deinde Mettenſem Epiſcopum fuiſſe, quod proauo regnante fieri non potuit. Anſbertum quoque alij Romanum, hoc eſt Gallum; alij Francum; (vt & nomen indicat) quidam Narbonenſem, ex vrbe Veſigothis ſubiecta; nonnulli Aquitanorum nobiliſſimum fuiſſe ſcribunt. vt appareat nihil de Anſberto ipſo certi narrari. Præterea Paullus Warnefridi Langobardi filius, Foroiulienſis Diaconus in libro, quem de Epiſcopis Mettenſis Eccleſiæ compoſuit, ad Angilramnum Mettenſem Epiſcopum, tradit Arnulfum, natione Francum, clarum genere, Mettenſem Epiſcopum, ac nihilominus Præfectum Palatij fuiſſe, patrem Anſchiſi, auum Pippini, Caroli proauum, Pippini Francorum Regis abauum, Caroli Magni atauum: ob idque duas Caroli Magni ſorores, totidémque eius filias, cum Hildegarde vxore, Mettis in Baſilica S. Arnulfi ſepultas eſſe, vbi poſtea Imperator Ludouicus Pius eſt

conditus. Nec plura Paullus Langobardus de Maioribus Caroli Magni, cuius principatu florebat, ſcripſit, non omiſſurus Blithildim hanc, Chlotharij Francorum Regis (vt aiunt) filiam, ſi Arnulfi Præfecti Aulæ ac Mettenſis Epiſcopi auia fuiſſet, per eámque Carolus Magnus regiæ Merouingorum ſtirpi annexus. Theganus quoque natione Francus, Treuiricæ Eccleſiæ Chorepiſcopus in libro rerum geſtarum D. Ludouici Pij Aug. cuius æqualis fuit, nullâ Blithildis mentione factâ, genus Caroli Magni ad Arnulfum Epiſcopum refert. Primus omnium, ni fallor, Hincmarus Remorum Epiſcopus, qui in gratiam Eccleſiæ ſuæ, poſterorúmque Caroli Magni multas fabulas finxit, cùm in vrbe Mettis capiti Caroli Regis coronam imponeret, haud dubitauit affirmare Ludouicum Pium Aug. eius patrem à *Ludouico Rege Francorum inclyto*, hoc eſt à Chlodoueo Magno *per Beatum Arnulfum* genus deducere: quem Arnulfum ſcilicet Blithildis ex Arnoldo filio nepotem, Chlotharij pronepotem, Chlodouei abnepotem fuiſſe aut credidit, aut aliis perſuaderi voluit.

Eo ipſo anno, quo Theodebaldus deceſſit, poſt Conſulatum Baſilij anno XIV Saxones, gens Germaniæ no- IↃLV
biliſſima, & Britanniæ quondam Galliæque infeſtiſſima, morte Theodebaldi occaſionem ſibi ad libertatem & priſtinam rei militaris gloriam recuperandam oblatam arbitrati rebellauerunt, & adiutoribus Toringis fines Francorum incurſionibus vaſtauerunt. Quâ re cognitâ confeſtim Chlotharius, quàm maximis potuit coactis copiis, in Saxoniam ire contendit, & circa amnem Viſurgim, quem Hiſtorici noſtri Wiſuram & Wiſiram appellant, magnum hoſtium numerum prœlio deleuit, agríſque Saxonum depopulatis, & totâ Toringorum regione vaſtatâ, propterea quòd eis auxilium aduerſus ſe tulerant, onuſtus prædâ domum reuertit. Inſequenti anno, poſt Conſulatum Baſilij V. C. quinto decimo IↃLVj
Chlotharius, cùm Regnum Auſtriæ, quod Theodebaldo mortuo receperat, ordinandarum prouinciarum cauſâ circumiret, audiiſſétque ex ſuis iterum inſanire Saxonas, ac rebellare, & tributa, quæ quotannis pendere

consuetuerant, ipsi conferre recusare, protinus Saxoniam petiit. cuius finibus vbi appropinquauit, Saxones ad eum legatos mittunt, qui pacem peterent, & se contemtores eius non esse, sed quæ fratri eius, fratrisque filio, ac nepoti dependere antea solebant, etiam cum auctario, si ita voluisset, dare paratos se dicerent. Chlothario de conditione accipienda verba facienti à militibus reclamatum est, negantibus hostes fallaces & perfidos promissa seruaturos. Cùm Saxones denuo per legatos dimidium rerum suarum pro satisfactione obtulissent; postremò veste, pecore, bonis omnibus, agríque sui dimidiâ parte pacem redimere frustra tentâssent, obstinatis ad pugnandum Francis, affirmauit Chlotharius, si aduerso Deo dimicare vellent, se certamini non interfuturum. Quibus illi verbis accensi tabernaculum Regis discindunt, & conuicium ipsi, vímque faciendo, mortem etiam minando, secum ire inuitum cogunt, & cruento vtrimque prœlio commisso ita sunt fusi, vt numerus cæsorum iniri non posset: reliqui fugam capessiuêre. Tum Chlotharius, etsi pudebat victum id ab hostibus petere, quod paullo antè cupidissimè petentibus, re integrâ, denegauisset; necessitati parendum ratus legatos de pace ad Saxones misit, culpámque in multitudinem conferens, negauit se sponte cum eis pugnauisse, factáque pace in Galliam reuertit. Marius Auenticensis Episcopus, à Gregorio dissentiens, in Chro-
IƆLV. nico tradit, post Consulatum Basilij anno XIV Chlotharium Regem, quem Chlothacarium appellat, cum Saxonibus rebellibus conflixisse, & multis vtrimque cæsis victoriam tamen eum ex hostibus tulisse. anno insequenti iterum defecisse Saxones, & ab Chlothario victos acie maximam suorum partem amisisse; omnémque agrum Toringorum, qui cum Saxonibus contra Chlotharium coniurauerant, vastatum fuisse. At Auctor Appendicis Chronico Marcellini subtextæ putat annum, qui Theodebaldi mortem secutus est, à bello vacauisse. nam secundam Chlotharij aduersus Saxones expeditionem anno II post primam, póstque Theodebaldi obitum susceptam ac confectam ait.

Tum Turonici in locum Guntharij Episcopi sui defuncti Euphronium Presbyterum, virum non minùs sanctitate quàm nobilitate illustrem, substituendum esse consensere, & ad Chlotharium Regem ex Saxonia reuersum quosdam è Clero Turonico misere confirmationem electionis petitum. Quærenti Regi, cur Catonis Presbyteri Ecclesiæ Aruernicæ, quem Episcopum fieri iusserat, rationem non habuissent, responderunt legati hanc eum dignitatem sibi ab ipsis delatam repulisse. Adhuc loquentibus legatis subitò aduenit Cato, precatúrque Regem, vt eiecto Cautino se apud Aruernos Antistitem constitui iubeat. cùm irrideretur à Rege, periit, (id quod antè recusauerat) vt saltem Turonicæ Ecclesiæ præficeretur. cui Chlotharius Rex ait: ego primùm iusseram te Turonorum Episcopum consecrari: sed, vt audio, despicatui eam Ecclesiam habuisti, ideóque Beati Martini sedem non obtinebis. Euphroniúmque, posteaquam quis esset, & quo genere ortus quæsiuerat, datis litteris Episcopum ordinandum curauit.

Interea Chramnus, iuuentis formâ quidem ingenióque excellens, acer, callidus, sed ambitiosus, & improbus, quem Chlotharius pater Pictonibus, Lemouicibus, Aruernis, ceterisque trans Ligerim gentibus Aquitaniæ post Theodebaldi obitum vice sua præposuerat, ibi ira se gerebat, vt omnibus odio, timoríque esset. Nam & puellas nobiles, nubiléisque iuuenibus vilibus & obscuris, quos vnos amicos & consiliarios lateri suo admouebat, inuitas in matrimonium dabat: & Firminum Comitem vrbis Aruernorum (quem postea Chlotharius in dignitatem restituit) cum Cæsaria socru ex Ecclesia extractum, ac spoliatum fortunis relegauerat, eíque Sallustium Euhodij filium substituerat: multos præterea locupletes prouinciales impulsu Leonis Pictaui, Imnacharij, & Scaparij bonis euertebat. Ob id euocatus à patre, non modò dicto audiens non fuit; sed etiam cum Childeberto patruo suo, qui Chlothario propter occupatum totum Theodebaldi Regnum erat infensus, clàm per nuntios fœdus iniit, coniurationémque aduersus patrem

fecit, ac coactis copiis ex vrbe Pictauis in Lemouices contendit, & quaquà ibat, locis omnibus præsidia imposuit, ita vt Aruerni, qui ei portas clauserant, extra muros egredi non auderent. Quamobrem Chlotharius Charibertum & Guntchramnum filios suos cum exercitu aduersus Chramnum mittit, qui per Aruernos itinere in Lemouices facto, ad Montem Nigrum peruenêre, & castra ibi contra fratrem posuêre, legatísque missis res paternas repetiêre. Affirmante Chramno in patris se potestate & fuisse, & fore, sed loca, quæ possidebat, cum eius gratia tenere cupere, vt controuersia armis diiudicaretur, postulauêre. Minimè detrectauit certamen Chramnus, apparebátque cruentum prœlium futurum, ni iam instructas vtrimque acies subitò coorta tempestas fulguribus, fragore nubium, & imbribus horrenda à pugnando deterruisset. Reducentibus in castra copias fratribus suis, Chramnus clàm ignotum hominem summisit, qui ex Germania venire se, Regémque Chlotharium à Saxonibus victum, & interfectum esse diceret. Quo illi nuntio perturbati, protinus relictâ Aquitaniâ, in Burgundiam redeunt. Chramnus quoque nihilo segniùs subsecutus flumen Elauer, ac Ligerim transit, ingressúsque Burgundiam, Cabillonum oppidum Æduorum ad Ararim positum obsidione capit, & ad castrum Diuionem accedit, sed ab incolis minimè admissus, à Tetrico Episcopo Lingonicæ Ecclesiæ ad Basilicas, qui locus extra castrum erat, hospitio excipitur. inde Luteciam Parisiorum ad Childebertum venit, & amicitiâ cum eo iunctâ inimicum se patris iureiurando profitetur, quo inconsulto Wiliacharij filiam nomine Chaldam iam in matrimonium acceperat. vt Gregorius, Fredegarius, aliique scribunt. Marius Episcopus in Chronico rem aliter narrat, nimirum statim post Theodebaldi mortem, post Consulatum Basilij anno
IↃLV. XIV. Chramnum, filium Chlotharij Regis, ad Childebertum patruum, à quo solicitatus erat, se contulisse; & insequenti anno contracto exercitu Regnum patris sui vastauisse, ac perturbauisse. Marium sequitur Aimoinus: quippe scribit Chlotharium Chramno filio vices suas

ſuas per Aquitaniam commiſiſſe, eúmque poſtea ob rapinas & inſolentiam vt increparet reuocauiſſe. Sed Chramnum inſuperhabitis patris mandatis Pariſios ad Childebertum veniſſe, & tactis Sanctorum reliquiis iurauiſſe numquam ſe cum patre in gratiam rediturum, ictóque fœdere Aquitaniam repetiuiſſe, atque ibi quæcumque potuit occupauiſſe. aduerſus quem Chlotharius, Saxonica expeditione occupatus, Charibertum & Guntchramnum filios cum exercitu miſerit.

Eodem tempore, P. C. Baſilij anno XVI Chlotharius magnum bellum aduerſus Saxones gerebat, qui pecuniâ ab Childeberto ſolicitati, & acceptæ ſuperiore anno iniuriæ memores, in Franciam Tranſrenanam eruperant, nec priùs prædas agere, ac regiónem fœdè populari deſierant, quàm (ſicuti & poſtea regnante Carolo Magno fecere) ad Renum flumen, Diutiámque peruenisſent. quod caſtrum, aduerſum Coloniæ Agrippinæ, & à Fredegario *Diuiciam ciuitatem*, ab aliis Diuzam dictum, nonnulli apud Gregorium in *Nutiam*, hoc eſt Nouesium caſtellum Ciſrenanum, perperam mutauerunt. ɪɔʟᴠɪɪ.

Dum Chlotharius Saxonico bello detinetur, Childebertus libenter credens, id quod audierat, eum à Saxonibus interfectum, & Regnum fraternum iam ſpe præſumens, Campaniam Remenſem ingreditur: regionem igne & ferro vaſtat, ac diripit: quæ adire poteſt, cuncta peruadit: & vſque ad opidum Remos populabundus accedit. Videtur tum Childebertus Compendium cepiſſe, ſi verum eſt, quod in libro de vita Marculfi Abbatis inuenio, Marculfum Baiocaſſinum, natione Francum, ad Childebertum Regem, in caſtro Compendio cum vxore & Optimatibus commorantem, veniſſe petitum, vt donationes prædiorum Monaſteriis ſuis à piis hominibus datorum litteris confirmaret. conſtat enim Compendium, vnum è Palatiis ſeu villis Regum Sueſſionicorum, ad Chlotharium pertinuiſſe.

Quis porrò tertiæ huius ac vltimæ Chlotharij aduerſus Saxones expeditionis euentus fuerit, Gregorius, vir, quàm hiſtoricus, melior, memoriæ non tradidit. Sed in libro rerum geſtarum Dagoberti, &

apud Fredegarium atque Aimoinum inuenimus Chlotharium seniorem Saxonibus *grauissimis* (vt ait Freculfus) *prœliis à se prostratis & deuictis* quingentas boues in annos singulos tributi nomine imposuisse : & Dagobertum Chlotharij pronepotem anno pòst secundo & octogesimo Saxonibus, qui Venedos, Sclauinos dictos, Toringiam, aliósque proximos pagos sæpe vastantes suis se copiis in posterum Francorum finibus prohibituros spoponderant, hoc tributum remisisse. Gregorius in Historiæ libro V, & Paullus in libro II rerum Langobardicarum scribunt Chlotharium, & Sigibertum Reges vacantem agrum Saxonum, qui rogati ab Alboino Rege ad XXX circiter millia vnà cum Langobardis in Italiam transierant, Sueuis dedisse: ac postea Saxones, ne sub Langobardorum ditione essent, ex Italia cum coniugibus & liberis per Gallias in Germaniam reuertisse, atque in finibus, è quibus exierant, à Sigiberto collocatos Sueuis bellum intulisse, & duobus prœliis superatos ac deletos esse. Quod quidem de Sigiberto verè dici, de Chlothario maiore eius patre nullo modo potest, cuius post obitum anno VIII Alboinus Rex, sua parte Pannoniæ Abaribus Hunnis sociis & amicis concessâ, Langobardos, & supradictos Saxones, multos præterea Gipedes, Bulgares, Sarmatas, Pannonios, Noricos, & Sueuos, in Italiam adduxit. Nisi fortè potiùs (sicuti Fredegarius in Epitome, & Aimoinus in libro III Historiæ produnt) Theodebertus senior, Theodorici Chlotharij fratris filius, hosce Saxones in Italiam commigrare iusserat; quos eò videtur misisse, vt locis, quæ ibi occupauerat, tutelæ causa præsiderent. Gregorium, & Paullum secutus non est Sigebertus Monachus, qui Alboino Rege vnà cum Langobardis, Saxonibus, aliisque gentibus Italiam ingresso, Sigibertum Regem agros discessu Saxonum vacuos ac desertos occupauisse, & Sueuis colendos dedisse dicit. Ex his apparet Saxones, si non interiores, saltem fluminis Visurgis accolas, Toringis & Cattis finitimos, ante annos ferè trecentos, quàm nomen omne Saxonum diuturno bello domitum Carolus Magnus Christianam religionem, & imperij iugũ recipere cogeret, à Theodorico Chlodouei

filio ſtipendiarios eſſe factos : & Theodeberto , Theodebaldo, Chlothario maiori, Sigiberto, Childeberto, Theodeberto, ac Chlothario minori Regibus Francorum per annos ampliùs centum eos tributa pependiſſe. Vnde Theodoricum in bello Toringico, & Theodebertum iuniorem Childeberti filium in bello ciuili Saxonum operâ vſos legimus: & Saxones cum Francis auxilium Paullo tyranno aduerſus Wambam Veſigothorum Regem tuliſſe. Neque tamen rarò iidem intra id tempus rebellauere. Nam Fortunatus in libro VI Carminum, & Aimoinus in libro III Hiſtoriæ auctores ſunt Sigibertum, Chilperico fratri adiunctum, pulſos acie Saxones, qui Toringos, & Danos ſocios ſibi adſciuerant, pacauiſſe. & Paullus in libro IV rerum Langobardicarum, ac Aimoinus in libro III ſcribunt Francos, qui ſub Theodeberti minoris imperio erant, VII regni eius anno cum Saxonibus pugnauiſſe, & magnam vtrimque cædem eſſe factam. Eoſdem Bertoaldo duce, violatâ fide, bellum Dagoberto Regi Orientalium Francorum intuliſſe, atque à Chlothario, & Dagoberto Regibus occiſo Bertoaldo fuſos fugatóſque, agros vaſtatos, puberes omnes interfectos eſſe conſtat. Poſtea Saxones, quòd ſicuti pleræque Gentes Francis ſubiectæ, Præfectorum aulæ imperia detrectabant; Pippini & Caroli Ducum armis fracti obſides dedere, ac tributa pacti ſunt. deinde à Carolomanno, Caroli filio, deſciuerunt, móxque ſubacti, ac in deditionem accepti; plurimíque ex his Chriſtianis ſacris initiati ſunt: à Pippino quoque victi ſe in Concilio, quod tum menſe Maio quotannis indicebatur, honoris causâ trecentos equos Regi daturos iurauerunt.

Dum Childebertus Francorum Rex Campaniam Remenſem abſente fratre depopulatur, Auſtrapius Dux metu Chramni in Baſilicam Sancti Martini confugit, móxque reuertente ex Saxonia Chlothario Rege periculo liberatus eſt. Hic paullo pòſt Clericus factus apud Sellenſe caſtrum in Pictonibus Epiſcopus ordinatur, & Pientio Pictauorum Epiſcopo deſtinatur ſucceſſor. Sed Charibertus Rex, Chlotharij filius, mutatâ

ſententiâ, in locum Pientij Paſcentium Abbatem Baſilicæ Sancti Hilarij ſubſtitui iuſſit, fruſtra querente Auſtrapio, & hunc ſibi locum deberi clamitante, qui regreſſus in caſtrum ſuum, ſeditione orta, à Teifalis acceptas iniurias vindicantibus interemtus eſt, & vt ait Gregorius, diœceſes ſuas Pictaua Eccleſia recepit. Ex quo intelligitur Taifalos, gentem Scythicam, puerorum ſtupris infamem, quos Gregorius Teifalos appellat, tum in agro Pictonico, Sellenſique caſtro ſedem habuiſſe. Eoſdem Taifaliam vicum in finibus Pictonum incoluiſſe, & à ſe cognominauiſſe auctor eſt idem Gregorius in libro de vita Senoci Abbatis, & in Hiſtoriæ libro V, cùm ait beatum Senocum Preſbyterum, *genere Teifalum, ex Pictauo pago, quem Teifaliam vocant, oriundum fuiſſe*, & Clericum factum, in agro Turonico Monaſterio ſtatuto, multis virtutibus claruiſſe, ac paullo poſt Sigiberti Regis Chlotharij filij mortem deceſſiſſe. Eſt autem Taifalia vicus Pictonum, inrer Clichonem & Moritaniam poſitus ad Cebram flumen apud Namnetas in Ligerim exiens, hodiéque dictus Tifaugia. Horumce Taifalorum Gallicanorum mentionem facit Glaber Rodulfus Cluniacenſis Monachus, in libro V rerum ſua ætate geſtarum, in quo ſcribit *homuncionem quemdam genere Teifalum à partibus Galliarum in Africam* ad Anachoritam famâ notum *veniſſe*. qui Auctor ante annos ferè IↃC Henrico Rotberti filio regnante viguit. Multi igitur Taifali, relictis domibus ſuis, in finibus Pictonum non longè à Ligere & Oceano ſedem cepere. Sed quo tempore, cuiúſve ductu Galliam ingreſſi ſint, & in ſupradicta Aquitaniæ parte conſederint, ſcire difficile eſt. Erunt fortaſſe, qui credent hos Taifalos ortos eſſe à *Taifalis Gentilibus*, quorum vnà cum Sarmatis præſidium Pictauis fuiſſe docet Notitia prouinciarum Imperij Romani. Equidem cùm animaduertam Taifalos Sarmatis & Vandalis fuiſſe finitimos, atque cum Teruingis, gente Gothica, Daciam Tranſdanubianam incoluiſſe, exiſtimo partem eorum Alaricum Regem Gothorum ſecutam eſſe in Italiam, ac mox duce Ataulfo, Alarici ſucceſſore, in Gallias veniſſe, atque tandem

in agro Pictonico, parte nimirum Aquitaniæ secundæ, quam Gothis Honorius Aug. ad habitandum dederat, consedisse: Chlodouéumque Francorum Regem, cùm victo cæsóque Alarico Rege Gothos ex Aquitania expelleret, ac interficeret, Taifalos quietos & imperata facientes in suis sedibus reliquisse. Nisi quis mauult hosce Taifalos vnà cum Alanis finitima gente ductu Goaris Regis Gallias petiisse, & in agro Pictonum circa Ligerim Honorij principatu sedem cepisse. idque eo verisimilius videtur, quòd imperante Placido Valentiniano Honorij successore, pars Alanorum trans flumen Ligerim considebat. vt in libro de origine Gothorum tradidit Iordanes. His animaduersis ad ordinem reuertendum est.

Paullo post populationem Campaniæ Remensis, Childebertus Francorum Rex Luteciam Parisiorum regressus in morbum incidit, quo diutissimè conflictatus, ac tandem oppressus decessit. Quam puto causam fuisse, quare Chlotharius reuersus ex Saxonia ab eo factam absenti sibi iniuriam non vindicauerit, nec bellum inferre voluerit ægrotanti fratri, cui breui morituro successurus erat. De anno, quo Childebertus obiit, obscurum est. Auctor Appendicis Chronico Marcellini subtextæ Indictione V post Consulatũ Basilij V.C. anno XVI IↃLVII.
eum decessisse scribit, Marius Indictione VI post Consulatum Basilij anno XVII. cui ego Auctori eo libentiùs IↃLVIII.
accesserim, quòd Childebertum & Chlotharium videre potuit. nam Guntchramno regnante floruit, & statutis Concilij Matisconensis II. subscripsit. Vt appareat errare Herimannum Contractum, ac Sigebertum: è quibus Herimannus Chlodoueum Magnum anno Christi nati IↃXXIII, Childebertum eius filium anno IↃLXIII, regni quadragesimo obisse tradit. Sigebertus illum anno IↃXIV, hunc Christi IↃLIX, regni quinto & quadragesimo mortuum ait. Sepultus est à Germano Episcopo Ecclesiæ Parisiacæ Childebertus in Basilica B. Vincentij Martyris, quam reuersus ex Hispania condiderat. Vsuardus Monachus huius ipsius Monasterij in Martyrologio, quod Carolo Magno Augusto nuncupauit, vno eodémque die (nescio an & anno) dedicatã Ecclesiam, & sepul-

tum in ea Childebertum Regem Francorũ docere videtur, cùm X *Kal. Ianuar. Parisiis dedicationem Basilicæ in honore S. Crucis, & S. Vincentij Martyris; ac depositionem Domini Childeberti Regis* ait celebrari. Sic Chlotharius mirâ quadam felicitate Theodorici, Theodeberti, ac Childeberti, quorum aut insidiis petitus, aut armis oppugnatus erat; & superstes, & successor fuit. vti postea nepos eius Chlotharius Childeberti fratris patruelis sibi infestissimi, & Theodeberti, ac Theodorici, à quibus magnâ regni patrij parte spoliatus fuerat; hereditatem obiit. & Carolus, Ludouici Augusti filius minimus natu, post obitum filiorum Lotharij germani fratris, qui paternis bonis eum excludere voluerat; Regnum Lotharij, & Imperium Romanum obtinuit. Gregorius de vita Nicetij Lugdunensis Episcopi hunc *Childebertum Seniorem*, & in libro de vita Patrocli *Childebertum Parisiorum Regem*, appellat, Sacerdotémque Lugdunensem Antistitem, qui Nicetij auunculus erat, & Mumionem præcipuè dilexisse ait.

Non facilè reperias, cuius pietas, & de summis Ecclesiæ rebus solicitudo multis & magnis experimentis testatior fuerit, quàm Childeberti. Nam vt omittam Basilicas, Xenodochia, Monasteria, Luteciæ Parisiorum, Lugduni, Arelate, aliísque in locis ab eo exstructa; edictúmque promulgatum, quo simulacra Dæmonum deiici iussit: quantumcumque splendoris, & incrementi Childeberto regnante Ecclesiæ Gallicanæ accessit, (accessit autem plurimum) huic vni acceptum referri debet. Cui rei indicio sunt Concilia Episcoporum IV in opidum Aurelianorum, vnum Arelate, duo in vrbem Luteciam mandato eius indicta. ex quibus Concilium Aurelianense tertium Nonis Maij, *quarto*
IↃXXXVIII. *post Consulatum Paullini iunioris V. C. anno* XXVII *regni Domini Childeberti Regis*; Concilium Aurelianense
IↃXLIX. quintum V *Kal. Nouembris, anno* XXXVIII *regni D. n. Childeberti, Indictione* XIII; Concilium Arelatense quin-
IↃLIV. tum III *Kalendas Iulias, anno* XLIII *regni Domini Childeberti Regis, Indictione* II, non (vt mendosè subscriptio Sapaudi Episcopi præfert) III habitum fuisse legimus.

Annus autem quartus post Consulatũ Paullini iunioris, Ioannis Consulis nomen ferens; post Felicem & Secundinum Consules, siue post Chlodouei obitum, & initia principatus Childeberti septimus ac vicesimus est. & Indictione XIII, V. Kal. Nouemb. Childebertus XXXVIII imperij anni mensem vltimum ingrediebatur, Indictionísque XIII diem XXXIV agebat. siquidem à die VIII Kal. Octobris Galli Indictionum principia ducebant. vt appareat verum esse, quod diximus, Chlodoueum Felice & Secundino Coss. decessisse. Non possum mihi temperare, quin huic loco inseram, quot qualésque viros Childebertus suarum virtutum præcones inuenerit. Vigilius Romanæ Ecclesiæ Episcopus in duabus epistolis, quarum alteram IV P. C. Basilij V. C. ad Au- IↃXLV.
xanium, Arelatensium Episcopum, alteram ad Aurelianum Auxanij successorem quinquies P. C. Basilij mi- IↃXLVI.
sit, *Gloriosissimi viri, filij sui, Childeberti Regis Francorum Christianam deuotionem*, ac Deo placitam voluntatem laudat: & vtrumque monet, vt de seruanda pace & amicitia Iustiniani Aug. Sacerdotali studio eum hortetur. Idem P.C. Basilij anno IX Aureliano supradicto scribens IↃL.
Constantinopoli, vbi à Iustiniano pridem retinebatur, eius partes esse ait, Gloriosum filium suum Childebertum Regem sæpius orare, vt quemadmodum *Catholico Rege, & venerationem integram Sedi Apostolicæ exhibente dignum est, Fidem & Ecclesiam omni virtute defendat*, & de Sede Apostolica solicitus Regem Gothorum (hoc est Totilam, qui ante annum Romam ceperat) per litteras dignetur deterrere, ne is alterius sectæ sectator aliquid Romæ faciat, fieríve permittat, quo Catholica Ecclesia perturbetur: hoc est, ne in suum absentis locum alium Episcopum substituat. Ex quo apparet Childeberti auctoritatem apud exteros Principes plurimùm valuisse: & Francorum Reges vno ferè tempore factos esse Christianos, atque Episcoporum vrbis Romæ patronos ac defensores. Episcopi Gallicani, qui Indictione XIII Aurelianis conuenerunt, *clementissimum, & piissimum Principem*, amantem sacræ Fidei, ac religionis, *& triumphorum titulis inclytissimum Dn. Childebertum*

Regem vocant, ac Lugduni xenodochium exstruxisse auctore Vltrogothone Regina commemorant. Eumdem Pelagius vrbis Romæ Episcopus *Dominum filium, merito gloriosissimum atque præcellentissimum*, appellat; & sincero amore sanctæ Ecclesiæ multis Regibus clariorem factum esse, & pro tranquillitate eius præcipuam curam gerere
IↃLVII. dicit: atque per Rufinum legatum anno XVI P. C. Basilij ob id Romam missum interroganti, quid de Papæ Leonis epistolis, & Synodi Chalcedonensis constitutis sentiret, ne suspectus hæresis esset, longâ epistolâ, & Catholicæ Fidei professione se purgat. Memoria dignum est, quod Fortunatus Presbyter in libro de vita Germani Parisiorum Episcopi tradit, Childebertum VI millia solidorum, egentibus dispertienda, Germano misisse, & fractas aureas lances, vasáque argentea concisa hos in vsus sancto Antistiti dedisse: quem in VI Carminum libro *Regem placidum, mitem, sapientem, bonum, ac æquum omnibus fuisse* dicit, grauitérque mortem tanti Principis tulisse Parisios: & à Palatio in Basilicam B. Vincentij per hortos, qui postea Vltrogothonis Reginæ fuerunt, transire eum solitum ait, ibíque malos manu eius insitas ostendi. Idem eundem in libri Carm. II Carmine XI pium, in ædificandis ac ditandis Ecclesiis munificum, & diuini cultus adeò studiosum fuisse affirmat, vt Episcopis esset exemplo. præterea Ecclesiam Parisiacam ab eo exstructam scribit his versibus,

Splendida marmoreis attollitur aula columnis,
Et quia pura manet, gratia maior inest.
Prima capit radios vitreis oculata fenestris:
Artificísque manus clausit in arce diem.
Hac pius egregio Rex Childebertus amore
Dona suo populo non moritura dedit.
Totus in affectu diuini cultus adhærens,
Ecclesiæ iuges amplificâuit opes.
Melchisedech noster, merito Rex, atque Sacerdos
Compleuit Laicus relligionis opus.
Publica iura regens, & celsa Palatia seruans,
Vnica Pontificum gloria, norma fuit.
Hinc abiens illic meritorum viuit honore,

Hic

Hic quoque gestorum laude perennis erit.

Et Childebertus quidem pietatem, ceterásque pacato Principi conuenientes virtutes ita coluit, vt ab armis nequaquam esset alienus. cui rei est indicio bis intrata ac subacta Burgundia; vindicata in Amalaricum Regem sororis iniuria; penetrata ac excisa Hispania. Sed has omnes dotes Childebertus nimia alieni cupiditate fœdauit, qua impulsus Theodorico fratri suo Aruernos eripuit, Chlodomeris fratris filios per Chlotharium interemit, Theodeberrum similiter, adiutore Chlothario, ac mox Chlotharium ipsum inuicem Theodeberti operâ Regno spoliare conatus est. Vt appareat verum quoque esse, quod ait in fine libri tertij Gregorius, Childebertum *versutum, & aduersus Chlotharium Regem semper inuidum fuisse.* Nam de icto cum Chramno fœdere, & de Campaniæ Remensis populatione loqui nihil attinet. in quo videtur Childebertus iniuriam iniuriâ vlcisci voluisse, à Chlothario fratre natu minore dimidia Theodebaldi Regni parte priuatus.

In Vsuardi Martyrologio [illegible] legitur, ad X. Kal. Januarij. Parisius Depositio Domni Childeberti Regis.

Habuit in matrimonio Childebertus Vltrogothonem, quam vetus Auctor libri de vita Baldechildis Reginæ *Vltrogotham Reginam, Childeberti Christianissimi Regis coniugem* appellat, & tutricem fuisse pupillorum, nutricem egentium, Fidelium Monachorum adiutricem dicit. Ex ea Childebertus filias duas, Chrotbergam, & Chlodesindam, Chlotharij filiæ sorori suæ patrueli cognominem tulit: quas ambas adultas virgines vnà cum Vltrogothone matre in exsilium misit Chlotharius, simul ac Regni & thesaurorum Childeberti fratris sui potitus totum paternum. Regnum solus obtinuit. vt Gregorius, & Fredegarius in Epitome scribunt: è quibus Fredegarius Vltrogothonem malè Walderadam vocat. Quamquam ego (pace Gregorij dixerim) vix crediderim Chlotharium magno Principem animo, iam compotem votorum suorum, conceptum in fratrem odium ob Campaniæ Remensis populationem in mortui coniugem ac filias innocentes effudisse. Certè in quibusdam Aimoini exemplaribus reperio eas, vnà cum Chlothario, dedicationi Ecclesiæ Sancti Vin-

centij post Childeberti obitũ interfuisse, complura prædia Monasterio dedisse, donationémque scripto confirmauisse. Constat quidem saltem Vltrogothonem, eiúsq; filias, si à Chlothario in exsilium actæ sunt, à Chariberto Chlotharij filio & successore paullo pòst in patriam esse reuocatas. quippe Venantius Clementianus Fortunatus in libro Carminum sexto scribit Dominam Vltrogothonem Reginam, filiásque eius duas Childeberto mortuo Luteciæ Parisiorum in domo, hortísque amœnissimis, qui Childeberti fuerant, habitauisse: atque sub regio mundeburde; hoc est sub tutela, ac defensione Chariberti Parisiorum Regis securè & honoratè vixisse. Versus Venantij Fortunati huic loco non intempestiuè inserturus mihi videor.

Charibertus adest, qui publica iura gubernans,
Tempore præsenti gaudia prisca refert.
In tantum patrui se prodidit esse sequacem,
Vt modò sit tutor coniugis iste nepos:
Qui Childeberti retinens dulcedine nomen;
Eius natarum est frater, & ipse pater.
Quæ bene defensæ placido moderamine Regis,
In consobrino spem genitoris habent.

Quibus ex versibus etiam iudicari potest, id quod iam inde ab Honorio Principe in vsu esse cœpit, fratrum & sororum filios, nepotes; fratres patrueles, tum promiscuè consobrinos dictos esse: atque lenem Francos *Bertum* appellauisse. siquidem Fortunatus ait Charibertum Regem Childeberti patrui sui vt Regnum obtinuisse, sic lenitatem, dulcedinémve morum re & nomine referre. Quamquam Auctor libri de vita Bertæ Abbatissæ *Bertum*, clarum, fulgentem & splendidum interpretatur.

Childeberti mortem breui Chramni exitium secutum est. Is enim, amisso tanto præsidio inops consilij, cùm ad patrem venisset, & impetratâ veniâ persanctè iurauisset ei se morigerum futurum, fidémque paullo pòst nescio quo facto violauisset, videns se euadere non posse, cum coniuge & filiabus suis in Britanniam citeriorem perfugit ad Conobrum Britannorum Comi-

tem, quem vetus quidam ſcriptor rerum Francicarum, Auctor Appendicis Chronico Marcellini adiunctæ, & Aimoinus *Cunobertum*, vel *Conabum Britannorum Regem* appellant, Sigibertus *Brittonum Ducem*. Britannicis adiutus auxiliis mercede conductis Chramnus Regnum patris ingreditur; prædas agit; multa loca igne & ferro vaſtat. Wiliacharius quoque, *Vuillebarius* Aimoino dictus *Dux Aquitaniæ*, minis Chlotharij territus, qui eum Chramni generi ſui partibus fauiſſe arguebat, in Baſilicam Martini monumento ac nomine inſignem cum vxore confugit. vnde quoniam à Chlotharianis extrahi non poterat, admoto igne viuus exuſtus eſt, atque Baſilica pariter incenſa: quam protinus Euphronius Turonicus Epiſcopus, Chlotharij Regis liberalitate adiutus, magnificè reſtituendam, & ſtanneis tegulis tegendam curauit, ſicuti ait Aimoinus. nam Gregorius & Fredegarius Baſilicam Martini propter Wiliacharium incenſam tantummodò dicunt.

Chlotharius Chramni furore ad arma compulſus, magnis coactis copiis, vnà *cum reliquis filiis ſuis*, vt Freculfus ſcribit, rebellem in Britanniam citeriorem properè perſequitur. Vnde apud Fortunatum in libri IX Carmine primo dicitur Chilpericum præter ceteros vti belli Saxonici, quod Saxones cum Æſtiis, & Danis coniuncti ciuerunt; ſic Britannici huiuſce commilitonem habuiſſe. Per agrum Aulercorum Cenomanorum iter facientem Chlotharium Conſtantianus Abbas, vir ſanctiſſimus hoſpitio accepit, iráque & inediâ ægro, ac vix mentis compoti vt cibum ſumeret perſuaſit, & diſcedenti bene precatus victoriam prædixit. inde fines Britanniæ ingreſſo Chramnus & Conober armati obuiam ierunt. Eo die productæ vtrimque ac inſtructæ in campo copiæ ſub Solis occaſum citra certamen in caſtra reducuntur. Proximâ nocte Conober cum Chramno egit non oportere eum pugnæ intereſſe: nefas enim eſſe filio cum patre confligere: ſe, ſi permitteret, confeſtim hoſtibus ſuperuenturum, & ſemiſomnes, ac improuiſo periculo territos oppreſſurum. Diſplicuit Chramno ſalubre conſilium. Huic enim Deus, ne diutiùs ſcele-

rum ſuorum impunitate frueretur, oculos mentis præſtrinxerat. Poſtridie manè prœlium non procul à mari committitur: orante cum planctu & lacrimis, ac obteſtante Deum Chlothario, vt tamquam Dauidem olim ab Abſalone; ſic ſe ab impio & periuro filio vindicaret. Pugnatum eſt vtrimque acriter, cùm alios indignatio, alios ſpes victoriæ ad fortiter faciendum incitaret. tandem Britanni terga verterunt: quos Franci vſque ad naues inſecuti, maximam eorum multitudinem conciderunt. Conober in fuga periit. Chramnus poterat quidem euadere, ſi vni ſibi conſulere voluiſſet. ſed dum vxorem, & filias ſecum abducere, & in naues, quas ad fugam præparatas habebat, imponere conatur, vnà cum his ab exercitu patris oppreſſus capitur, atque vincitur. Quod vbi Chlothario Regi nuntiatum eſt, iuſſit eum cum vxore & liberis igne conſumi. Milites, vt erat imperatum, captos agreſti caſa cuiuſdam pauperculæ concludunt: linteum, quod orariũ vocant, Chramni ſuper ſcamnum porrecti collo circumdant, idque nodo vinctum vtrimque ad ſe trahentes, deformi mortis genere iuuenem in ſpem regni genitum occidunt. tum Chaldam coniugem Chramni, Caltem Aimoino dictam, feminam nobiliſſimam atque clariſſimam, & filias ex ea ſublatas admodum infantes, ne quod ſceleris veſtigium exſtaret, igne in tugurium iniecto viuas exuſſere. vt Gregorius in IV Hiſtoriæ libro, & Fredegarius in Excerptis ſcribunt. Poſt Conſulatum Baſilij
IↃLX. anno vndeuiceſimo periit Chramnus, quem Marius in Chronico, anno ſupradicto, Fortunatus de vita Medardi, ac Fredegarius in Epitome cum coniuge & liberis crematum; Auctor Appendicis Chronico Marcellini ſubtextæ, & Freculfus viuum combuſtũ fuiſſe tradunt, & Chrannum, ac Grannum appellant. Addit Freculfus Chlotharium victis Brittonibus, gentem eam ſubegiſſe, ac tributariam feciſſe: cùm Marius Auenticenſis Epiſcopus, vetus & grauis Auctor, tantùm eorum regionem à Francis totam exciſam fuiſſe dicat.

Dum Chlotharius ex Britannia reuertitur, Medardus, natione Francus, Viromanduorũ, Nouiomagenſium, ac

Turnacensium Episcopus, vir omnibus virtutibus præstans, & sanctitate magis, quàm senectute venerabilis grauiter ægrotabat. qua cognita re Chlotharius visendi eius gratiâ Nouiomagum Suessionum, quò sacerdotalem sedem transtulerat, venit, mortuúmque in prædio regali Croiciaco, trans flumen Axonam in conspectu vrbis Augustæ Suessionum posito, sepeliri honorificè iussit, eiúsque tumulum cellula, vel paruo tugurio ad tempus sepsit, donec magnificentissimam amplissimámque Basilicam sepulcro circumdaret, quam moriens inchoatam, ac Sigiberto filio perficiendam reliquit. Turnacenses autem, qui post Eleutherij Episcopi sui obitum Medardi Nouiomagensis Episcopi curæ commissi fuerant, ab eo tempore vsque ad Simonem per annos circiter IↃC non alios quàm Nouiomagenses Episcopos habuerunt. Hîc notandum est errare eos, qui Medardum Nouiomagensium Episcopum, & Gildardum Rotomagensem Antistitem fratres geminos fuisse, & vno eodémque die vt natos, sic Sacerdotes factos, ac mortuos aiunt. cùm Gildaredus, seu Gildardus Episcopus Ecclesiæ Rotomagensis Metropolis Felice Cos. Chlodoueo IↃXI. regnante, hoc est ante annos L, quàm Medardus decederet, Concilio Aurelianensi interfuerit. Quare ambo apud Vsuardum eodem quidem die, nimirum VI Idus Iunias, at non eodem anno obisse, aut germani fuisse dicuntur.

Post Consulatum Basilij anno vicesimo, imperij Iu- IↃLXI. stiniani XXXV, Indictione IX, Chlotharius Cæsarodunum Turonum ad limina S. Martini contendit, Beatúmque Episcopum gemens, ac monumento eius affixus orauit, vt omnium, quæ negligentia & iniquitate lapsus commiserat, peccatorum veniam suis sibi precibus à Deo impetraret: multísque donis ornato loco, & per religiosissimas quasque Sanctorum Basilicas magnâ pecuniâ diuisâ, domum regressus Cotiam siluam petiit, vbi cùm more Regum Francorum autumnali venatione se exerceret, subitò in grauem incidit febrim, & Compendium, villam publicam, seu Palatium regium siluæ proximum repetiit, ac paullo pòst vi morbi op-

pressus decessit. Dicitur moriens, cùm viscera torrerentur à febre, adstantes interrogauisse, qualem in cælo regnare putarent Regem, qui magnis & potentibus Regibus sic eriperet vitam. Obiit Chlotharius Rex Indictione IX (vt scribit Marius) post Consulatum Basi-
IↃLXI. lij anno XX, CCCLXVI die postquam Chramnus perierat: & sicut quondam Chlodoueus pater suus, IV filios adultæ ætatis, Charibertum, Guntchramnum, Chilpericum, & Sigibertum reliquit superstites, qui eum honorificè per XXX passuum millia magnâ Clericorum psallentium frequentiâ Augustam Suessionum delatum in Basilica B. Medardi, vt ipse præceperat, ante altare S. Episcopo consecratum sepeliuere, ac Regnum patrium viris tum armisque florentissimum ac maximum, quod Galliam atque Germaniam ferè omnem complectebatur, quadripartitum inter se sortiti sunt.

Quod ad annum vltimum regni Chlotharij pertinet, Marium Auenticensem Episcopum, diligentem Auctorem libentiùs, quàm Gregorium eius æqualem, Fredegariúmque, & Aimoinum ac Herimannum Monachos sum secutus: propterea quòd *anno* VI *regni Glo-*
IↃLXVII. *riosissimi Guntramni Regis Indictione* XV Concilium II Lugduni habitum lego. Indictio autem XV, siue annus primus Consulatus Iustini iunioris Aug. post mortem Chlotharij, quem Indictione IX decessisse ait Marius, annus est sextus. Præterea decretum Episcoporum duorum & triginta, qui Luteciæ Parisiorum conuenerunt, datum dicitur *die* III *Iduum Septembrium, anno* XII *Dominorum Regum Indictione* VI *Parisiis*. Similiter & Synodum Episcoporum Gallicanorum XVII Valentiæ habitam inuenio *anno* XXIII *regni gloriosissimi Domini Guntchramni Regis, Indictione* II. Vt appareat, cùm Indictionis XV finis semper initium esset primæ, Chlotharium Indictione IX exeunte, post Consulatum Basilij
IↃLXI. V.C. anno vicesimo, imperij quinquagesimo mortem obiisse, eiúsque filios Indictione quintadecimâ sextum regni sui annum; Indictione sexta duodecimum; Indictione demum II tertium ac vicesimum egisse. Quamobrem Sigebertus in Chronico Chlothario non ampliùs

quinquaginta regni tribuit annos. quippe Chlodoueum Regem anno Chriſti IↃXIV, Chlotharium eius filium IↃLXIV anno obiiſſe memoriæ tradit. Ceterùm Gregorius, ſi Chlotharium tantùm LI regni ſui anno exſpiraſſe diceret, ac non etiam eodem hunc anno Cæſarodunum Turonum petiiſſe affirmaret; videri poſſet à Mario minimè diſſentire. Cùm enim Chlodoueus Rex Chlotharij pater Felice & Secundino Coſſ. v Kalendas IↃXI.
Decembres (vt ſuprà ſcripſimus) à filiis ſuis elatus ac ſepultus fuerit, dummodò Chlotharius P. C. Baſilij IↃLXI.
V.C. anno XX decedens, huncce diem exceſſerit, (quatuor autem & triginta dies ex anno ſuperſunt) non falsò dicetur ad annum imperij primum & quinquageſimum perueniſſe.

Opportunum videtur, antequam volumen hoc, opúſque finiamus, de Chlotharij Regis virtutibus & vitiis aliquid dicere. Erat Chlotharius, vt robuſto corpore, ita fortitudine & laboris patientia eximia. qui præter bella ab Auctoribus noſtris omiſſa, duas aduerſus Burgundiones expeditiones ſuſcepit, cum Chlodomere & Childeberto fratribus priorem, poſteriorem cum Childeberto, ac omnem Burgundiam fuſo fugatóque Godomaro Rege perdomuit: Theodoricum in Toringiam magna manu ſecutus, Herminafridum Toringorum Regem vicit acie: adiunctus Childeberto Cæſarauguſtam obſedit, & totam ferè Hiſpaniam Tarraconenſem depopulatus eſt: nec ſenectute ſegnior, aut in exſequendo tardior factus, Saxones rebellantes, ac tributum ipſi pendere recuſantes, ter continuo triennio aggreſſus eſt, ſubactiſque vectigal impoſuit: Britannos demum, Chramno aduerſus ſe ferentes auxilium, prœlio ſuperauit. ſemper inuictus, niſi quòd ſemel ferociâ ſuorum ſeditioſè pugnam expoſcentium, nec vllam pacis conditionem accipientium, in Saxonia magnam copiarum partem amiſit: ita vt ſcientia rei militaris, virtute, ac felicitate Chlodoueum parentem ſuum, & Theodoricum fratrem non modò æquauiſſe, ſed etiam ſuperauiſſe videatur. Acutum eum & callidum fuiſſe docent vitatæ in Toringia Theodorici fratris inſidiæ;

ſiluæ Arclaunenſis Childeberto ac Theodeberto obie-ctæ concædes; fraus fraude vindicata, cùm fraudatus à Childeberto pecuniâ, quam Theodahadus Italiæ Rex miſerat, theſauris Chlodomeris manum iniecit; ac totum Theodebaldi Regnum dolo magis quàm vi occupatum, adeò vt iure Childebertum fratrem natu maiorem excluſiſſe videri vellet. Quare non immeritò Venantius Fortunatus in libri VI Carmine IV Chlothario conſilium & acumen; Childeberto bonitatem pietatémque attribuit. quas omnes animi dotes Chariberto Chlotharij filio ineſſe ſcribit his verſibus,

Prædicat hinc bonitas, illinc ſapientia plaudit.
Inter vtrumque decus te ſibi quiſque rapit.
De patruo pietas, & de patre fulget acumen.
Et reparas ſolus lege fauente duos.

Et in libro IX Chilpericum virtute Chlothario patri, eloquentiâ Childeberto patruo ſimilem fuiſſe dicit,

De virtute pater reparatur, auunculus ore.

Sigibertum Regem ſimiliter in libro VI à patre virtutem ait habuiſſe, atque in verſibus tumulo Chlotharij Guntchramni Regis filij inſcriptis Chlotharium noſtrũ, auum regij pueri, *Magnum* appellat. Ex quo ſatis intelligitur eum primarium bellatorem, fortiſſimúmque ducem, & maximæ in bello habitum eſſe virtutis. Multa Chlotharius, præcipuè paucis ante obitum annis, pietatis ac liberalitatis præbuit exempla. ſiquidem mortuo Theodebaldo Rege, Maurũ Abbatem Glannafolienſem *frequenter ad ſe euocauiſſe, ac eius conſiliis vſus eſſe* dicitur, & Glannafoliũ veniſſe cum paucis, Monaſterióque Blaſonem, ac villam Longum campum, Monachis eligendi Abbatis poteſtatem ſcripto conceſſiſſe, & poſtquam Maurus bene ipſi precatus erat, abiiſſe. Idem de ſua ſede deſiliens *flexo genu Iunianum* Preſbyterum & Abbatem (ſicuti ſcribit Wlfinus Epiſcopus) *adorauit*, & ſanctiſſimum hominem, vt pro ſe domóque ſua, ac pro ſtatu Regni Deum oraret, deprecatus, atque ad cellulas in agro Lemouicum exſtruendas, Monachóſque congregandos hortatus eſt, dimiſſúmque parte prædij regalis nomine Gauarciaci per Aurelium virum illu-
ſtrem

ſtrem attributa donauit. Conſtantianum quoque Abbatem, à quo erat exceptus, cùm Chramnum in Britanniam perſequebatur, rebus fiſci, & aliis bonis muneribúſque ditauit. Medardum Nouiomagenſem ac Turnacenſem Epiſcopum, ne pijſſimi Antiſtitis benedictione priuaretur, viſitauit ægrotum, defuncti *corpus ſuis ipſe humeris ſuſtulit*, Epiſcopóſque & Optimates ad ſanctum onus ſubeundum ſuo incitauit exemplo, ac non multo pòſt moriens Sigiberto filio mandauit, vt quam Deo vouerat, ac iam ſuper B. Confeſſoris tumulum inchoauerat, Baſilicam ex auro, argento, & cuiuſque generis lapidibus huic operi à ſe præparatis abſolueret. Ne de Baſilica Sancti Martini loquar, quæ piâ munificentiâ eiuſdem Regis reſtituta, & ſtanneis tegulis tecta eſt: aut de libris, in quibus Turoni deſcripti erant, iuſſu eius incenſis, vt ciuitas in Martini Antiſtitis gratiam eſſet immunis. Sed Chlotharij virtutum ſplendorem obſcurauit ſæuitia, nonnumquam cum alieni rapiendi cupiditate coniuncta, qua impulſus cognatum ſuum, fratrem Radegundis vxoris, inſontem ſpiritu priuauit: Chlodomeris fratris filios, vt debitum eis Regnum occuparet, ſuapte manu interimere ſuſtinuit, ac Childeberto pro Gunthario vitam precanti mortem minatus eſt: Theodeberto quoque vitam Regnúmque eripere voluit: Vltrogothonem Reginam, Childeberti fratris coniugem, filiáſque eius innocentes in exſilium miſit: poſtremò Chramnum, rebellem quidem & malum filium, ſed tamen filium, crudeliter interfecit, nec contentus iuuenis cæde, vxorem eius, immunem delictorum viri ſui, filiáſque infantes occidit, credo vt reliquos filios ſuos, quos de induſtria ſecum in Britanniam adduxerat, magnitudine pœnæ deterritos in obſequio contineret. Cuius tamen eum cædis breui pænituit. hanc enim præcipuè ob cauſam (vt puto) limina B. Martini paullo pòſt petiit, & omnium, quas commiſerat, culparum, ac in primis nouiſſimæ huius atrocitatis veniam precatus, deinde mærore magis quàm febri conſumtus eſt. Quantopere præceps in venerem Chlotharius fuerit, docent tot in-

cesta matrimonia contracta, Gundeucâ, Chlodomeris fratris sui vxore, sibi coniunctâ, vno eodémque tempore duabus sororibus in torum receptis, Vuldetrada Theodebaldi coniuge domum ductâ. Nec facile dictu est, vtrum ardentiùs concupiuerit vxores propinquorum viduas inire, an regna occupare. pæne vt credam Vltrogothonem, quia vetula erat, in exsilium missam, mitiúsque cum ea acturum fuisse Chlotharium, si adolescens, & apta veneri fuisset. Iam verò quod Ingundi vxori dicebat, neminem se ipso sapientiorem inuenisse, cui Charegundim in matrimonium collocaret, & illa suprema verba mirantis ac velut indignantis sibi tanto Regi vitam à Deo eripi, indicant superbum Chlotharium & arrogantem, ac naturæ suæ parum memorem fuisse. Quo minùs miror, id quod in IX Carminum libro ait Fortunatus, Chilpericum à Chlothario Rege vnicè ac plus ceteris filiis esse dilectum, hominem nimirum omnium patris vitiorum heredem, sed plerarumque eiusdem virtutum expertem, crudelem, rapacem, libidinosum, ac superbum, negantem quemquam se prudentiorem esse, ita vt sagacissimus senex suos in filio mores agnouisse & probauisse videatur.

Ceterùm quod suprà scripsimus, Fortunatum in libro de vita Medardi secuti, Chlotharium Regem morientem Sigiberto filio mandauisse, vt Basilicam super Medardi sepulcrum à se inchoatam vnà cum Monasterio consummaret, pecuniámque non paruam hos in vsus impendendam eidem reliquisse; id si verum est, ostendit à Chlothario ægrotante Regnum inter filios esse diuisum, & Sigiberto natu minimo Basilicæ Sancti Medardi perficiendæ curam delegatam, quoniam ea Basilica, tametsi proxima Augustæ Suessionum Chilperici Regiæ, tamen flumine Axonâ ab vrbe diuisa, & in Regno Sigiberti posita erat. Vnde Fortunatus Presbyter, in libri VII Carmine IV ad Gogonem vnum è Sigiberti Optimatibus, vti *Isaram, Somenam, Scaldim*, multósque alios amnes, sic *Axonam*, hoc est partem Axonæ Regno Sigiberti attribuit. Et Gregorius ipse, qui in libro Historiæ IV quatuor Chlotharij filios, patre mor-

tuo, Regnum eius inter se diuisisse dicit, ac suam singulis partem sorte obuenisse; idem in libro de vita Nicetij Treuirici Episcopi scribit, cùm Nicetius, iam in exsilium ductus iussu Chlotharij, ab Episcopis adulantibus Regi congressu prohiberetur, & à suis omnibus desereretur, *postridie* ad eum venisse legatum Sigiberti Regis cum litteris: quarum summa erat, Chlotharium Regem patrem suum decessisse, séque *Regnum debitum* cum Episcopi beneuolentia recipere oportere. Quæ Gregorij verba perpensa satis apertè videntur declarare ab Chlothario diuisionem Regni inter filios factam esse, sicuti de Chlodoueo refert Rorico, cùm aliter Sigibertus tam citò post patris mortem Nicetium de exsilio reuocare, aut Mettense Regnum, cuius vrbs erat Augusta Treuirorum, sibi vindicare non potuerit.





INDEX.

A

ACAVNENSE Monasterium à quo exstructum, 338
Adouacrius Saxonum Rex Andecauos capit, 235. amittit, *ibid.* Childerico iunctus Alamannos aggreditur, 236
Ægidius Magister militiæ Gallicanæ, 190. Arelati obsessus Vesigothos eruptione facta fundit, 190. Gallus, 196. Fridericum fratrem Theodorici Regis Vesigothorum victum occidit, 196. & 197. Gainonem frustra obsidet, 197. in Childerici locum à Francis substituitur, 200. & 201. eiicitur, 201. Coloniam, & Treuiros amittit, 201. moritur, 198. & 199. eius virtutes, 197. & 198
Aëtij Patricij res gestæ, 126. & 127. mors, 174. virtutes & vitia, 175. & 176
Africa à Iustiniano Aug. recepta, 377
Agathias arguitur, 348. 454. & 467
Agericus Verodunensis Episcopus, Francus, 424
Agila Rex Vesigothorum, 442. & 444. à suis occiditur, 444
Agilolfingi seu Aiglolfingi qui, 429
Agrippinus Comes Narbonem tradit Theoderico Regi, 195. & 196
Aimoinus reprehenditur, 302. 362. 418. 423. emendatur, 463
Alamannorum incursiones in Galliam & Italiam, 4. & 5. in Rætiam, 3. in Gallias 11. 15. 18. 36. 45. 58. 63. 179. 236. 256
Alamanni agrum Heluetium occupauere, 237. sub Ostrogothorum imperio fuere, 257. & 258. à Vitige dimissi, 258. & 412. Francis subiecti legibus suis vtebantur, 258. eorum sub Francorum ditione conditio, 412. eorum Vates, 458
Alani Gallias ingressi, 98. 99. inde Hispanias, 106. & 111. quidam in Gallia Goare duce consedere, 172. bifariam ibi diuisi, 173
Alaricus iunior à Chlodoueo interficitur, 296. Regum Vesigothorum primus aureos adulterauit, 291. & 408. eius mores, 291
Albofledis cum Chlodoueo fratre baptizatur, 261. virginitatem Deo deuouet, 261
Alexandrini Chronici Auctor arguitur, 218
Amalafridus Herminafridi filius, 362. & 363
Amalaricus Vesigothorũ Rex, 335. Chrothildim ducit vxorem, 325. 326. 367. eam cædit, 367. à Childeberto victus interficitur, 369. 370. 371
Amalasuentha Theoderici R. ex Audeflеda filia, 327. Eutharico nubit, *ibid.* Theodahadum Regni consortem facit, 400. ab eo interimitur, *ibid.*
Ambianis Gratianus fit Imperator, 45. Ambiani vrbs ab Alanis & Vandalis capta, 103. Regia Chlodionis, 131. Merouei, 146. Childerici, 236
Amsiuarij Francica gens, 75. & 90
Anastasius Bibliothecarius arguitur, 351
Andematunnum Lingonum à Vandalis expugnatum, 103
Angli Germana gens, 143. in Britannia insula sedem capiunt, 143. & 144
Anthemius gener Marciani Aug. 202. 203. à Leone A. Imperator appellatur, 203. & 204. à Ricimere genero interficitur, 214. eius filij, 215
Antiochus Cõsul an eunuchus fuerit, 126
Apollinaris Sidonij filius Dux Alarici, 296. ex Duce Aruernorum Episcopus, 323. Arcadij pater, 323. & 324. Alcimæ frater, *ibid.*
Appendicis Victoris Auctor corrigitur, 270. 271
Aquitania secunda cum Nouempopulis data Vesigothis, 115. & 139
Aquitania prima, & secunda, gemina Germania dicta Gregorio, 240. Aquitania 1 & 2, & Nouempopuli Chlodomeris non fuere, 323
Arbogastes, Francus, Victorem Cæs. vincit & occidit, 69. quare dictus Comes Theodosij, 70. Magister militiæ, 71. Valentinianum A. occidit, 74. & 75 Eugenium Imperatorem facit, 75. Franciam vastat, 75. cum Francis pacem facit, 76. Marcomerem & Sunnonem ad cenam inuitat, 76. Gothorum x millia cædit, 78. cum Theodosio A. pugnat, 78. & 79. vincitur, 80. 81. 82. & 83. se interficit, 81. Consul fuit, 83. de eodem, 84. & 85. eius virtutes, 71
Arbogastes, Francus, Arigij filius, 218. Comes Treuirorum, 219. eius virtutes, *ibid.*
Arborici apud Procopium iidem qui Armorici, 278. 279. & 280
Arcadius A. vnam prouinciam in plures diuidit, & quare, 146. & 147. idem facit Theodosius eius filius, 124

Arcadius Auiti A. pronepos, 324. pater Placidinæ vxoris Leontij postea Burdigalensis Episcopi, 324. Aruernos prodit Childeberto, 367. mittitur ad Chrothildim R. cum forficibus & gladio, 387
Ardaricus Gipedũ Rex Attilam sequitur in Gallias, 158. ab Attilæ filiis deficit, 171. Ardaricani nomini ab eo dicti, 408
Aredius, Gundobadi R. Consiliarius, Chrothildis nuptias improbat, 252. Dominum suum vitæ periculo liberat, 273 & 274
Arelatum obsessum à Gerontio, 107. captum à Constantio, 109. à Theodorico maiore Vesigoth. Rege frustra oppugnatum, 139. item à Theodorico iuniore, 190. & 191. ab Eurico eius fratre occupatum, 214. à Theoderico Rege Ostrogoth. 303. bis obsessum à Chlodoueo. 303. & 311. datum Francis à Vitige R. 407. & 409. Childeberto paruit, 410. officinâ monetæ, & Consulum triumphis olim illustre, 411
Arelaunensis silua, 423
Argentoratum captum ab Alanis & Vandalis, 103
Ariadne Aug. Anastasio diadema imponit, eique nubit, 249
Ariana hæresis quî per gentes barbaras diffusa sit, 265
Arigius Francus, pater Arbogastis iunioris, 218. & 219
Armorici Aëtio aduersus Attilam mittunt auxilia, 161. sæpe rebellant, 161. 279. & 280
Atuandus ex Præf. Præt. Galliarum maiestatis damnatur, 205
Aruerni à Chroco Alamann. Rege capti, 5. ab Eurico Vesigothorum Rege occupati, 225. & 226. à Childeberto capti, 367. recepti à Theoderico, 381
Ascaricus Francorum Rex in Galliam erumpit, 16. à Constantino Aug. captus bestijs obiicitur, 16. 17. & 56. quare, 57
Ascila Richimeris vxor, mater Theodomeris Regis Franc. interfecta, 125. non fuit coniux Ricimeris Patricij, & filia Anthemij Aug. 205
Asclepiodotus Francos apud Londinium opprimit, 141
Ataulfus Vesigoth. Rex Gallias ingreditur, 110. repellitur à Massilia, 110. Burdigalam diripit, ibid. Narbonem capit, ibid. Placidiam captiuã, sororé Honorij A. ducit vxorem, ibid. petit Hispaniam, ibid. Barcinone à suis interficitur, ibid.
Atech Francorum Rex ad Maximianum Aug. venit, 31
Athalaricus Rex Ostrogoth. 353. Prouinciam retinet, 353. Amalarico Septimaniam reddit, ibid. decedit, 399
Athanagildus ab Agila Rege deficit, 444 eo occiso regnat in Hispania, 445
Attrebatæ ab Alanis, Vandalis, & Sueuis captæ, 103
Attali tyranni res gestæ, 114. & 115. deportatio in insulam, 115
Attila Hunnorũ Rex Illyricum & Thraciam populatur, 155 & 156. Magister militiæ Rom. cur dictus, 156. quas prouincias tenuerit, ibid. Gallias petit, 158. quas Galliæ vrbes ceperit, 159. Aurelianos oppugnat, 159. & 160. vincitur ab Aëtio, 163. 164. & 165. quot hominum millia secum habuerit, ibid. quot amiserit, ibid. Italiam petit, 166. Aquileiam & alias vrbes capit, 166. & 167. pace cum Valentiniano facta discedit, 167. moritur, 171. eius vitia & virtutes, 172
Attuarij, Franciæ gens, 90. 317. à Iuliano Aug. pacem petunt, 43
Audefleda Chlodouei soror fuit, non filia, 251. Theoderico Ostrogoth. Regi nubit, 251. an fuerit Ariana, 401. & 402. quando Theoderico nupserit, 401. & 403. Amalasuenthæ R. mater, 402
Augusta Suessionum Chlotharij, deinde Chilperici regia, 322
Augusta Veromanduorum ab Alanis, Vandalis, & Hunnis euersa, 103
Augustæ quãdo Piæ Felices dici cœpere, 66
Auitus, 182 fit Imperator, 183. in Vrbem recipitur, ibid. Consulatum init, ibid. ex Imper. fit Episcopus, 185. obit, ibid.
Auitus Viennensis Episcopus, 330. Sigismundum R. & Burgundiones ex Arianis Catholicos facit, 330. Concilio Epaonensi præest, 331. Chlodoueo R. de accepto Baptismo gratulatur, 264. 265. & 266
Aurelianus Francos vincit in Gallia, 2. in Francia, 6. ante currum captiuos ducit, 6
Aurelianus Chlodouei Consiliarius Chrothildim ad eum perducit, 252. Melodunensi ducatu ab eo donatur, 253
Aurelianensi Concilio I. qui Episcopi interfuerint, 312. eius Concilij decreta Chlodoueus confirmat, 313
Aureliani ab Attila capti, nec direpti, 159. & 160. Chlodomeris Regia, 322
Austria, & Neustria quæ prouinciæ à Francis dictæ, 322
Autissiodurum ab Attila captum & incensum, 159
Auxilia, Alæ, & cohortes Romanæ ex Francis factæ, 96

B.

BAUDRICUS Rex Toringorum à fratre victus & interfectus, 336

Bainobaudes, Francus, Scutariorum Tribunus, 35. Cornutorum Tribunus, ibid. interficitur, 37
Baioarij sub ditione Theodotici maioris, 429. Noricum habitabant, 428. eorum sub Francorum imperio conditio, 429. & 430
Balamir Hunnorum Rex, 154
Bappo, Francus, Tribunus Promotorũ, 34
Baronius arguitur, 421
Basilius vltimus priuatorum Consul fuit, 423
Basina R. Bisini R. vxor, relicto viro, Childerico nubit, 220. & 221
Bauto Francus, 62. quas res gesserit, 63. Magister militum, 63. Consul ordinarius, Arcadij Aug. collega, 63. Symmachi amicus, 64. Gentilis, ibid. pater Eudoxiæ A. Arcadij A. coniugis, 65
Belisarius Africam recipit, 376. 377. Siciliam, 405. Vitigem R. cum Italia capit, 410
Beorgor Rex Alanorum, 202. cum exercitu suo cæsus, ibid.
Berthbarius Rex Toringorum à fratre Herminafrido interimitur, 335
Bertoara Theodeberti Franc. Regis filia, 431
Bleda Hunnorum Rex, 155. cum Attila fratre Illyricum & Thraciam vastat, ibid. ab eodem interimitur, ibid.
Blithildis neutrius Chlotharij filia fuit, 432. 433. 468. & 469
Bonifacius Vandalos in Africam immittit, 122. & 127
Bonitus Francus, Stipator Gallieni Aug. 5
Bonitus Francus, pater Siluani, 34
Briones quæ gens, 161
Britanni Gallicani ab Eurico Vesigoth. Rege cæsi, 212. quo tempore & duce in tractu Armorico confœderint, 212. an Francorum Regibus olim paruerint, 281. 282. 283. 284. 285. 286
Britannorum limes, vel Marca Britannica, 284
Britannia insula fertilis tyrannorum eur dicta, 105
Brittia apud Procopium quæ insula, 342
Bructeri gens Francica, 18. eorum agri à Constantino A. vastati, captiui puberes bestiis obiecti, 18. & 19. cum Chamauis in Galliam erumpunt, 19. Bructeri & Chamaui Francicæ gentes, 75
Bubali olim, & vrsi, alces, onagri in Gallia, 434
Buccelinus Dux Theodeberti in Italia magnas res gerit, 427. Alamannorum Dux, 450. Parmam capit, 450. Fulcarim Erulorum Ducem victum interficit, 451. totam Italiam peragrat, 450. 451. & 452. à Narse victus cum suis omnibus perit, 459. & 460
Burgundionum in Galliam incursiones, 11. 48. & 49. 101. & seqq. in easdes, 111. duæ eo nomine gentes, vna Germanica, altera Scythica, 50. 51. 52. Burgundionum mores, 137. & 290. ars, 137. ad Christianam Fidem conuersio, ibid. de Hunnis victoria, ibid. à quo hi facti Christiani, 138. proceri, 138. comam butyro perfundunt, ibid trichordis citharis canunt, 138. Ariani facti, 138. iterum Catholici, 330

C

CAINO obsessus ab Ægidio, 197
Camaracum captum à Chlodione, 128. & seqq.
Campus Martius, 241. à quo, & quare in Campum Maium mutatus, 241
Cannetum locus, 463
Capraria castrum, 390. & 391
Carausius auxiliis Francorum fretus diu Britanniam tenet, 14
Carcasso & Elena quo tempore Sedes Episcopales factæ, 392. Carcasso obsessus à Chlodoueo, 304
Caretene R. Gundobadi Burgundionum Regis vxor, 288. 289
Carthaginis portus dictus portus Africæ, 9
Castinus Domesticorum Comes aduersus Francos missus, 112. Magister mil. à Gunderico Vandalorum Rege victus, 122. in exsilium actus, 123
Catenæ apud Gregorium quid significent, 399
Catti gens Francica, vt Marcomeri, sic Meroueo paruere, 180
Chamaui, Francica gens, 40
Chanao Comes Britannorum cæde trium fratrum infamis, 441
Charaticus, Francorũ Rex, à Chlodoueo capitur, 307. Presbyter fit, 307. cum filio interficitur, 307
Charato Hunnorum Rex, 154
Charietto Francus, 40. Comes per vtramque Germaniam, 45. & 57. ab Alamannis interficitur, 45
Charietto alius, Francus similiter, & Comes per Germaniam, 69
Childebertus Regnum Parisiorum sorte obtinet, 321. 322. Aruernos Theodorico fratri eripit, 367. Amalaricum Vesigoth. Regem victum interficit, 368. 369. 370. 371. 372. 373. Burgundiam perdomat, 378. Chlodomeris fratris filios interemit, 386. 387. Theodebertum frustra oppugnat, 398. Chlotharium fratrem quoque, 411. & 412. cum eo pacem facit, 412. Cæsaraugustam obsidet, & Hispaniam populatur, 414. & 415. Basilicam B. Vincentij exstruit, 425. obit, 477. eius virtutes & vitia, 478. 479. 480. & 481.

Childericus ab Attila captus profugit, 158. Francorum Rex, 189. 190. Regno à suis expellitur, 200. in Toringiam fugit, 200. Wiomadii industriâ reuocatur, *ibid.* Ægidium victum pellit, 201. Basinam ducit vxorem, 201. Andecauos capit, 235. & Aurelianos, 236. Saxonas fundit, 235. eorum insulas occupat, *ibid.* eis iunctus Alamannos vincit, 236. decedit, 236

Chilpericus Burgundiæ Rex, & Magister militum, filius Gundiearij, frater Gundiuci, 138. & 212. Lugdunum Regiam habuit, *ibid.*

Chilpericus vnus è Gundiuci filiis, Burgũdiæ Rex, à Gundobado fratre captus interficitur, 250. Chrothildis pater, *ibid.*

Chlodebaudus Chlodionis R. filius, 144

Chlodericus Sigibertum, patrem suum, Regem Franc. iugular, 306. occiditur à Chlodoueo, *ibid.*

Chlodio Franc. Rex, 124. & 125. Faramundi filius, *ibid.* non primus Regum Franc. capillatus, 125. Carbonariam, Turnacum, Camaracum & Ambianos occupat, 128. 129. 130. 131. ab Aëtio leui prœlio in Atrebatibus vincitur, 132. & 133

Chlodoaldus Chlodomeris R. filius fit Presbyter, 388

Chlodomeres Franc. Rex, 144

Chlodomeres alius Franc. Rex Regnum Aurelianense obtinet, 320. 321. & 322. Sigismundum Burgundiæ Regem capit, 344. interficit, 345. & 346. à Burgundionibus occiditur, 346. 347. 348. 349

Chlodosuinda, Chlotharij filia, Alboini Langobardorum Regis vxor, 467. & 468

Chlodoueus Franc. Rex, qui & Ludouicus, 238. Syagrium vincit & interficit, 240. Suessionas & Remos occupat, 241. militem peruicacem occidit, 241. Toringiam tributariã facit, 247. Chrothildim ducit, 251. & 252. Alamannis & Sueuis subactis tributum imponit, 256. & 259. à Vedasto rectam fidem edocetur, 259. baptizatur à Remigio, 260. qua in Ecclesia, 262. & 263. quo tempore, 264. & 265. vnus ex omnibus ætatis suæ Regibus Catholicus, 265. edicto Francos ad Christianam religionem inuitat, 266. Ecclesiis ablata restituit, & prædia Remigio confert, 270. Basilicam SS. Apostolorum exstruit, 313. coronam Romæ in Petri Basilica ponendam curat, *ibid.* Veroduuenses rebelles in deditionem accipit, 271. Gundobado Burgundiæ Regi tributum imponit, 272. 273. 276. & 277. cum Alarico Rege Vesigoth. colloquitur, 291. cur ei bellum intulerit, 292. 294. 295. 296. Crucis signaculo milites signat, 296. signum, nomen Domini, dat. *ibid.* Alarico interfecto omnem Aquitaniam subigit, 297. Tolosam capit, *ibid.* & Ecolismam, 297. & 298. Patricius fit ab Anastasio Aug. 299. 300. & 301. Luteciam sedem eligit, 299. Arelatum bis obsidet, 303. & 311. propinquos suos vita & regno spoliat, 306. 307. 308. quo anno obierit, 314. quo die, 313. & 314. eius virtutes, 313. & 315. vitia, 316

Chlotharius, Chlodouei filius, Suessionicum Regnum sorte obtinet, 321. 322. Burgundiam bis petit, 344. 345. & 378. eam subigit, 378. 379. quo anno, 379. & 380. Chlodomeris fratris filios sua manu iugulat, 386. 387. & 388. à fratre & fratris filio oppugnatus præter spem euadit, 421. & 422. cum Childeberto fratre Hispanias petit, 424. Theodebaldi defuncti Regnum totum occupat, 466. quot vxores duxerit, 467. & 468. Saxones fundit, 469. ab eis vincitur, 470. eosdẽ tributarios facit, 474. Childeberto mortuo totum Francorum Regnum obtinet, 478. Chramnum filium rebellem capit & interimit, 484. Medardum Episc. visit ægrotantem, 485. Limina Martini adit, 485. obit, 486. eius virtutes & vitia, 487. *& seqq.*

Chonomeres Comes Britannorum, idem Commorus dictus, 441. & 442

Chramnus aduersus patrem coniurat, 471. vrbes Aquitaniæ occupat, 472. Childebertum patruum deinde Britannos sibi adiungit, 472. & 483. à patre victus interimitur, 484.

Chrisma cælo delapsum, 260 & 261

Chrocus Alamannorum Rex Gallias vastat, 5. capite truncatur, *ibid.*

Chrocus iunior, Alamannorum Rex Constantium Aug. sequitur in Britanniam, 18

Chrothildis Chilperici Burgund. Regis filia nubit Chlodoueo, 251. 251. Ingomerem parit, 253. baptizatum eum mox amittit, 253. Chlodomerem parit, *ibid.* Chlodomeris filios educat amanter, 386. funera eorũ prosequitur, 388. obit, 440. & 441. eius virtutes, 316. & 317

Chrothildis, Chlodouei filia Amalarico R. nubit, 325. 326. & 367. cæditur à viro, 367. auxilium à Childeberto fratre petit, 368. à quo dum reducitur, obit, 371

Claudianus emendatur, 94

Colonia Agrippina à Francis capta, 37. à Iuliano Cæs. recepta, *ibid.* iterum à Francis expugnata, 235. & 236

Comitiua Domesticorum, dignitas illustris, 59

Constans cum Francis Galliam ingressis

pacem facit, 28. & 29. à Magnentio per Gaisoem Francum interficitur, 30
Constantinopolis obsessa à Theoderico Triarij filio, Rege Gothorum, 214
Constantious Max. Francicos ludos instituit, 16. pontem in Reno apud Coloniam facit, 18. ob imagines suas deiectas & Maxentio, & Licinio bellum infert, 23. Franciam vastat, & captiuos feris obiicit, 23. & 24. Francicus est appellatus, 25. apud Colooiam cum Regibus Francorum colloquitur, 26. vt & Constaotius Cæsar eius filius, 27
Constaotinus Tyrannus Gallias occupat, 106. Cooftanrem filium Cæsarem, deinde Augustum appellat, 106. Arelati obsidetur, 107. 108. 109. fit Presbyter, 109. à suis traditur & occiditur, 109
Constantious Frisios & Chamauos, Francicas gentes, Bataoiâ expellit, 12. Cæsar Herculius dictus, 14. Francicus appellatus, 15. nauibus Franciam petit, ib. Francos captiuos io Gallia, exemplo Maximiani Herculij, collocat, 12. & 14
Cooftantius Magnentium Aug. natione Francum vincit, 30. Siluanum similiter Fraocum opprimit, 35
Constautius Patricius Placidiam ducit vxorem, 115. coosors imperij fit ab Honorio Aug. 116. ob reiectas imagioes suas bellum Theodosio ioferre parat, 116. obit, ibid.
Crispus Cæsar in Gallia, & in Francia Francos superat, 26. à patre ioterimitur, 27

D

DANI Gallias populantur, 326. & 327
Dardanus Præfectus Prætorij Galliarū, 112
Dex castrum Septimaniæ, 390
Decentius Cæsar, frater Magnentij A. se suspendit, 30
Decimius Rusticus Præfectus Tyraooorum interfectus, 112
Dengizic, Rex Hunoorum, Attilæ filius interficitur, 211
Desiderius Cæsar, à Magneotio fratre iugulatus, 30
Deuso castellum in finibus Francorum, vulgò Duitsch vel Teutsch, 24. & 32. captum à Postumo, 6
Deuteria Galla 391. Theodeberti concubina, ibid. deinde vxor, 399. cur ab eo dimissa, 420. & 421. Theodebaldi Regis mater, 420. filiam interemit, 421
Didio Francorum Rex, 125
Dispargum ao sit Duisburgus, 129
Diuio castrum, 273
Diuodurum Mediomatricorum ab Attila direptum & iocensum, 158. & 159. aliàs Mettæ Regia Regum Austrasiorum, 322
Doli vicus Biturigum, 211
Durocortorū Remorum captum à Vandalis & Alanis, 103. iterum ab Hunnis, 159
Dusiacum in pago Mosomagensi, 388

E

ECDICIVS Auiti Aug. filius, 225. & 226. Magister militum, ibid. Patricius, ibid.
Eeolisma à Chlodoueo capta, 297. 298
Edobecus Fraocus, Dux Constantioi Tyranni, 107. cum Francicis auxiliis vincitur à Constantio, 108. & 109. ab Ecdicio amico iugulatur, 109
Elena vicus, 132
Ellac, Attilæ filius, Hunoorum Rex ab Alanis occisus, 212
Ellebicus Magister militum Honorij, 106
Emmia, vel Emma, ao Chlodouei R. filia fuerit, 326
Eochaticus Alanorum in Gallia considentium Rex, 161. aduersus Armoricos rebelles ab Aëtio mittitur, 161. & 173
Episcopi aduentu suo ciuibus epulum præbebant, 396. semper Regum Francorum permissu, nooouamquam & iussu fiebant, 323. 396 471
Erulorum Rex Rodulfus, 293. Dux Sindual, 458. Fulcaris, ibid.
Eudoxia Aug. Bautonis Franci filia, Ariana non fuit, 65. eius pietas, ib. eius imago per prouincias circumlata, 66
Eudoxia, prioris Eudoxiæ neptis, Maximum interimendum curat, & Geisericum io Vrbem inuitat, 512
Eugenius cum Marcomere & Suonone Franc. Regibus fœdus init, 76
Eulogius maiestatis reus in Ecclesiam confugit, 270. vsus deprecatore Remigio Episc. veniam impetrat, ibid.
Euricus tegnum Vesigothorum sublato fratre inuadit, 206. Britannos vincit, 212. cum Francis pacem facit, 219. Aruernos occupat, 125 & 226. Bituricas & Turonos, 226. Arelatum atque Massiliam, 234. moritur, 239. an Episcopos Catholicarum partium occiderit, 239
Eusicius Eremita Childeberto victoriam prædicit, 368
Eutropius eouuchus Consul in Oriente, 91. & 126
Exsuperantius Præfectus Præt. Galliarum à militibus ioteremtus, 123

F

FARAMVNDVS Francorum Rex, 118. Marcomeris filius, 119. non primus Franciæ Rex, nec primus crinitus Rex fuit, ibid. an legem Salicam tulerit, 120. Treuiros videtur cepisse, 120

Faro

Faro Ragnacharij Francorum Regis Conſiliarius, 308
Fauſtus Reiorum Epiſcopus, natus in Britannia Armoricana, 214
Feletheus Rugorum Rex, 242. ab Odoacre victus & captus interficitur, *ibid.*
Felix ex Magiſtro militum, ex Conſule, atque Patricius ab Aëtio interimitur, 127
Firminus Comes Aruernorum, 471
Flacitheus Rugorum Rex, 242
Francorum incurſiones in Galliam, 2. in Galliam, Hiſpaniam, & Africam, 3. & 4. in Galliam, 6. 7. & 8. in Aſiam, Græciam, Siciliam & Africam, 8. & 9. in Gallias, 11. 15. & 13. 16. 19. 23. 24. 25. 26. 28. 36. & 37. 38. *& ſeqq.* 45. & 46. 67. 68. & 69. 75. 113. 126. 128. eorum in Gallia tandem ductu Chlodionis domicilium & ſedes, 131
Franci dicti Germani, 2. 10. 85. Germani vlteriores, 4. Catti & Sicambri vocati à Sidonio, 211
Franci Barbari appellati, 10. 36. 64. 71. & 72. 84. & 85. ita & Veſigothi, Oſtrogothi, aliique populi dicti nomine tum non contumelioſo, 389. & 390
Franci Poſtumo auxilium aduerſus Gallienum ferunt, 5
Franci, gens bellicoſa, & Imperatoribus Galliſque terribilis, caput Gentium Barbararum, 28
Franci in Palatio floruere Conſtantij principatu, 34
Franci ſemper Saxonibus, & plerumque Alamannis præponuntur, 45
Franci Romanis numquam paruere, 53. 54
Francorum animus & in morte conſtantia, 55. 56. & 133
Francorum crebertimæ in Galliam excurſiones, 28. 56. 68. cur poſt Conſtantis principatum rariores, 57
Francorum fidei & virtuti plurimùm Imperatores credidere, 57
Franci in Gallia ætate Sidonij ſedes habuere, 220. & 221
Franci Catholici & orthodoxi, 267. quas gentes Chriſtianas fecerint, *ibid.*
Francos habere dominos Galli concupiſcunt, 268. Aprunculus Lingonicus Epiſcopus, Voluſianus Turonicus Antiſtes, aliique, *ibid.*
Franci elatis dextris auxilium Regi pollicentur, 294. cauſam belli probant, 358. iidem in Concilijs ſummam imperij & belli Regi deferunt, 316
Franci vouent ſe niſi hoſte victo barbam non poſituros, 394
Francorum quales pugnæ, 358. Francorum & Gepidum xv millia mutuis ictibus occumbunt, 161
Franci libentiùs hieme quàm æſtate bellant, 455. frigore robuſti & vegeti fiunt, *ibid.* frigori aſſueti, 133
Franci Alamannos cultiores mores & Chriſtianam religionem perdocent, 258. 267. item Baioarios, Toringos, Saxonas, aliáſque nationes, 267
Francorum arma, franciſca, ango, gladius, ſcutum, 456. Ango deſcribitur, 457. Franciſca, vel ſecuris, *ibid.* Francorum armatus habitúſque deſcribitur, 133
Franci equitatui non ſtudebant, 416. & 456
Franci, gens maxima & frequentiſſima, 26. 56. 133. 460. & 461
Francorum velocitas, qui ob id velites Ammiano dicuntur, 37. & 133. in armis exercitatio & ars cum viribus iuncta, 133. à paruulis bellandi cupiditas, *ib.* proceritas, *ib.* otij & quietis impatientia, *ib.*
Franci mari aſſueti, 133
apud Francos virtuti bellicæ honos & præmia legibus propoſita, 134
Francus, etiamſi dextram perdiderit, pugnat, 134
Francos à Brencis ortos quidam credidere, 128
Francorum Reges Britanniæ minoris Comites & Epiſcopos præponunt, 281. obſides à Britanniæ Regibus accipiunt, 284. eoſdem regiis inſignibus donant, 285
Francorum Regna ſingula ſors dicta, 321
Francorum primi Reges auri argentique non multum habuere, 360
Francorum Reges obſides inter ſe dant, 386. à Gallis obſides accipiunt, 382
Francorum Reges & Reginæ funera proſequuntur, 388. etiam priuatorum, 395
Francorum Regum palatium aſylum erat, 396
Francorum Reges [illegible] dicti, 414
Francorum Reges armati ſæpe citra pugnam pacem cum propinquis fecere, 422. & 423
Francorum Regum filij Reges dicti, 329. & 425
Francorum Reges Merouingi filias & ſorores ſuas ſolis Regibus collocabant, 432. & 433
Francorum Reges purpurâ vſi, 436 nummos aureos ſuo vultu ſignant, 407
Francorum Reges priuatos oſculo ſalutabant, 399. & 436
Francorum Reges nihil oneris Eccleſiæ, niſi conſentientibus Epiſcopis, impoſuere, 441
Francorum Reges in acie equites circum ſe paucos habebant, 416
Franciam qui Imperatores, Cæſ. Tyranni, Magiſtri mil. ingreſſi, 89
Francio Dux Iuſtiniani Aug. in Italia, & in Hiſpania, 445. & 446
Fredegarius Scholaſticus arguitur, 264.

Fredegarius & Sigebertus arguuntur, 427
Fridericus, Theodotici prioris filius, Thorismodum R. fratrem iugulat, 172. ab Ægidio victus interficitur, 196
Fridericus, Felethei Rugorum Regis filius, Fridericum patruum suum interimit, 242
Frisij vel Frisones, 283. 341. & 342

G

GAISO Francus Constantem Aug. interficit, 30. fit Consul cum Magneutio, 30
Gaiso Francus, Comes sacrarum largitionum, 110. Magister Officiorum, ibid. tum Magister militum Honorij, ib.
Galla Placidia captiua Ataulfo Vesigothorum Regi nubit, 110. inde Constantio Patricio, 115. vidua ab Honorio fratre expellitur, 122. post Honorij mortem Occidentem recipit, 123. moritur, 150. eius virtutes, magnus animus, & prudentia, 150. & 151
Gallienus Aug. cum Francis bellū gessit, 3
Galli dicti Romani, & ceteri omnes, qui Imperio Rom. paruerant, 84. 289. & 290. tandem hoc nomen, irrisum à Barbaris, deposuere, 292. 293
Galli Odoacris imperium asperuantur, 232. legatos ad Zenonem Aug. ea de re mittunt, ibid.
Gallorum, & Francorum nomina, 291
Gallus Aruernorum Episcopus, 396
Garïualdus Dux Vuldetradam, Theodebaldo viro orbatam, ducit vxorem, 466
Gaudentius Aëtij filius à Geiserico Romæ captus, 181
Gausericus Rex Hunnorum Vasatas obsidet, 127. & 140
Geisericus Vandalorum Rex Romam diripit, 181. Eudoxiam, & filias eius Eudociam & Placidiam abducit, 182. Mauritaniam & Numidiam occupat, 184. Basiliscum vincit, 207. Imperium Occidentis euertit, 209. eius res gestæ, 208. & 209. quo anno Africam ingressus sit, 232. quo obierit, 232. & 233
Gelimer Vandalorum Rex Belisario se dedit, 377
Genebaudus Lauduno Clauato Episcopus ab Remigio præpositus, 270
Geneua Chilperici prioris Burgundiæ Regis sedes, 139. deinde Logdunum, 212. eadem Geneua Godegisili R. postea domus, 272. Geneuenses nummi, 408
Genobaudes Francorum Rex à Maximiano in Regnum restitutus, 11
Genobaudes iunior, Marcomeres, & Suno Franc. Reges in Galliam erumpunt, 67. & 68. 87. & 88. eos Duces Francorum, non Reges fuisse cur putauerit Gregorius, 87. & 88
Genouefa natione Franca fuit, 317. quæ de ea scribuntur, perpaosa, 318. & 319
Germanus Autissiodorēsis Episcopus, 280
Gerontius à Constantino tyranno deficit, 107. Maximum Imper. appellat, ibid. Constantem apud Viennam interficit, ib. Constantinum obsidet, ib. deserius à suis fugit in Hispaniam, 108. vxorem interimit, ac se pugione transfigit, 108
Gesalicus Alarico patri succedit, 296. regno spoliatur à Theoderico Ostrogoth. Rege, 310. confugit ad Vandalos, deinde ad Francos, ibid. victus ab Iba Theoderici Duce interficitur, 310 & 311
Gesoriacum vel Bononia capitur à Constantio Cæs. 12
Gildo Comes auxilia negat Theodosio aduersus Eugenium, 77. à Mascizele fratre victus interficitur, 95
Glycerius fit Imperator, 221. à Nepote ex Imper. fit Episcopus, 224
Goar Regulus Alanorum in Gallia considentium, 98. & 112. Iouino tyranno fauet, 112. & 172
Godegisilus Rex Burg. Gundobadum fratrem vincit operâ Chlodouei, 272. & & 273. Viennam occupat, ibid. à fratre interficitur, 274
Godigisclus Vandalorum Rex cum xx millibus suorū à Francis cæsus, 98. & 99
Godomarus in Burgundia regnat, 345. capitur à Francis, 378
Gothici omnes, 408
Græcorum Imperatorum vanitas irridetur, 330
Gratianus Aug. cur Francicus & Alamannicus dictus, 62
Gregorius Turonicus Episcopus arguitur, 210. 239. & 240. de Vero & Quintiano Episcopis loquens perperaditur, 268. & 269. reprehenditor, 297. 314. 325. 336. 365. 389. 401. 437. emendatur, 119. & 397
Gundericus Vandalorum Rex Gallias ingreditur, 101. 102. & 103. inde Hispanias, 106. & 111. quid in Hispania gesserit, 210. & 211
Guodeuca R. Chlodomere viro suo amisso, Chlothario leuiro iungitur, 347
Gundicarius Burgundionum Rex in Gallia sedem capit, 101. 102. 103. 111. & 112. Galliæ Belgicæ manum inijcit, 136. ab Aëtio victus pacem impetrat, ibid. ab Hunnis occiditur, 136. 137. & 138
Gundiucus & Chilpericus Burgūdiæ Reges, Gundicarij filij, 139. Sapaudiam ab Imperatore Valentiniano datam accipiunt, 134. & 139. Gundiucus hic Magister militum fuit, 198. Catholicus fuisse videtur, 199. cum Chilperico fratre regnat, 233. an genus duxerit ab Arbanati-

co, 233. eius 4. filij. *ibid.*
Gundobadus, Gundiuei filius, in Burgundia regnat, 133. Liguriã populatur, 244. Chilpericum & Godomarum Reges, fratres suos, interimit, 250. à Chlodoueo victus obsidetur Auenione, 273. pacto tributi euadit, 274. Viennam recipit, ibidem Godegisilo fratre occiso, 274. omni Burgundia potitur, 275. leges suis instituit, quas Franci victis reliquere, *ibid.* Narbonem diripit, 310. obit, 328
Guntharius à Chlothario patre aduersus Gothos mittitur, 390

H

HAMINGVS Dux Theodeberti in Italia, 427. Narsæ transitum dare recusat, 447. & 448. prohibet Veronam ab Ostrogothis Narsæ dedi, 448. à Narse victus & cæsus, 463
Haregundis Chlotharij R. Frãc. vxor, 468
Heraclianus, Comes Africæ, & Consul, capite truncatus, 112
Heraclius Tribunus Iouianorum à Francis interfectus, 69
Hermegisclo Varnorum Regi Theodeberti soror nubit, 339. deinde Radigeri eius filio, 340. à quo dimittitur, 341
Hermericus Sueuorũ Rex Galliam depopulatur, 101. 102. 103. Hispaniã, 106. & 111
Herminafridus Toringorum Rex, 334. Bisini filius, *ibid.* eius fratres, *ibid.* vxor & liberi, 334. & 335. Bertharium & Badericum fratres interficit, 335. & 336
Hincmarus arguitur, 261. 263. & 264. 302
Hispani à quibus pauere, & terga vertere didicerint, 142
Hispania Principes Imperio Rom. perniciosos & exitiabiles dedit, 277
Honoria partem Imperij Occid. à Valentiniano fratre repetit, 152. ex Eugenio procuratore suo grauida, 156. Attilam inuitat in Italiam, eique nuptias pollicetur, 156. & 157
Honorius Aug. qualis Princeps, 118. & 122. quot prouincias amiserit, 177
Huldes Hunnorum Rex, 154
Hunericus, Geiserici filius, Vandalorum Rex, 210. vir Eudociæ, Placidi Valentiniani A. filiæ, pater Hilderici R. 375
Hunni Mæotin transeunt, 153. vsque ad Danubium imperium proferunt, *ibid.*
Hydatius Aquiflauiensis Episcopus, non Limicensis fuit, 29

I

IBERNIA, Scotia dicta, & vlterior Scotia, 342
Imperatores Orientis, Theodosius iunior, Marcianus, Leo, primas sibi, & ius electionis Imperatorum Occid. confirmandæ vindicauere, 187. & 188
Imperatores in Oriente, post Theodosium iuniorem, nonnisi senes facti, 332
Imperatores, Reges; & Augustæ, Reginæ sæpe ab Auctoribus dicuntur, 230
Imperatores multi vxores suas, nisi enixas, non appellarunt Augustas, & coronarunt, 148. ante hanc appellationem Nobilissimæ, vel Nobilissimæ feminæ vocabantur, *ibid.*
Imperatores cur Romæ habitauerint, 116. cur postea Mediolani, 117. cur deinde Rauennæ, 117. & 118
Imperatores Occidentis, vt Carolus Magnus, aliique, cur Ρῆγες dicti à Græcis, non Βασιλεῖς, 229. & 230
Imperium Occidentis Imperio Orientis præstat, 188
Imperium Romanum dictum κατ' ἐξοχὴν Respublica, & Πολιτεία, 446
Imperium Rom. virorum est, non feminarum, 157
Imperium Rom. feminæ regunt, 124
Imperium Occidentis à quo euersum, 209
Ingomeres, Chlodouei filius, baptizatur, & paulio pòst obit, 253
Ingundis Chlotharij R. vxor, 467
Iniuriosi, Turonici Episcopi, in defendenda Ecclesia, increpandóque Rege libertas, 441
Ioannes fit Imperator, 123. à suis proditus capitur, & capite truncatur, *ibid.*
Ioannes Papa Iustinum Aug. non coronauit, 351
Iordanes arguitur, 136. 228. 320. & 321
Iosephus Scaliger reprehẽditur, 169. & 170
Iouinus tyrannus, 112. cum Sebastiano fratre, consorte potestatis, opprimitur, *ib.*
Italia minor quæ apud Gregorium, 427
Italia Francis pestilens & exitiabilis prouincia, 455
Iudicail Britannorum Rex, 282
Iuliana Olybrij Aug. & Placidiæ filia, 218. Areobindo Patricio nupsit, *ibid.* eius pietas, *ibid.*
Iulianus Cæsar Francos captos mittit Constantio, militaturos, 38
Iulianus Salios & Chamauos aggreditur, 38. 39. & 40. Salios dediticios traducit in Galliam, 39. & 40
Iulianus Luteciæ Parisiorum appellatur à militibus Imperator, 43
Iulius Nepos, pulso Glycerio, fit Imperator, 223. ab Oreste Magistro militum expellitur, 227. auxilium à Zenone A. petit, 232. insidiis Glycerij circumuentus perit, 232
Iustinianus à Iustino auunculo particeps Imperij & successor designatur, 333. & 356. solus imperat, 357. exercitum in Hispaniam mittit, 444. 445. 446
Iustinus senior Aug. 332. & 333

Iuthungi victi ab Aëtio, 134. & 135. Suaui dicti Iordani, 135
Iuthungi, gens Alamannica, 3. eorum in Rætiam & Italiam excursiones, 3. & 4. in Rætiam, 63

L

LÆTI quæ gens, 33. Læti Nervij, *ibid.* Læticæ terræ, *ibid.* pagus Læticus, 162
Lætia opidum Nerviorū à Lætis dictum, 33
Laniogaisus, Francus, Tribunus, 35. Constantis Aug. Candidatus, & fugæ eius vnicus comes, *ibid.*
Lanthacarius Dux Theodeberti, 426. cæsus, 440
Lanthildis, soror Chlodouei, Arianam hæresim eiurat, 261
Lariensis insula, quæ & Christopolis, Theodeberti & Theodebaldi R. fuit, 461
Landunum ab Alanis, Vandalis, & Hunnis capi nonpotuit, 103
Lauto, Constantiæ Episcopus, Frācus, 424
Legatio Iustiniani A. ad Francorum Reges, 404. Vitigis Ostrogothorum Regis ad eosdem, 407. Belisarij Patricij ad Theodebertū Franc. Regem, 417. Childaberti, Chlotharij, & Theodeberti ad Vitigim, 419. Belisarij ad eumdem, 419. & 420. Iustiniani A. ad Theodebaldum Franc. Regem, 442. & 443. Theodebaldi ad Iustinianū, 444. Narsæ ad Hamingum Ducem Francorum, 447. & 448. Teiæ Regis Ostrogoth. ad Theodebaldum R. 448. Ostrogothorum ad eumdem, 449
Leubenus, Carnutenæ Ecclesiæ Episcopus, Francus, 424
Leutharins cum Francis & Alamannis Italiam populatur, 453. incommodum accipit, 453. & 454. cum suis morbo interit, 454. & 455
Liberius Præf. Præt. Galliarum sub Regibus Italiæ, 311. in Hispaniam missus à Iustiniano, 445
Ligericinum flumen, seu Ligeritum, *V. la Loirette*, 197
Limes Transrenanus, 7
Liticiani apud Iordanem qui, 162
Litorius Comes Narbonem obsidione liberat, 140. Tolosā obsidet Hunnis fretus, 140. 141. victus capitur & perit, 141
Longaticus, mansio in Itinerariis oora, à Iuliano Τεῖχος dicitur, 30
Lucius, Consularia Belgicæ primæ, cur Treuiros Francis prodiderit, 185
Lutecia Parisiorum à Chlodoueo regia electa, 299. à Childeberto eius filio, 322
Luteua, Septimaniæ opidum, Vesigothorum; deinde Francorum; iterum Vesigothorum fuit, 393
Lutto, Francus, Siluani partium adiutor, occiditur, 35

M

MACLIAVVS, Chanaonis Comitis Britannorum frater, 441. viuus humatur, *ibid.* fit Episcopus Veneticus, *ib.* mortuo fratre, vxorem suam, quam dimiserat, cum Regno recipit, 442
Magnentius, Francus, ex Tribuno Imperator, 29. Constante A. occiso, Occidentē occupat, 30. Nepotianum Romæ opprimit, *ib.* auxiliis Francorum instructus vincitur à Constantio A. & se gladio transfigit, 30. Christianus fuit, 31. & 32. eius vitia & virtutes, *ibid.*
Magnus Felix, ex Præf. Præt. Monachus, 211
Maiorianus voluntate Leonis A. fit Imperator Occidentis, 187. quæ priuatus gesserit, 189. Geiserico bellum inferre parat, 192. pacē cum eo facit, *ib.* à Ricimere Patricio occiditur, 192. eius virtutes, 193
Malaricus, Francus, Tribunus Gentilium, 34. Magisterium militum recusat, 44
Mallobaudes, Francus, Tribunus Armaturarum, 34. Sapori Regi Persarum obses datur à Iouiano A. 44
Mallobaudes, Francorum Rex, à Gratiano A. Comes Domesticorum factus, Alamannos vincit, 58. Priarium Regem eorum interficit, *ib.* Macrianum Alamannorum Regem in Francia occidit, *ibid.* postea Magister militum, 59
Marcellinus Patricius, 206. & 207. occiditur, *ibid.*
Marcellinus Chronici scriptor arguitur, 228
Marcharidus, Gildonis partium adiutor, proscriptus, 95
Marcianus à Pulcheria fit Imper. 149. eius virtutes & res gestæ, 150
Marcianus Patricius, Anthemij A. filius, Marciani A. nepos, gener Leonis A. 215. Zenoni A. bellum infert, 215. fit Presbyter, *ibid.*
Marcomeres & Sunno, Reges Franc. colloquuntur cum Valentiniano Aug. 72. obsides ei dant, *ibid.* Regales, & Subreguli, & Reges dicti Alexandro, 88. eorum res gestæ, 89. & 90. exitus, 91
Marcomeres idem, Faramundi R. pater, 89. Sunnonis frater maior natu, *ib.* Rex Bructerorum, Chamauorum, Amsiuariorum, & Cattorum, Francicarum gentium fuit, 89. & 90
Martinus à Gallis κατ' ἐξοχὴν Dominus appellatus, 191
Mauriacum, nunc Meriacum, 164
Maximianus A. cognomine Herculius in Franciam erumpit, 11. Francicus dictus, *ib.* purpuram ter sumsit, 19. 20. 21. & 22. à

Constãtino genero captus occiditur, 22
Maximus an à Germanis tributa exegerit, 67. à Francis absens victus, 67. 68. & 69. interficitur à Theodosio, 69
Maximus à Gerontio fit Imperator, 107. ex Imper. exsul, 108. iterũ in Hispania imperat, 108. captus ab Honorio occiditur, ib.
Maximus Valentiniano interemto se Imperatorem facit, 179. Eudoxiam ducit vxorem, ibid. ab ea occiditur, 181
Medardus ægrotans à Chlothario R. visitur, 485
Meroliacum castrum in Aruernis, 382
Meroueus Franc. Rex, cuius filius, 144. Chlodioni succedit, 146. Ambianos regiam eligit, ib. auxilium ferr Aëtio aduersus Attilam, 161. Germaniam primam, & Belgicam secundã subigit, 179. Treuiros diripit, 185. vsque ad Sequanam pleraque occupat, 189. moritur, ib.
Merouingi cur Cristati dicti, 145
Minores natu, in purpura geniti, maioribus fratribus patre priuato natis bellum intulere, 215
Mogontiacum à Postumo captum, 5. à Vandalis & Alanis, 103
Mucuruna, Chrothildis soror, Virgo deuota, 250. Fredegario Sedeleuba dicta, ibid.
Mundericus Regnum affectans opprimitur, 384. & 385
Mundiucus, Hunnorum Rex, Attilæ pater, 154

N

NANNENVS & Quintinus Francos apud Carbonariam vicere, 68
Narbo capitur ab Ataulfo Rege Vesigoth. 110. recipitur à Constantio, ibid. obsessus à Theodorico maiore, liberatur à Litorio, 140. ab Agrippino Comite Theodorico minori traditur, 196
Narsæ res gestæ in Italia aduersus Francos, à pag. 446. vsque ad p 464
Nebiogastes Rex Chamauorum, gentis Franciæ, matrem suam Iuliano dat obsidem, & filium bello captum apud eum relinquit, 42. eius ad Iulianũ oratio, 42
Nemetæ ab Alanis & Vandalis captæ, 103
Nemptodurum patria S. Genouefæ, 317
Neobigastes, Francus, Dux Constantini Tyranni, 106
Neustriæ fines, 322
Nicæa & Cemenelium vrbes Prouinciæ fuere, Francísque paruere, 409. & 410
Nicetius Treuirorum Episcopus Theodorico Regi venerationi fuit, eúmque liberè castigauit, 396. Theodebertũ quoque eius filium, 437. Chlothario sacris interdicit, 465. ab eo in exsilium mittitur, 491. reuocatur à Sigiberto, ibid.
Norici & Daci an Theoderico Italiæ Regi paruerint, 353
Nunechia à Gerontio viro suo interimitur, 108

O

OCTAR Hunnorum Rex, 154
Odoacer Italiam occupat, 228. & 229. Senatum R. legatos ad Zenonem mittere cogit, 231. Prouinciam Eurico Vesigoth. Regi dat, 234. cur Tyrannus dictus, ibid. Rugos domat, 241. Noricos Ripenses in Italiam transfert, 243. ab Theoderico Ostrogoth. Rege victus occiditur, 244
Odoinus Comes iussu Theoderici Ostrogoth. R. capite truncatur in Sessorio Palatio, 272
Olybrius fit à Ricimere Imp. 214. Valentiniani A. gener, 216. obit, 217
Orestes, pater Romuli A. 226. & 227. ex Notario Attilæ R. Patricius, ib. Magister mil. à Nepote A. factus filium Imp. creandum curat, 227. ab Odoacre occiditur, 229
Ostrogotha Theoderici Ostrogoth. R. filia, Sigismundi coniux, 245
Ostrogothi à Procopio semper Gothi dicti, 409

P

PALATIVM Sessorium, 272
Papianilla, Auiti A. filia, Sidonij vxor, 185
Parthenius Theodeberti Consiliarius interficitur à populo, 439. & 440
Paternus legatus Chlodouei ad Alaricum Regem Vesigoth. 292
Patriciatũ cur peterent ab Imperatoribus, & delatum libenter acciperent Reges Gentium Barbararum, 301
Patricij in Burgundia qui dicerentur, 301. 302
Paullus Langobardus emendatur, 390. & 463. arguitur, 430
Paullus Comes Andecauorum à Childerico Franc. Rege interficitur, 235
Placidia A. Valẽtiniani filia, Olybrij vxor, 217. vidua Constantinopolim petit, 218
Placidina vxor Apollinaris, Sidonij filij, mater Arcadij, auia Placidinæ Leontij vxoris, 323. & 324
Placidus Valentinianus Aug. fit Cæsar à Theodosio, deinde Ioanno tyranno oppresso Imp. 123. & 124. occiditur, 172. eius vitia, 177. & 178. prouinciæ ab eo amissæ, 177
Pompeianus Dux, cognomine Francus, 7
Pons Casulini, 456
Priamus Francorum Rex, Marcomeris pater, 86. & 87

Probus A. Francos vincit, 8. Francicus dictus, ibid.
Procopius agnitur, 346. 304. & 305. 326. 341. 361. 370. 408.
Proculus tyr. Gallias occupat, 9. prodentibus Francis vincitur à Probo, ibid.
Prouincia Massiliensis Chlodouei principatu Burgundiorum non fuit, 234. Prouincia Francis data à Vitige Rege Ostrogoth. 407. & 409. Prouinciæ concessio an à Iustiniano confirmata fuerit, 407. & 408. Arelatum & Massilia clarissimæ eius vrbes, 410
Ptolemæus emendatur, 24. & 121
Pulcheria A. Marcianum Imper. creat, 149. ei nubit Virgo deuota & quinquagenaria, ibid. Imperij cupida, 151. & 152

Q

QVADI cum Vandalis & Alanis in Galliam erumpunt, 103
Quantia flumen, vulgò Cancbia, 132
Quintianus Rutenorum Episcopus, deinde Aruernorum, 268. 269. 270
Quintinus Magister militiæ in Francia vincitur, 68. 69. & 87

R

RADAGAISVS Rex Gothorum à Stilicone victus, 97
Radegundis Berthari Toring. Regis filia, à Chlothario cum fratre capta, 359. nubit Chlothario, 365. fit ex Regina Monacha, 365. Pictauis Monasterium puellarum exstruit, ibid. eius virtutes, 365. & 366
Ragnacharius Rex Franc. Chlodoueo auxilium fert aduersus Syagrium, 240. ab eo victus occiditur cum Richario & Regnomere fratribus, 308. & 309
Rauiconda, Herminafridi Toringorum Regis filia, 362. & 363
Ratensis vel Ratiatensis pagus (Rais) ex quo Britanniæ attribui cœptus, 285
Rechiarius Sueuorum Rex à Theodorico iuniore Vesigoth. Rege victus, captus, & interfectus, 184
Regaisus Francorum Rex in Gallia à Constantino A. captus & interemtus, 16. & 17
Remigius Remorum Episcopus Chlodoueum baptizat, 260. ei vices suas Hormisda P. non commisit, 270
Respendial Alanorum Rex Galliam ingreditur, 101. 102. 103. Hispaniam, 106 & 111
Ricimer Magister militum Anito Imperium adimit, 185. fit Patricius, 186. Maiorianum Aug. interficit, 192. Regem Alanorum Beorgorem victum occidit, 202. Anthemium Aug. socerum suum iugulat, 214. Olybrium Imper. facit, 214. obit, 217. eius virtutes & vitia, ibid.
Ricomeres, Francus, Comes Domesticorum, 59. Consul & Magister mil. 60. Theodomeris Regis Franc. pater, 61. eius virtutes, ibid.
Riothimus Britannorum Armoricorum Rex, 212
Riparioli, vel Riparij qui, 161
Roas, vel Rugila Hunnorum Rex Ioanni Tyranno mittit auxilia, 134. Aëtio quoque, ibid. moritur, 154. & 155
Rodericus reprehenditur, 393. & 427
Romani milites κατ' ἐξοχὴν Milites dicti, 446
Romani quando primùm ministerio Sacerdotali in coronando Imperatore vsi, 149
Romanus Patricius capite cæsus, 215
Rusinus Aquitanus, 86

S

SALICA lex à quo lata, 110
Salij gens Francica, 38. 39. & 40
Salij Seniores, & Salij Iuniores, 39. & 96
Salomon Rex Brittonum Carolo Francorum Regi fidem obligat, censúmque pendit, 282. & 286. & Wigo eius filius, ibid. idem antè fecerat Herispoius Rex Britannorum, 285
Salutaris non Aueonicæ; sed Auenticæ ciuitatis Episcopus, 331
Sangibanus, Alanorum in Gallia considentium Rex, tractum Valentinum incolendum accipit ab Aëtio, 173. Aurelianos tradere vult Attilæ, 162. 163
Sapaudia Burgundionibus à Valentiniano A. datur cum incolis diuidenda, 134. & 139
Sauaro reprehenditor, 204
Saxones in Galliam incurrunt, 11. 36. 39. & 40. 45. & 46. 47. 179. 235
Saxones Valentiniani auspiciis victi, 47
Saxones multi in Baiocassibus, & in Namnetibus sedem cepere, 237
Saxoniæ pars à Theodorico Franc. Rege facta tributaria, 396. & 397
Scoti & Picti, 47
Sedunum captum ab Alanis & Vandalis, 103
Septimania nonnumquam Hispania dicta, 371. & 372
Saronatus Præfectus Prætor. Galliarum damnatus, 214
Senatinus Abbas, 306
Seuerus fit Imp. instinctu Leonis A. 193. à Leone auxilium aduersus Geisericum R. petit, 194. obit, 202
Seuerus Treuirorum Episcopus Burgundiones baptizat, 138

Sicambri iidem & Franci, 96. 221. & 260
Sidonius gener Auiti Aug. Præfectus Vrbis & Patricius, deinde Aruernorum Episcopus, 185. & 186. contra Maiorianum A. arma tulit, 186. ei Consuli Panegyricum dixit, 188. item Anthemio Aug iti Consulatum ineunti, 206. Liuianâ clauditur ab Eutico Rege Vesigoth. 226. Sedi suæ restituitur, *ibid.* Sidonius emendatur, 221
Sigibertos Francorum Rex regnauit Coloniæ Agrippinæ, 256. ab Alamanois vulneratur, *ibid.* Chlodoueo aduersus Alaricum R. mittit auxilia, 294. à Chloderico filio interimitur, 306
Sigismeres Eurici Vesigoth. Regis filiam ducit vxorem, 219. & 220
Sigismundus Burgundio an viuo patre Rex fuerit, 328. & 329. Patricius ab Anastasio Aug. factus, 329. Arianam hæresim damnat, 370. & vnà cum eo Burgundiones, *ibid.* Sigisricum filium occidit, 337. Monasticum habitum induit, *ibid.* à Chlodomere victus capitur & interficitur, 344. & 345
Sigisricus, Sigismundi R. patris sui iussu iugolatur, 337
Sigiualdus Aruernorum Dux, 385 interficitur iussu Theodorici Franc. Regis, 394
Siluanus, Francus, Magister militum, 34. accusatus apud Constantium A. Maiestatis purpuram sumit, 35. interficitur, 35. eius virtutes, *ibid.*
Stilico pacem facit cum Francorum Regibus, & ab eis obsides accipit, 91. 92. 93. & 94. Barbatos immittit Galliæ, 97. & 98. ab exercitu interficitur, 104
Suauegotta Regina, 343
Suaui quæ gens, 135. duæ nationes ita dictæ, 135. & 136
Suidas emendatur, 445
Sunno Francorum Rex, 72. 88. 89. 90. & 91
Syagrius Ægidij filius, à Chlodoueo victus interficitur, 240
Syracusæ à Francis captæ, 8. & 9

T

TAIFALI in agro Pictonum considere, 475. & 476
Tarraco à Francis captus, 3. 4. & 5
Taruenna Morinorum capta ab Alanis & Vandalis & euersa, 103
Teia Ostrogoth. Rex à Narse interficitur, 448
Teutomeres Francus, Protector Domesticus, 35. deinde Dux, 44
Theodahadus priuatus Rex Tusciæ dictus, 401. & 402. Amalasuentham, à qua Rex factus fuerat, interemit, 400. à Vitige iugulatur, 405
Theodebaldus Franc. Rex, 440. legatis Iustiniani A. respondet, 443. per legatos Iustinianum A. pro Vigilio Romano Episcopo precatur, 444. obit, 465. eius mores, *ibid.*
Theodebertus viuo patre Danorum Regem victum interficit, 326. & 327. patrem in Toringiam sequitur, 358. in Septimania & Prouincia bellat, 390. & 391. mortuo Theodorico patre regnat, 398. à patruis frustra oppugnatur, *ibid.* pace facta à Childeberto inuitatus, honorificè excipitur Luteciæ, 399. x millia Burgundionum mittit Vitigi auxilio, 414. Italiam Regum Franc. primus ingreditur, 416. *ibid.* Vraiam Ducem Ostrogoth. fundit, 416. Martinum & Ioannem Magistros militiæ Rom. 417. Genuam diripit & excidit, 418. inopia pressus domum redit, 418. & 419. maximam partem Liguriæ, Venetiæ, & Alpium Cottiarum occupat, 426. & 427. cum Alamannia & Sueuia Rætias tenuit, 428. bellum inferre Iustiniano parat, & quare, 433. obit, 434. cur Magnus dictus, 435. quas prouincias possederit, *ibid.* eius virtutes, 435. & 436. beneficentia in Aruernos, 436. in Verodunenses, 437. vitia, 437
Theodeberto iuniori vindicatæ tres epistolæ, 438. & 439
Theodechildis Regina quæ fuerit, 338. 339. 340. 343. & 344. Suauegottæ Reg. filia, 343
Theodemér Rex Ostrogothorum, 222
Theodericus Ostrogoth. Rex Italiam petit, 243. Odoacrem superatum sua manu interficit, 244. Regium insigne sumit non exspectato Anastasij A. consensu, 245. quas prouincias occupauerit, *ib.* quibus affinitatibus se firmauerit, *ibid.* leges tulit, & magistratus popularibus dedit, 246. ædificator fuit, *ibid.* Consulatus defert, *ibid.* Alamannos profugos in Italiam recipit, 257. pro eis Chlodoueum deprecatur, *ibid.* legatos ad Alaricum & ad Gundobadum mittit, 293. ad Chlodoueum Regem, 293. & 294. Francos per Ibam vincit, 303. Gesalicum R. victum interficit, 310. Regnum Vesigothorum occupat, 311. obit, 352. dictus est à recentioribus scriptoribus Veronensis, 169
Theodomeres Francorum Rex, 125. cum Ascila matre interfectus, *ibid.* quo patre natus sit, 61. & 125
Theodoricus maior Vesigoth. Rex Arelatum oppugnat, 139. obsides à Gallis accipit, 140. Narbonem frustra obsidet, 140. Litorium Comitem, à quo obsidebatur, victum capit, 141. in campis

Catalaunicis ab Huunis occiditur, 163. & 164
Theodoricus iunior, Vesigoth. Regnum fratre interemto occupat, 172. auctor est Auito recipiendi Imperij, 182. Rechiarium Sueuorum Regem victum acie capit & interficit, 184. Auitum destituit, 185. cum Maioriano A. bellum gerit, 190. Arelatum obsidet, 190. & 191. societatem cum Maioriano iungit, ibid. Narbonem occupat, 196. in Hispania fines Regni profert, ibid. ab Eurico fratre interimitur, 205
Theodoricus Chlodouei filius maiorem paterni Regni partē sorte obtinet, 322. Danos vincit, 327. Herminafrido auxilium fert aduersus Badericum, 336. bellum Herminafrido infert, 358. & 359. Chlotharium fratrem interimere conatur, 360. Herminafridū interficit, 360. Aruernos recipit, 381. Meroliacum, 382. Louolautrum, 383. Mundericum, rebellem opprimit, 384. & 385. Sigiualdum propinquum interficit, 394. moritur, 395. eius virtutes & vitia, 395. 396. & 397
Theodosius Magister militum Francos in Batauia fundit; Saxones circa Orcadas, 46
Theodosius, eius filius, factus à Gratiano Imperator, 62. Maximum Tyrannum victum interficit, 69. Eugenium & Arbogastem vincit, 82. obit, 83
Theodosij iunioris vitia, 124. & 147
Theodoualdus & Guntharius Chlodomeris R. filij à patruis suis iugulati, 387. & 388
Theudechildis, an Chlodouei Regis filia fuerit, 326. 347
Theudis Ostrogothus tutor Amalarici, 311. cæso Amalarico Rex Vesigothorum factus, 374. à suis confoditur, 430
Theudisclus Dux ei succedit, 431. & mox interimitur, ibid.
Thorismundus regnat apud Vesigothos, 164. an Alanos ab Attila defenderit, 171. occiditur à Theodorico iuniore, fratre suo, 172
Tiro Prosper Aquitanus in Fastis corrigitur, 59. 173. in Chronico, 173
Toletum quo tempore Regum Vesigothorum sedes cœperit esse, 373. & 374. eius antiquum insigne duæ turres, 374
Tolosa data Vesigothis cum Aquitaniæ parte, 115. & 139. recepta à Chlodoueo, 297
Tolosa Vesigothorum Regum sedes, deinde Narbo, 357. postea Toletum vrbs Hispaniæ, ibid.
Tolosanus pagus cur à Septimania distinguatur, 39
Toringi, gens non vetusta, in Franciam erumpunt, 247. tributarij à Chlodoueo facti, 247. Toringorum Reges, 333 & seqq. Toringi nō sunt ab Augusto collocati in Germania, quæ eius non erat, 161
Totila Ostrogoth. Rex qualis quantúsque, 424. filiam Regis Francorum in matrimonium petit nec obtinet, & quare, 431. Romam bis capit, ib. à Narse Patricio interficitur, 448
Toxandria locus à Saliis Francica gente occupatus, 38
Traiectensium & Iuliacensiū agri à Francis depopulati, 37
Trauuila apud Gregorium quia, 403
Treuiri à Francis direpti & incensi, 112. & 113. quater capti, 113. ab Attila expugnati, 159. iterum à Francis direpti & incensi, 185. rursus Childerici principatu capti, 235. sedes Imperatorum & Cæsarum, dum morabantur in Gallia, 118
Tridentum & Cenera vrbes, Theodeberti, & Theodebaldi R. Franc. fuere, 461
Tungri ab Attila euersi, 159
Turnacum captum ab Alanis & Vandalis, 103
Turoni recepti à Chlodoueo, 291. additi à Chlothario, 485

V

VALAMER Rex Ostrogothorum, Theoderici pater, 243
Valentinianus maior fit Imperator, 44. cum Francorum Regibus Coloniæ fœdus iuit, ib. Francicus dictus est, 46. moritur, 52
Valentinianus iunior, eius filius, Augustus appellatur, 52. Romæ cum Theodosio A. de Maximo victo triumphat, 69. cum Marcomere & Sunnone Francorum Regibus colloquitur, obsidésque ab eis accipit, 72. ab Arbogaste interficitur, 75. eius virtutes, ibid.
Valentinianus, Valentiniani maioris pronepos, fit à Theodosio iuniore fratre patruele Imperator, 124. Vide Placidus.
Valia Vesigothorum Rex, 114. beneficio Honorij Aug. Aquitaniam secundam & Nouempopulos cum Tolosa possidet, 115
Vandalorum veteres sedes, 99. & 100. in Galliam irruptio, 101. in Hispaniam, 106. & 111. in Africam, 122. & 127. & 232. eorum in Africa Reges, 375. & 376
Vangionum vrbs ab Alanis & Vandalis capta & deleta, 103
Varnorum sedes, 341. Reges, 339. & 340
Vasatæ à Ganserico Hunnorum Rege frustra obsessæ, 140
Vascones, alij Hispani, seu vlteriores, alij Citimi dicti, 283

Vectia, Septimaniæ vrbs, vnà cum Tolosa post Alarici cædem semper Francis patuit, 393
Vedastus, Francus, Presbyter Chlodoveum rectam fidem edocet, 259. à Remigio fit Attrebatium Episcopus, ibid.
Venetica regio quare Broguerec dicta, 279
Veneti vrbs Britannis, dein Francis, iterum Britannis, ac demum Francis paret. ibid.
Venetiæ vrbis origo, 168
Verodunenses deficiunt à Chlodoveo, 271. impetratâ veniâ portas ei aperiunt, ibid. Theodeberti Regis in eos beneficentia, 437
Vesootio à Vandalis captus, 103
Vicer fluuius, 221
Victor Cæsar, Maximi Tyranni filius, ab Arbogaste occisus, 69
Victoriacum, 385
Vigilius Papa Childebertum Regem Francorum rogat, vt Ecclesiæ Romanæ suâ absentiâ destitutæ curam gerat, 479. pro eodem restituendo Sedi suæ Iustinianum precatur Theodebaldus Francorum Rex, 444
Viri fortes apud Gregorium qui vocentur, 389
Vitigis Ostrogothorum Rex, 406. Theodahadū occidit, ibid. Prouinciam Francorum Regibus tradit, 407. & Alamannos dimittit, 412. Romam frustra obsidet, & Ariminum, 413. Mediolanum recipit, 415. Rauennæ obsessus, Belisario se dedit, 420
Vltrogotho Regina, vxor Childeberti Regis Franc. pia femina. 481
Vptarus Hunnorum Regulus Gundicarium Burgundionum Regem interficit, 177. satietate rumpitur, ibid.
Waco, Langobardorum Rex, Wisigardis & Wldetradæ Reginarum Franc. pater, 390
Widimer Ostrogothorum Regulus Galliam petit, & se cum Vesigothis iungit, 222
Wiliacharius, Chramni socer, in Basilicam S. Martini metu Clotharij confugit, 483. ibi viuus exuritur, ibidem.
Wiomadus Francus Childericum bis vitæ periculo eripit, primò puerum ab Attila captum, 158. iterum Regem Francis inuisum, 200. Regno eum restituit, 200. 201. potestatis consors ab eo fit, 201
Wisigardis desponsa Theodeberto, 390. ei connubio iungitur, 421
Wldetrada, Theodebaldo Rege viro suo orbata, Chlothario iungitur, 466. deinde Garibaldo Duci, 466

Z

ZENO à Leone iuniore, filio suo, fit consors imperij, 213. mortuo filio solus imperat, ibid. à Basilisco expellitur, 228. Imperium recuperat, ibid. obit, 248. ingratus, perfidus, & crudelis, ibid.

Studiose Lector errata sic emendabis.

PAGINA 6. lineâ 6. Batauorum ab Francis captum, *scribe*, Frisiorum, gentis Francicæ.
Ib. l. 10. Postumur nudus clauam tenens, ex altera templum, *scribe* Postumus; ex altera Hercules nudus, clauam & arcum tenens.
Pag. 7. *l.* 10. Antiochiensis, *scribe*, Antiochensis.
P. 30. *l.* 17 XXXVI. *scribe*, XXIV.
P. 68. *l.* 31. proruperunt. Molientibus, *scribe*, prorumpere molientibus.
P. 76. *l.* 11. Arbogaste, *scribe*. Arbogastes, *ib. l.* 16. *dele* parua.
P. 77. *l.* 11. cilicio inuolutum, prostratúmque, *scribe*. cilicio superstratum.
P. 112. *l.* 18. Thebanus, *scribe*, Thebæus.
P. 120. *l.* 13. & 14. *dele*. cognomine Ripariorum.
P. 123. *l.* 5. atque Pæonius, &c. *dele has tres lineas vsque ad hæc verba*. At Theodosius.
P. 132. *l.* 37. ferula, *scribe*. fercula.
P. 137. *l.* 5. eiusdémque ac, *scribe*. eiusdémque mortem ac.
P. 139. *l.* 27. CCCXXV. *scribe*, CCCCXXV.
P. 145. *l.* 17. Vertigernum Anglorum Regem, *scribe*, Anglos.
Ib. l. 21. *post* Hi *adde* ex peniosula Cimbrica, vbi tum sedes habebant, cum Saxonibus & Iutis.
Ib. l. 30. Miror autem, &c. *has* 6. *sequentes lineas dele vsque ad*, Saxones.
P. 172. *l.* 5. *dele*. Procopio, &c.
P. 180. *l.* 10. gynæconitida, *scribe*, cubiculum.
P. 184. *l.* 3. CCCCXLII. *scribe*, CCCCLII.
P. 203. *l.* 2. cùmque Sarmatæ, &c. *has* 8. *seq. lineas dele vsque ad*. Igitur, & *scribe*. & cum Hunnis, duce Hormidace per adstrictum glacie Danubium Daciam Mediterraneam ingressis, apud Serdicam pugnauit, repressósque barbaros cæde collegæ sui Præfecti equitum, qui re malè gesta ad ipsos transfugerat, pacem Leonis iussu redimere.
P. 213. *l.* 37. Patricij vel Patricioli, &c. *dele has* 7. *seqq. lineas vsque ad*, Ceterùm.
P. 230. *l.* 34. & 35. *scribe*, Πρωτοσεβάστος, Πανσεβάστος.
P. 234. *l.* 16. *dele*. Aquas Sextias.
P. 237. *l.* 9. *post* linguam Saxonicam, *adde*, vel Otlingam Saxoniam.
P. 245. *l.* 20. a XXI. *scribe*, XV.
P. 265. *l.* 24. *pro*, in Pannonia secunda; *pone*, vltra Danubium.
P. 301. *l.* 19. Magister militiæ Patriciúsque, *scribe tantùm*, Patricius.
P. 321. *l.* 10. primum, *scribe*, optimum.
P. 322. *l.* 30. Ligeri imminteriacet, *scribe*. Ligerim interiacet.
P. 327. *l.* 25. anno II. *scribe*, anno IV.
P. 333. *l.* 19. Delphicum. *scribe*, Delphicam.
P. 353. *l.* 10. Ripariorum, *scribe*. Francorum.
P. 390. *l.* 14. Hildeche, *scribe*, Hildigiso.
P. 462. *l.* 16. 132V. *scribe*. 121111. & *ib. lineâ vltimâ pro* 121V1 *scribe*, 132V.
P. 469. *l.* 35. 132V. *scribe*, 132VI.

SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

CAVTVM *est auctoritate Regis, ne quis in Regno eius, aliisve locis eius ditioni subiectis, librum, qui sic inscribitur,* HADRIANI VALESII rerum Francicarum vsque ad Chlotharij senioris mortem Libri VIII. *absque Sebastiani Cramoisy Architypographi Regis & Reginæ Regentis permissu, typis excudat, aut diuendat, intra* X. *annos proximos à die publicationis horum exemplarium. qui secùs fecerit, multa indicta, prout fusiùs in diplomate regio continetur, multabitur. Datum Parisiis die* 5. *Septembris anno* 1645. *Sic signatum, mandato Regis,* CRAMOISY.